Pam. Calif.
348.341 3 M

DE VISITATIONE SACRORUM LIMINUM

7883

DE

VISITATIONE SACRORUM LIMINUM

INSTRUCTIO S. C. CONCILII

EDITA IUSSU

S. M. BENEDICTI XIII.

EXPOSITA ET ILLUSTRATA

ET QUAM HUMILLIME DEDICATA

S. M. PIO IX. PONT. O. M.

PER

ANGELUM LUCIDI

a scribendis literis ad relationes Episcoporum in S. C. Conc.
et caus. summ. ref. in S. C. Episc. et Regul.

ALMA COLLEGE LIBRARY Alma, California
348.341
L963

Editio tertia

ab innumeris mendis purgata et pluribus additionibus aucta

PER

P. IOSEPHUM SCHNEIDER S. I.

2
26.584

Volumen primum.

BIBLIOTH. PROV. P. PRAEP. GENES.
LIBRARY California

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA S. C. DE PROP. FIDE.

MDCCCLXXXIII.

3858

Editor sibi vindicat ius proprietatis.

AD LECTOREM.

Cum provida SSm̃i D. N. mens, Apostolicam sollicitudinem ad eam ecclesiasticae disciplinae partem convertens, quae in ratione de toto episcopali regimine Sanctae Sedi ab Episcopis reddenda versatur, peculiarem stabilemque officialem constituisset, qui responsa Episcopis ipsis remittenda conscriberet; cumque ex singulari Sanctitatis Suae clementia indulgentiaque ad eiusmodi munus obeundum ego renuntiatus essem, eo omne animi mei studium conferre, eo omnes industriae meae nervos intendere necessario debui, ut diligentius et cumulatius, quam per me fieri posset, sapientissimo tanti Pontificis consilio satisfacere adlaborarem. Neque enim ceteroquin me fugiebat, humanissime Lector, quantum gravitatis ac ponderis inesset officio, quod meis humeris imminebat. Adest profecto particularis Urbanorum Antistitum Congregatio, qui ex praescripto Constit. s. m. Bened. XIV. incip. " *Decet* „ diei 23. Nov. 1740. Episcoporum relationes diligenter inspiciunt, in peculiaribus comitiis exponunt, et, quae sint rescribenda, suggerunt, maioris momenti negotiis superiori Eminentissimorum Patrum iudicio reservatis. Adest etiam Cardinalis eidem S. Congregationi Praefectus, et item R. P. D. a secretis eiusdem S. Congr., ille inter Patres purpuratos, hic inter Romanae curiae Praesules delectus, disciplinarum ecclesiasticarum ac rerum usu praestantiores, quorum sub ductu ac moderamine singulae responsiones parari solent. Nihilo tamen secius, ut meum huius-

modi munus, uti par est, possem absolvere, ea praesidia, tametsi adiumento maximo, imo necessario sint, haud mihi sufficere considerabam; namque alienas cogitationes perspicuis verbis exprimere, et apta ratione declarare tibi non datur, nisi provincia, quam ingrederis, omni ex parte cognita penitus ac perspecta sit. Cum quis novum aliquod officium suscipit, in promptu, ut plurimum, sibi aliquem habet auctorem, qui viam quodammodo stratam adamussim indigitet: quippe singulis canonicae iurisprudentiae partibus sui peculiares non desunt tractatores, qui in ea re illustranda excelluerunt. Sic de re synodali Benedictus XIV. agit in opere *De Syn. dioec.*, de visitatione dioeceseos Crispinus et Gaudentius a Ianua, de concursibus ac re paroeciali Reclusius, et ita alii de aliis argumentis. At ego, quo me verterem, non habebam: siquidem de visitandis SS. AA. LL. ac de referendo statu ecclesiarum, nonnisi raptim ac perfunctorie generatim elocuti sunt sacrorum canonum interpretes; si aliquatenus excipias Benedictum XIV., qui in opere *De Syn. dioec.* paulo fusius, at non ex professo, ut aiunt, neque per singulas partes idem argumentum conficiendum assumpsit. Itaque viam hactenus a nemine tritam sine duce mihi inituro, quae adminicula pro re nata opus essent, undequaque exquirenda, cumulanda, et in rem meam non sine patientia et labore erant vertenda.

In hac re suscipienda anteactae meae vitae rationes non exiguo mihi erant auxilio: nam simul ac e gymnasiorum vadis excessi, statim inter adolescentes ecclesiasticos receptus, qui in addiscenda S. Congr. Conc. disciplina seu praxi, quam vocant, tirocinium ponunt, ad causarum, quae ibi proponuntur, disceptationes cognoscendas

ac enodandas totum animum et operam contuli; neque me ex iis studiis postero unquam vitae meae tempore, alibi licet occupatus, quoad per me licebat, avelli passus sum. Inter haec, ex novo SSmi D. N. beneficio, ad Sacr. Congr. Episc. et Regul. accessi, causis summatim referendis seu conscribendis ex officio addictus, quae magno numero ibi in consultationem veniunt. Quo quidem in munere, cum singula, quae facti speciem, aut iuris doctrinam in utramque partem disponere ac disceptare meum sit, tam diuturna in exercitatione nulla fere pars est Pontificii Iuris (ut nihil de civili dicam), quam tractandam aggredi, et e suis quodammodo visceribus evolvere non debuerim. Illud autem semper in usu mihi positum et constanter servatum est, ut nullum vel levissimum manu scriptum, aut typis editum, in quo aliquid memoria dignum exstaret, unquam igne absumerem, sed potius suo quodque loco pro opportunitate custodirem. Itaque inter subsecivas horas illud in mentem inieci, tacitoque corde volutavi, qua ratione informi illi inordinataeque rerum farragini formam et ordinem in aliorum usum ingererem. Audax, egregie lector, audax certe facinus et periculosae plenum aleae, quod mente reconditum aliquanto continui, donec animum meum cum talibus viris, qui rectum mihi consilium dare possent ac vellent, communicandum censui. Hos inter silentio praetereundus haud mihi est, qui cum dignitate et auctoritate praecipuus, tum canonicae iurisprudentiae atque adeo totius ecclesiasticae disciplinae peritia praecellit, Emus Cardinalis Caterini. Hic acri iudicio praeditus, e prima adolescentia adiutor, quem vocant, a studiis S. C. Concilii Secretario adscitus, postea plurium Almae Urbis Congregationum Consultor,

dein Secretarius S. Congr. studiis regundis praepositae, unaque a s. m. Gregorio XVI. iudex sacrarum cognitionum renuntiatus, vulgo Auditor SSmi, mox Inquisitionis in alma Urbe Adsessor, denique non sine pergrata totius sacri Collegii suffragatione, quemadmodum SS. D. N. in allocutione diei 7. Mart. 1853., (Vid. Acta Pii IX. *P. 1. p. 437.*) pronuntiabat, inter purpuratos Patres a Sanctitate Sua cooptatus est. Aliquibus post annis cum Emus ac Revmus Card. Cagiano de Azevedo (quem virum ob praeclaras eius virtutes ac omnigenam sacrarum disciplinarum scientiam et rerum usum honoris et grati animi ergo nominare me posse gaudeo) e Praefectura Sacrae Congregationis Concilii ad sacrum Poenitentiariae tribunal ut maior Poenitentiarius provectus fuisset, in huius locum a Summo Pontifice subrogatus munus Praefecti eiusdem Sacrae Congregationis Concilii suscepit, quod in praesentiarum adhuc tanta cum sapientia et consilio moderatur. Hic porro pro ea, qua pollet, omnibus benemerendi propensa voluntate a primaevo adolescentiae flore in suam fidem recipere, studia mea in expediendis ecclesiasticae disciplinae negotiis amplissime fovere, et omnigenae humanitatis ac benevolentiae significationibus me prosequi nunquam desiit: nullus itaque recto ac benevolo suppeditando consilio magis idoneus mihi occurrere potuisset. Aequam rem imo debitam existimo hic memorare etiam R. P. D. Petrum Giannelli, cuius propensum in me studium non est demirandum, cum omnes, qui ipsum adeunt, urbanitatem eius experiantur. Hic Auditor, quem vocant, Apostolico primo Neapoli, dein Parisiis Nuntio adhibitus, postea inter duodecim viros S. Rotae litibus dirimendis iudex adlectus, ac postea ipse Apostolicus

apud utriusque Siciliae regem Nuntius, publicis in eo regno conversis rebus, Caietaque expugnata, Romam remigravit, ubi a SSmo D. N. ad vices gerendas a Secretis S. C. Concilii, Apostolici Neapolis Nuntii non dimisso munere, adplicitus est, quod utrumque munus magna cum laude et in praesens obire prosequitur. Hic igitur quoque pro ea, qua praestat, benignitate animum impensius addidit, ut quod mente confinxeram, opere complere, ac publici iuris facere non dubitarem. Itaque eo magis manum operi admovi, et alacrius metam attingere constanti animo contendi.

Multa quidem eademque non mediocris momenti adminicula requiri intelligebam, ut opus animo excogitatum ad effectum perducere valerem. At vero de elocutione, quae cuiusque literarii operis una conditio est, parum immorandum arbitrabar: cum enim a prima adolescentia sine ulla intermissione diurna nocturnaque manu calamum exercere debuerim, non multum negotii ac difficultatis haec res exhibere posse videbatur, eoque magis, quod hoc genus operum illiusmodi non est, in quo florum ac elegantiarum specimen edendum sit. Quod vero attinet ad universi operis formam animo concipiendam ac delineandam, id quod primum ac potissimum caput existimo, multo minus fortasse mihi allaborandum esse animo mihi suadebam: eam enim commodissime delineatam exhibet ipsa Benedicti XIII. Instructio, cuius vestigiis pressim insistere satis erat, ut rem suscipere, et omnibus numeris absolvere possem. Reliqua erat materia, quam in singula eiusdem Benedictinae formulae capita ingeri et cumulate expandi oporteret. At paulo ante praemonui, quantum insudatum mihi in omni vita mea fuerit, ut

adinstar apium sua mella e floribus hac illac dissitis per agros delibantium, ex universae iurisprudentiae campis ea mihi comparaverim et collegerim, quae pro re nata meis necessitatibus suppeterent. Quae cum ita sint, per te vides, amice lector, absque magni ingenii facultate, et unius diligentiae et assiduitatis ope illud me consequi potuisse, ut qualiscumque sit, hanc meam elucubrationem ad apicem perducerem. Gaudendum vero mihi est, quod ii viri, qui opus hoc animo conceptum comprobaverunt, re perfectum et absolutum non improbaverunt, quin etiam, si dicere liceat, pro eorum benignitate, laude prosecuti sunt.

Sed et illud insuper mihi contigit, quod singularis honoris et incredibilis felicitatis loco mihi habendum est, quod nunquam in vitae meae curriculo nedum sperare, sed neque cupere ausus essem, quod unum tot tantosque exantlatos labores cumulate rependit, scilicet, ut mei operis fronti sacratissimum SSmi D. N. nomen ex summa Eius dignatione possem inscribere: tantae ego porro maiestatis splendore involutus ac insignitus facile possum a quibuslibet obtrectatorum me telis tegere atque defendere. Cuius quidem immortalis beneficii pretio, prouti par est, declarando cum neque par mihi sit ingenii facultas, nec elocutionis ubertas, satius erit, si me tanto ponderi imparem fatear, et silentio rem illaesam relinquam, quam sermonis inopia deteram atque diminuam.

Postquam rationem consilii mei, amice lector, exposui, leges, quas in opere exarando mihi praefixerim, cognitas ac perspectas habere te velim.

In primis scias, illud mihi statutum decretumque fuisse, ne quid unquam de meo penu obtruderem, sed quae ab Apostolica Sede plane sancita sunt, dumtaxat in me-

dium afferrem. Si quid perraro occurrat, quod auctoritate non nitatur, id eiusmodi erit, ut nihil praeter testimonium meum possem proferre, cui proinde eam praebeas fidem per me licet, quam praebendam pro tuo iudicio censueris. Quin imo, tametsi id videatur forte superfluum, nihilominus admonitum te volo, me uti privatum hominem huiusmodi scripta condidisse, minime vero, et nec ungue quidem uti officialem SS. CC. sive Concilii, sive Episcoporum et Regularium, quibus mancipatus sum.

Praeterea parce admodum doctorum opinionibus innixus sum, in iis praesertim, de quibus in utramque partem a doctoribus disputatur, si demas aliquam theoricam doctrinam nulli dubio obnoxiam, ex maioris nominis doctoribus petitam, utpote sunt Bened. XIV., Fagnanus, Petra, aliique in Romana curia exercitatiores. Et sane: quid hisce opus erat, cum tot S. Congregationum almae Urbis scita ac placita satis superque in promptu sint, eademque, ut plurimum, ignota, quia recenter edita, et quidem ad usum frequentiorem opportunissima? " Si quis „ a nobis expostulet (perbelle ait Bened. XIV. *Instit. eccl. 107. „ n. VI.*), cur Sacrae Congr. decreta scriptorum opinionibus „ anteferamus, causa praesto est. Primo scriptores de quae- „ stionibus verba faciunt, illas autem S. Congregatio dis- „ solvit. Secundo, cum interpretanda Tridentina Synodus „ plerumque sit, Summi Pontifices Sacram Congregatio- „ nem eiusmodi Synodi solam interpretem statuerunt. „ Tertio, impudentissimus esset, qui contenderet, maioris „ ponderis habendum esse privatum hominem, qui suae „ tantum mentis lumine ducitur, quam sententiam praecla- „ rissimi coetus, quem amplissimi Cardinales, ecclesiasticae „ disciplinae et sacrorum canonum peritissimi, constituunt. „

Huc etiam additur, quod privati scriptores legem indicere nequeunt, at S. C. auctoritatem declarandi leges, atque etiam de novo condendi a Summis Pontificibus obtinet; deinde controversiarum enodatio ac definitio non ad privatos doctores, sed ad sacrum eum Ordinem deferri solet ac debet.

Titulum operi *De Visitatione SS. AA. LL.* inscripsi; sub hoc enim nomine vulgo statim intelligitur id, de quo agitur; ac dein S. C. causas omnes, quae ad relationem de statu ecclesiarum pertinent, uno hoc eodem titulo nuncupat. In allegandis eiusdem S. C. declarationibus praeter datam, librum ac paginam regestorum S. Congr. adnotavi, si de tempore agatur ante annum 1718., ex quo anno ducit initium *Thesaurus resolutionum*, quae in quoslibet annos in lucem eduntur, quem cuilibet consulere datur, quandocumque opus sit. Quod attinet ad resolutiones S. C. Episc. et Regul., nil praeter titulum ac datam allegari potuit: quod tamen satis est, ut, si quid recognoscendum contingat, apud acta eiusdem non difficili negotio possit inveniri.

In tertio huius operis volumine plura documenta congero, qualia sunt nonnullae potissimum Constitutiones Bened. XIV. aliorumque Pontificum, quae frequentissime in usum cadunt, et in fonte, ut aiunt, a prima ad ultimam ceram, consulere praestat. Huc ea reservavi, quia in operis corpore non parum impedimenti et incommodi exhibuissent. Denique generalem rerum singularum, quas hoc opus complectitur, indicem, veluti fastigium apposui, de cuius utilitate, imo necessitate suo loco alibi (1) verba

(1) Sc. in fine tertii voluminis immediate ante indicem materiarum.

faciam. Hic vero silentio praeterire nolim, nulli nec studio, nec labori, nec diligentiae me pepercisse, ut fontes, ex quibus mea omnia asserta hausi, vulgo *citationes,* sive SS. CC., sive doctorum aliorumve ab omni procul errore sint immunes, et accuratissime sibi conveniant respondeantque; quando enim lectori benevolo placeat hosce fontes per se recognoscere et excutere, minime, quod saepe fit, fastidire ac succensere debebit, si id, quod sibi proponit, adamussim assequi ac reperire nequeat. In quo tamen monitum velim, aliquando me doctorum auctoritates suis verbis ex toto attulisse: in his igitur si qua forte allegatio fallat vel claudicet, huius rei periculum in me nequaquam semper velle recipere: satis enim fuit, si auctoritas allegata verax sit, et amice consentiat.

Superest, ut aliqua de huius operis utilitate eloquar: neque enim quae supra de auctoris tenuitate persecutus sum, in egregii ac praeclari nostri typographi iacturam vergere patiar. Ut rem brevius expediam, tecum, lector benevole, hac utar similitudine. Si quam ex praecipuis urbis officinis, ubi peregrinae merces venales prostant, introieris, multa ex lana, lino et holosericis argento auroque contexta, multa aulaea miro artificio elaborata ac depicta, aliaque innumera maximi pretii peripetasmata invenies. At dominus officinae eas merces non texuit et elaboravit, sed tantum sua pecunia coemit, ibique congessit. Anne idcirco minoris eadem aestimabis? Non secus mihi usuvenit, qui pretiosissimas nimirum opes ex canonici iuris, Apostolicarum Constitutionum, almaeque Urbis SS. CC. declarationum thesauris collegi, easque in unum cumulum redactas exhibui. Ex hoc, nemo non est, qui aliquid in suam utilitatem capere nequeat. Porro, seposito

auctoris merito, (diligenter quod excludam, lector, attende) si id, quod ibi continetur, dumtaxat inspiciatur, illud fortasse mutuari posse videor, quod editor operis Bened. XIV. *De Synodo dioecesana* affirmabat: " Neque enim dioecesanae „ Synodi (cuius loco ego ad rem meam subrogo – Visita- „ tionis ad SS. AA. LL. –) limitibus, vel ceteroquin prae- „ seferre titulus videtur, huius operis argumentum cir- „ cumscribitur. Verum de omni Episcoporum officio, de- „ que optima ecclesiarum regendarum forma, unde po- „ puli christiani salus pendet, hic disputatur. Ad omne „ suum munus rite sancteque obeundum canonicos, pa- „ rochos, confessarios, sacerdotes huius operis lectio in- „ format. Religiosi homines, laici, ipsaeque Deo dicatae „ virgines ex hoc uberrimo fonte salutares utilitates hau- „ rire possunt: prorsus ut nihil a veritate aberraverit, „ si quis dixerit, omnibus christianae reipublicae ordini- „ bus satis hoc uno opere consultum fore. „

Extremo loco hanc veniam a venerabilibus Episcopis dari mihi postulo, si haec scribere ausus sim: id enim feci, non utique eosdem ut edocendi munus praesumerem, sed ut faciliorem iis sternerem viam, qua gravissimum hoc de statu ecclesiarum referèndo officium exsequi possent. Nihil autem de cetero magis abhorrui, quam ut magistri personam praeriperem: itaque siquid sese obiicit, quod id sapere prima facie videatur, hoc pronuntio atque profiteor, id vel inconsiderantiae, vel minus proprie loquendi rationi, nequaquam vero arrogantiae ac temeritati adscribendum esse.

ANGELUS LUCIDI.

PRAEFATIO AD TERTIAM EDITIONEM.

Opus cl. Lucidi ab omnibus iis, qui res ibi tractatas optime norunt, magni aestimatur, quippe quod praebeat commentarium solida doctrina theoretica et practica refertissimum in celeberrimam illam Instructionem, quam iussu s. m. Benedicti XIII. Sacra Congregatio Concilii edidit pro Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus et Patriarchis super modo conficiendi relationes statuum suarum Ecclesiarum, quas occasione Visitationis Sacrorum Liminum eidem Sacrae Congregationi exhibere tenentur.

Valde erraret, qui opinaretur, hunc commentarium solis Antistitibus usui esse posse; nam non solum hi et quicumque eosdem in regendis dioecesibus coadiuvare debent, sed etiam omnes alii sacerdotes in opere bo. me. Lucidi plurima scitu necessaria invenient, quae apud recentiores iuris canonici et theologiae pastoralis auctores raro adeo solide et dilucide tractata inveniuntur.

Quod in duabus prioribus editionibus stereotypis dolendum erat, et quod ipse auctor, (prout vir, et ipsi et mihi amicitia iunctus asseruit), multis lacrymis deflevit et conquestus est, illud est, quod negligentia amanuensium loca ex optimis fontibus desumpta rarissime omnino fideliter sunt excerpta, et quod incuria typographorum et illius, cui folia corrigenda erant commissa, innumeri defectus typographici irrepserunt, qui non raro id efficiunt, ut, quid valeant sententiae, et quid auctor dicere voluerit, lector videre omnino non possit. Ne videamur durius iudicare, rogamus lectorem, ut conferre velit

exempli gratia sequentes numeros tertiae editionis et priorum editionum: Dissertationis praeviae numeros 11. 14. 15. 60. 64. 65. 67., capitis primi numeros 23. 39. 142., capitis secundi numeros 3. 39. 60. 71. 72. 89. 97. 98. 101. 112. 118. 122. 123. 160. 189. 195. 197. 202., capitis tertii numeros 80. 124. 125. 143. 171. 200. 277. 280. 283. 294. 295. 299. 300. 407. 408. 434.

Quos defectus, cum in consessu aliquo doctorum virorum rogatus, quid de dicto opere Lucidiano sentirem, aperte indicassem, multi, quorum desideriis resistere mihi nefas fuisset, id enixe a me petierunt, ut novam editionem dicti operis exornandam susciperem.

Quare totum opus pluries attente perlegi et diligenter expendi, loca citata cum suis originalibus contuli et fideliter emendavi, quae auctor lingua italica tradidit, equidem in gratiam eorum, qui illam linguam non callent, latine danda curavi, plures additiones, quas inter auctoris scripta inveni, suis locis in contextu, nonnullas notulas, quas pro meliori intelligentia necessarias vel utiles iudicavi, ad calcem paginarum adieci; ad calcem autem paragraphorum vel capitum plures appendices inserui, quas in conspectu voluminum signo ✠ notavi. Pro maiori demum lectorum commoditate titulos columnarum adieci, capita et paragraphos bene distinxi, et indicem materiarum in meliorem ordinem redegi.

Verbis, quibus auctor praefationem suam concludit, ex corde subscribens hanc novam editionem Revmis et Illmis Antistitibus et reverendis sacerdotibus omni, qua par est, humilitate et veneratione offero.

Romae 2. Augusti 1882.

P. JOSEPHUS SCHNEIDER S. J.

DE VISITATIONE SACRORUM LIMINUM

DISSERTATIO PRAEVIA.

Benedictus XIII. instructionem a suo nomine nuncupatam, quam, Deo ac Deipara bene iuvantibus, exponendam et illustrandam incipimus, sacris Antistitibus propositurus, praefationem eidem praemisit, quae summam Constitutionem a Sixto V. super officio Sacra Apostolorum Limina visitandi, et relationem de statu dioeceseon exhibendi editarum prae se fert, unaque rationem adiecit, cur instructionem illam iuris publici faciendam iniungendamque decreverit, quemadmodum videre est ex ipsius tenore, quem integrum mox *(pag. 42-49.)* dabimus. Quapropter res ipsa aditum nobis aperire videtur, ut nonnulla enucleatim proloquamur, quae ad provinciam, quam ingredimur, maxime pertinent, atque adeo vestibulum ipsius operis quodammodo constituunt. Itaque quaeritur:

I. Quae fuerit Ecclesiae disciplina circa legem status dioeceseon referendi et SS. AA. LL. invisendi, antequam Sixti V. Constitutio prodiret.

Summarium. 1. Novam de statu dioeceseos referendo et SS. AA. LL. visitandis legem a Sixto V. non inductam, sed iam obtinentem solemni formae subiectam fuisse, demostrandum sumitur. - 2. S. Petrum, eiusque successores in Ecclesia Christi principes esse, pastores universales et ligandi solvendique potestate praeditos, dogma catholicum esse statuitur ex apostolicis s. m. Pii VI. literis. - 3. Inter nobiliora primatus pontificii iura illud recensetur, ut Episcopi de sua villicatione Pontifici rationem reddant. - 4. S. Paulus ad S. Petrum venit, ut eum de controversia circa legalia consuleret - 5. Corinthii Clementem Pontificem per literas, ac per Fortunatum de statu suae ecclesiae certiorem fecerunt. - 6. Idem cum Eleutherio Martyres Lugdunenses praestiterunt. - 7. S. Irenaei de potiori Romanae Ecclesiae principalitate testimonium. - 8. S. Cyprianus sede vacante ad clerum Romanum, item ad Cornelium Pontificem renuntiatum scribit, seseque apud eumdem excusat. - 9. S. Hieronymus Damasum Papam in Occidentis et Orientis consultationibus sese iuvisse testatur. -

10. Concilium Sardicense sancivit, ut Episcopi de singulis provinciis ad Pontificem referrent. – 11. Innocentius I. consultationes Pontifici factas memorat. – 12. S. Augustinus de relationibus a Concilio Cathaginiensi ac Milevitano, necnon et a se ipso Pontifici missis fidem facit. – 13. Innumeris relationibus Apostolicam Sedem fuisse consultam tradit S. Leo Magnus. – 14. Idem confirmat et inculcat obligationem, qua tenebantur Sicilienses Antistites, ut quotannis terni Romam, Concilio interfuturi, convenirent. – 15. Theodoretus, exemplo D. Pauli, S. Leonem consulit, seseque excusat, quod eum coram non adeat. – 16. In dubitationibus exortis Pontificem consulendum esse ex lege synodali tradit Avitus Viennensis. – 17. Iustinianus Imperator de edicto contra quosdam haereticos a se lato Romanum Pontificem certiorem facit. – 18. S. Gregorius Magnus Antistitibus Siciliensibus indulget, ut non amplius singulis trienniis, sed singulis quinquenniis Romam conveniant. – 19. Canon ex Gratiano desumptus Episcopos propinquos quotannis, longinquos iuxta chirographum suum Romam adire sancivit. – 20. Qui canon, licet falso Zachariae et Anacleto Pontificibus adscriptus, magni tamen habendus est. – 21. 22. S. Gregorii VII. plura de praecepto status referendi ac Romae adeundae etiam ad Abbates extenso testimonia. – 23. Formula iurisiurandi (*cap. 4. de iur. iuran.*) ab Episcopis de eodem implendo praecepto emissi a S. Gregorio VII. verius repetenda est – 24. Paschalis II. Poloniae Archiepiscopum arguit, quod Sacra Limina non visitet. – 25. Eugenio III. Archiepiscopus Atrebatensis sese sistit, deque ecclesiae suae statu refert. – 26. Hadrianus IV. de Imperatore Friderico conqueritur, quod Romanum iter praesulibus interdiceret. – 27. Innocentius III. Antiocheni Patriarchae excusationem de non visitatis AA. LL. recipit. – 28. Honorius III. Episcopo Tridentino indulget, ut singulis trienniis SS. AA. LL. adeat. – 29. 30. Alexander IV. indulta Episcopis et item Abbatibus concessa de non visitandis AA. LL. revocat. – 31. Posteriorum temporum testimonia de lege AA. LL. visitandi plena manu reperiuntur in corpore iuris canonici – 32. S. Carolus Borromaeus eam legem inculcat. – 33. Temere Febronius ex libera voluntate, non ex vi legis Episcopos AA. LL. visitasse effutit. – 34. Auctores citantur, qui hac de obligatione conscripserunt. – 35. Pontificis coram adeundi legem ex diversis fontibus ortum habuisse tradunt doctores, et affertur opinio Thomassini. – 36. Item et Hallieri . – 37. Ac van Espenii, quorum tamen sententia substantialiter non differt a sententia Thomassini. – 38. At vero haec doctorum opinio admittenda videtur circa iuramenti adiectionem, minime vero circa legem ipsam, quam ex primatu pontificio et perpetua observantia repetendam esse demonstratum est. – 39. Ex praemissis itaque constat, a Sixto V. haud legem novam inductam, sed veteri solummodo formam solemnem esse superadditam.

1. Antequam propius accedamus ad explicandam praesentem Ecclesiae disciplinam, quam s. m. Sixtus V. celebrata sua Constitutione *Romanus Pontifex* invexit circa officium, quo tenentur rerum sacrarum Antistites, referendi de statu suarum ecclesiarum, atque invisendi sacra Apostolorum Limina, operae pretium nos facturos esse ducimus, si breviter at sedulo investigare satagamus, qualis fuerit super utroque capite veteris disciplinae ratio, quae ante eam editam Constitutionem in Ecclesia praevaluerit. Nam quoad longissime potest mens nostra respicere spatium praeteriti temporis, et ecclesiasticae historiae primordia ultima recordari, inde usque ad Sixti V. pontificatum repetentes, eiusdem geminae praescriptionis vestigia reperimus, atque adeo substantiam penitus expressam deprehendimus, ita ut Summus ille Pontifex novam nullatenus legem induxisse, sed potius ei, quae iam obtinebat, solemnem quodammodo formam superinduxisse dicendus sit. Itaque hanc eruditionis partem veluti fundamentum eiusmodi sacrorum Antistitum officii iacere ac praeponere liceat, non solum ut (si id quidem vires nostrae ferant) iusta et aequa studiosorum hominum cupiditas expleatur, sed etiam ut Episcopi ad hoc episcopalis ministerii munus diligentius et alacrius obeundum excitentur.

2. Quod ut assequamur, ponimus ante omnia, quod s.m.Pius VI. apostolicis suis Literis diei 28. Nov. 1786. contra opus ab Eybelio editum solemniter proclamavit, nempe « Super soliditate » petrae fundatam Christi Ecclesiam, Petrumque singulari Christi » munere prae ceteris electum, qui vicaria potestate Apostolici » chori princeps existeret, totiusque adeo gregis pascendi, fra- » tres confirmandi, totoque orbe ligandi ac solvendi summam » curam auctoritatemque in successores omni aevo prorogandam » susciperet, dogma catholicum est, quod ore Christi acceptum, » perenni Patrum praedicatione traditum ac defensum Ecclesia » universa omni aetate sanctissime retinuit, saepiusque adversus » novatorum errores Summorum Pontificum Conciliorumque de- » cretis confirmavit. In hoc scilicet Apostolicae Cathedrae prin- » cipatu firmum voluit Christus, constrictumque teneri unitatis » vinculum, quo Ecclesia per universum mundum propaganda, ex » membris quantumcumque dissitis, mutua omnium in uno capite » consociatione in unam corporis compagem coalesceret, fieretque » adeo, ut huius vis potestatis non tantum ad primae Sedis am-

» plitudinem, sed et maxime ad corporis totius integritatem in-
» columitatemque valeret. (1) ».

3. Iamvero mirabilis huiusmodi membrorum in uno capite consociatio, quae ceteroquin ex divinis promissis usque ad saeculi consummationem perduratura est, diu consistere firma non posset, quin brevi laxata ac discissa interiret, quando inferiores gregum particularium pastores cum universali in terris pastorum principe studia sua communicare prohibeantur, et versa vice pastorum princeps unicuique ex his uniformia monita, rectissimaque ad aeternam beatitatem comparandam consilia praebere nequiret. Sed enimvero inter nobiliora supremi Ecclesiae principatus iura a rerum sacrarum tractatoribus hoc utique recensetur, ut universi catholici orbis Antistites de pastoralis sui ministerii procuratione reddere rationem, seseque summo Pontifici sistere, ac sacra Apostolorum Limina visitare teneantur. Neque immerito; namque a primis Ecclesiae incunabulis huiusmodi ius a Summis Pontificibus exercitum fuisse indubitata venerandae antiquitatis monumenta testantur.

4. A S. Paulo, doctore gentium, primum huiusce rei exemplum suppeditatum fuisse elucescit ex epistola ad Galatas cap. 1. v. 8., ubi ipse ita scribit: « Deinde post annos tres veni Ieroso-
» lymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim. » Quin insuper eumdem gentium doctorem ad Petrum sese contulisse, ut in rebus dubiis ipsum consuleret, aperte tradit Theodoretus epistola 113. ad S. Leonem (Vid. Op. Theodoreti *tom. 3. pag. 984. edit. Paris.* an. 1642) quae epistola ita incipit: « Si
» Paulus, praeco veritatis, tuba Spiritus sancti, ad magnum Pe-
» trum se contulit, ut iis, qui Antiochiae de legali conversatione
» ambigebant, explicationem ab ipso referret, multo magis nos,
» humiles et pusilli, ad Apostolicam Sedem Vestram accurrimus,
» ut Ecclesiarum ulceribus remedium a Vobis accipiamus. »

5. Sane primo Ecclesiae saeculo Corinthii Clementem Pontificem de eorum Ecclesiae statu non modo per literas, sed etiam per Fortunatum, qui eas deferebat, certiorem fecerunt, ab eoque datae sunt ad illos literae, quibus omnia considerata et provisa sunt, quaeque exstant apud Cotelerium, *(Patres Apostolici, tom. 1. pag. 143. edit. Antuerp. 1698);* easdem memorat quoque Eusebius

(1) Cfr. Concil. Vatic. Constit. dogmatica prima de Ecclesia Christi.

(Hist. eccl. lib. 5. cap. 6. pag. 187. edit. Taur. 1746), qui videndus est insuper lib. 4. cap. 23. pag. 160, ubi ostendit, qua reverentia Corinthii tum ipsas Clementis, tum Soteris, illius successoris, literas acceperint. Speciatim vero quod pertinet ad Clementis epistolam, tanto in pretio ea habita est sive penes Corinthios sive alios Orientales, ut subsequenti etiam tempore in pluribus ecclesiis publice legeretur. Ipsa vero epistola exstat etiam in *Bibl. Vet. Patrum, edit. Venet. tom. 7. pag. 9. et seq.*

6. Dein consulendus est ipse Eusebius lib. 5. cap. 3. pag. 188, ubi refert aliam legationem secundo Ecclesiae saeculo missam a confessoribus Lugdunensibus ad Eleutherium, qui creatus est Pontifex anno 177; ut videlicet de ecclesiarum statu referrent. Confer etiam epistolam Dionysii Alexandrini ad Sixtum II. (apud Coustant, *Epist. Rom. Pont. col. 260)* et Iulium *I. (Epist. 2. n. 22. ibid. col. 385)*, ubi alia huiusmodi rei monumenta reperiuntur.

7. Vulgatissimum, at nullatenus omittendum illud S. Irenaei, qui magistro S. Polycarpo usus est, floruitque post medium secundum Ecclesiae saeculum. « Ad hanc Ecclesiam (Romanam) » propter potiorem principalitatem (ipse ait) necesse est omnem » convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles, in » qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae » est ab Apostolis tradita. » *(Lib. 3. contra haeres. cap. 3).*

8. S. Cyprianus, Sede Romana vacante, clero Romano perscripsit epistolam, qua causas exponebat, ex quibus, tempore persecutionis aufugerat, quin tamen eo temporis cleri sui populique curam dimitteret. *(Epist. 55. inter Opera recognita a Stephano Baluzio, Venet. 1758. col. 199.)*. Insuper idem doctor, quem Natalis Alexander *(Dissert. 4. 1. saec. §. 4.)* versatissimum esse tradit in Ecclesiae disciplina, *(Ep. 59. loc. cit. pag. 263, et habetur etiam Ep. 12. apud Coustant n. 9., qua apud Cornelium Pontificem sese excusat, quod nonnulla de Fortunati schismate eidem non significasset):* « Nactus (ita ipse) tamen occasionem » familiarissimi hominis et clerici per Felicianum acolythum, » quem cum Perseo nostro collega miseras, inter cetera, quae in » notitiam tuam perferenda hinc fuerant, etiam de Fortunato isto » tibi scripsi. »

9. Alterum insigne profecto documentum est D. Hieronymi epistola XI. ad Ageruchiam *(tom. 1. Opp. pag. 48. edit. Rom.):*

« Ante annos plurimos cum in chartis ecclesiasticis iuvarem Da-
» masum, Romanae urbis Episcopum, et Orientis atque Occidentis
» synodicis consultationibus responderem. »

10. Permagni momenti sequitur egregium Sardicensis Concilii testimonium, quod allegat etiam Benedictus XIV. in principio suae Constitutionis *Quod sancta* diei 23. Novem. 1740. et ita se habet: « Hoc enim optimum, et valde congruentissimum esse (vi-
» detur), si ad caput, id est ad Petri Apostoli Sedem de singulis
» quibusque provinciis domini referant sacerdotes. » *Coll. Epist. Syn. ad Iulium I. apud Labbaeum. Cfr. Conc. tom. 2. col. 690. edit. Venet.* Consonant Concilii Ephesini Patres in relatione ad Coelestinum Pontificem. *(Act. eiusdem Conc. tom. 3. Labbaei col. 1187. Venet. edit.).*

11. Innocentius I. epistola 29. *(alias 24.)* respondens Episcopis Concilii Carthaginiensis contra Pelagii haeresim *(Epist. Rom. Pont. pag. 888. n. 1.)* ita scribit: « Antiquae traditionis exempla
» servantes, et ecclesiasticae memores disciplinae, vestrae reli-
» gionis vigorem non minus nunc in consulendo, quam antea
» cum pronuntiaretis, vera ratione firmastis, qui ad nostrum re-
» ferendum approbastis esse iudicium, scientes, quid Apostolicae
» Sedi... Apostolum, debeatur, a quo ipse episcopatus, et tota au-
» ctoritas nominis huius emersit. » Et epist. 30. ad Conc. Milevit.
» *pag. 895. n. 1. et 2.:* « Inter ceteras Romanae Ecclesiae curas, et
» Apostolicae Sedis occupationes, quibus diversorum consulta fideli
» ac medica disceptatione tractamus... diligenter et congrue Apo-
» stolici consulitis honoris arcana... super anxiis rebus, quae sit
» tenenda sententia: antiquae scilicet regulae formam secuti,
» quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam. »

12. Adeatur etiam D. Augustinus, epistola 186. ad Paulinum *(alias 106. n. 2. 505. tom. 2. Op. edit. Antuerp. anni 1770),* ubi et ipse testatur relationes de Conciliis Carthaginiensi ac Milevitano D. Innocentio missas fuisse, simulque refert, sese familiares eidem dedisse literas, ubi diutius aliquanto de Pelagii haeresi agebat. « Ad omnia nobis ille (Innocentius) rescripsit eo modo, quo
» par erat, atque oportebat Apostolicae Sedis Antistitem. » Ad maiorem intelligentiam eorum, quae ab Innocentio edicuntur, non est silentio praetereundum, Patres duorum illorum Conciliorum in literis, quibus Pontifex responderat, deplorabilem exposuisse statum ecclesiarum Palaestinae et Africae, quas Pelagiani pluri-

mum perturbaverant; eaque ex causa apostolici Pastoris opem implorabant; quas literas legere est in editione operum S. Augustini, quae curantibus Monachis Congregationis S. Mauri prodiit Parisiis an. 1679. *(tom. 2. pag. 620. et 639.)* Bened. XIV. *de Syn. dioec. l. 13. cap. 6. n. 12.*

13. S. Leo Magnus epistola 10. ad Episcopos per prov. Vienn. *(tom. 1. Oper. col. 634. curantibus Ballerinii, Venet. 1753.)*: «Verum haec nos, Deo, ut credimus, aspirante, servata circa vos nostrae charitatis gratia, quam Sanctitati vestrae Apostolica semper Sedes, ut meministis, impendit, nitimur consilio maturiore corrigere, et vestrarum ecclesiarum statum, communicato vobiscum labore, componere, non nova instituentes, sed vetera renovantes: ut in status consuetudine, quae nobis a nostris patribus est tradita, perduremus, et Deo nostro per boni operis ministerium, remotis perturbationum scandalis, placeamus. Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat, Apostolicam Sedem pro sui reverentia a vestrae etiam provinciae sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, et per diversarum, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellationem causarum, aut retractata, aut confirmata fuisse iudicia.»

14. Idem S. Leo epistola 6. ad universos Episcopos per Siciliam *(loc. cit. col. 724.)*: «Quare (ipse ait) illud primitus pro custodia concordissimae unitatis exigimus, ut, quia saluberrime a sanctis Patribus constitutum est, binos in annis singulis Episcoporum debere esse conventus, terni semper ex vobis ad diem tertium Kal. Oct. Romam fraterno concilio sociandi indissimulanter occurrant: quoniam, adiuvante gratia Dei, facilius poterit provideri, ut in ecclesiis Christi nulla scandala, nulli nascantur errores, cum coram beatissimo Apostolo Petro id semper in commune tractandum sit, ut omnia ipsius constituta, canonumque decreta apud omnes Domini sacerdotes inviolata permaneant.»

15. Theodoretus in memorata epistola ad Leonem Magnum, dum Romae Sedis supremum principatum reveretur et asserit, multa affert huius rei argumenta, inter quae ita scribit: «Habet praeterea (Romana Sedes) communium patrum, magistrorumque veritatis, Petri et Pauli sepulchra, fidelium animas illuminantia.» Quoniam vero Theodoreti doctrina in suspicionem ab aliquibus traducebatur, idem ad Summum Pontificem idcirco recurrit, et ait: «At ego Apostolicae Vestrae Sedis exspecto sententiam,

» et oro atque obtestor Sanctitat. Tuam, ut mihi rectum ac iustum » tribunal vestrum invocanti opem ferat, iubeatque ad Vos venire, » et doctrinam meam Apostolicis vestigiis inhaerentem ostendere.» Interim ad S. Leonem nuntios Hypatium et Abramium Choroepisc. et Alypium monachum mittit, quippe qui ipse Romam pergere impediebatur «quandoquidem (ita ille) ne ad vos contenderem, re» giarum literarum vincula retinuerunt, quemadmodum et alios. »

16. Legatur epistola Aviti Viennensis ad urbis senatorem an. 503. perscripta *(tom. 2. Conc. ed. Paris. 1714)* et altera eiusdem epistola, *(quae est numero 36. in editione Sirmondi)* scripta paulo ante, nempe anno 490; ubi de se aliisque Episcopis loquens ait: « Scitis synodalium legum esse, ut in rebus, quae ad » Ecclesiae statum pertinent, si quid dubitationis fuerit exortum, » ad Romanae Ecclesiae maximum sacerdotem, quasi ad caput » nostrum, membra sequentia recurramus. »

17. Singulari mentione dignum arbitramur alterum pretiosissimum documentum, quod cuique obvium esse potest, nimirum Imperatoris Iustiniani in *L. 7. et 8. Cod. de summ. Trin.* Idem porro edictum promulgaverat contra quosdam, qui Nestorii et Eutychetis haeresim secuti fuerant: huius itaque rei idem Imperator *(L. 7. l. c.)* certiorem facit Constantinopolitanum Patriarcham eique nuntiat, similes eadem de re literas ad ipsum SSm̃um Papam veteris Romae sese perscripsisse. « Neque enim, (ipse inquit) pa» timur, ut quidquam eorum, quae ad ecclesiarum spectant sta» tum, non ad eiusdem referatur beatitudinem, cum ea sit caput » omnium sanctissimorum Dei sacerdotum, vel eo maxime quod, » quoties in eis (locis) haeretici pullularunt, et sententia et recto » iudicio illius venerabilis Sedis coerciti sunt. » Sequenti vero *L. 8. loc. cit.* refertur epistola ab eodem Imperatore S. Ioanni Pontifici Romano conscripta, in qua vel ipsis fere verbis una eademque sententia exprimitur de necessitate referendi Romano Pontifici cuncta, quae ad omnium ecclesiarum statum adtinerent. Qua de re Ioannes Pontifex, grati animi ergo, literas omni laude refertas Iustiniano rescribit, quas eodem loco legere quisque potest. Interim benignus lector animo recolat, quanto maiori vinculo obstricti fuisse dicendi sint Episcopi, ut suarum ecclesiarum rationes Summo Pontifici renuntient, quando tantus Imperator, laicus tamen, eidem Sanctitati Suae non solum de sacris rebus referre, sed et de actibus suis rationem reddere religioni sibi ducebat.

18. Sed pergamus ad ulteriora; nam quanto plus Ecclesia Christi mite suum propagabat imperium, eo rectius et exactius regiminis sui formam ordinabat, certasque ad rem leges et instituta sanciebat. Et sane; quo tempore S. Gregorius Magnus suarum virtutum ingentisque ingenii splendoribus illustrabat Ecclesiam, lege cautum fuisse colligitur, ut Episcopi in Sicilia constituti, tertio quoque anno Romam accedere tenerentur. Attamen S. Gregorius benigno animo eisdem indulsit, ut deinceps, nonnisi singulis quinquenniis, huiusmodi iter suscipere deberent, ut ipse scripsit ad Cyprianum Diaconum *(Epist. 22. lib. 7. tom. 2. Oper. col. 866. et seq.)*, ibi: « Novit dilectio tua, hoc olim consuetudinem tenuisse, ut fra-
» tres et Coepiscopi nostri Romam semel in triennio de Sicilia con-
» venirent; sed nos, eorum labori consulentes, constituisse, ut
» suam huc semel in quinquennio praesentiam exhiberent. »

19. Gratianus in suo Decreto *(cap. 4. distinct. 93.)* hunc refert
» canonem: Iuxta sanctorum Patrum et canonum instituta omnes
» Episcopi, qui huius Apostolicae Sedis ordinationi subiacent, qui
» propinqui sunt, annue circa Idus Maii Ss. Principum Apostolo-
» rum Petri et Pauli Liminibus praesententur, omni occasione se-
» posita (1): qui vero de longinquo, iuxta chirographum suum
» impleant. Qui autem huius Constitutionis contemptor extiterit,
» praeterquam si aegritudine fuerit detentus, sciat se canonicis
» subiacere sententiis. » Huiusmodi canon in communibus Decreti editionibus Anacleto simul et Zachariae Papae adscribitur: sed falso circa Anacletum; nam canon ipse desumptus est ex Concilio Romano habito anno 743. sub Zacharia Papa, prouti videre est canon 3. *(tom. 3. Collect. Harduini col. 1921.)*.

20. Nihilominus in magno pretio habendus est ex eo, quod in praescribendo Romano itinere ad sanctorum Patrum et canonum decreta sese refert: ex quo apertissime elucet, multo ante tempore eam legem extitisse. Berardus in suo opere *Gratiani Canones genuini ab apocryphis discreti, p. 2. tom. 1. cap. 2. circa fin.* de hoc canone agens, haec scite et ad rem nostram animadvertit:
» Decebant potius haec Zachariae tempora, qui medio octavo sae-
» culo summum tenebat pontificatum, non Anacletum, cuius tem-
» pora teterrima erant in perniciem Ecclesiae. Iamvero ego agno-
» verim, unde fieri potuerit, ut huiusmodi decretum Zachariae

(1) Id est: « Nulla temporum habita ratione. »

» simul et Anacleto tribueretur. Factum hoc arbitror ex adno-
» tatione alicuius interpretis vel glossographi; cum enim ibidem
» statuatur, Episcopos Romanae provinciae debere quotannis Ro-
» mam ire, eosque, qui, iusta existente causa, nequiverint, id se
» chirographo suo significare, quod est *iuxta sanctorum Patrum*
» *et canonum instituta* ibidem memorata, designarentur, voluit
» glossographus id ab Anacleto repetere, alludens fortasse ad *con-*
» *gregationem Summorum*, quae Romae *congregari* consueverat,
» iuxta illud, quod dicitur in epist. 1. Anacleto adscripta, sive
» in *Can. 3. Caus. 2. qu. 6.*, aut alludens ad id, quod dicitur in
» epist. 2, eidem Anacleto tributa, sive *in Can. 2. Dist. 64.*, vide-
» licet, quoties facienda imminet Episcoporum ordinatio apud
» Summum Pontificem, comprovinciales Episcopos Romam accur-
» rere debere, aut, si nequeant, consensum suum scripto signi-
» ficare. »

21. Post haec ad tempora S. Gregorii VII. gradum facimus, penes quem multa, quae huc pertinent, opportuna reperiuntur in eius epistolis; hae porro non parum luminis afferre videntur. Idem igitur lib. VI. ep. 30. *(apud Labbaeum tom. 12. col. 448. edit. Venet.)* Lanfrancum Archiep. Cantuariensem arguit, quod se non visitaverit a tempore suae assumptionis: cumque huius rei causam Regem Angliae fuisse novisset, hortatur, ut eumdem admoneat, ne quid iniustum contra Romanam Ecclesiam praesumat, ipse vero Lanfrancus quantocius ad se veniat. Item aliam epistolam eidem Lanfranco anno 1081. perscribit *(lib. 9. ep. 20. apud Labbaeum l. c. col. 520)* eumdemque monet, ut Apostolorum Limina visitet: insuper eidem significat, « multos longe remotos, » licet corpore invalidos et infirmos, et a lectulis vix valentes, sur- » gere tamen B. Petri amore flagrantes ad eius Limina vehiculis » properare. » Quod si ad festum Omnium Sanctorum non acces- » sisset, eidem indicit, ut « omni sis officio episcopali suspensus ».

Subinde in epist. 1. *(lib. 9. apud Labb. loc. cit. colum. 505)* Archiepiscopum Rothomagensem idem Pontifex coarguit, quod nec ipse, nec eius suffraganei ad Apostolorum Limina perrexerint; itaque, si diutius differant, minatur, quod « potestatem B. Petri » per nos quanto dilatiorem, tanto severiorem pro contemptu » experiantur. » Libro 6. epistola 36. *(apud Labbaeum l. c. colum. 453)* ad Iordanum, principem Capuanum inter alia reprehendit, quod Episcopum ad AA. LL. venientem ausus sit impe-

dire, et, quod ferebat, more praedonum auferre. Itidem lib. 7. epistola 13. *(apud Labb. l. c. col. 466)* ad Episcopum Virdunensem, Theodorum, similiter queritur, quod Episcopum Laodicensem AA. LL. adeuntem Arnulphus comes rebus suis expoliare non erubuerit. Libro 8. epistola 1. *(Labb. loc. cit. col. 456)* ad Hubertum subdiaconum lamentatur, quod Angliae Rex anno 1079. Episcopos et Archiepiscopos ad AA. LL. ire tam irreverenti et impudenti animo prohiberet.

22. Denique lib. 1. Ep. 62. *(l. c. colum. 281)* ad Hugonem abbatem Cluniacensem, miratur, eum ad visitandam Apostolicam Sedem non accessisse, eumque monet, ut sui muneris partes implere non praetermittat. Et libro 2. epistola 32. *(loc. cit. 622. ac 323)* ad Manassem Rhemensem Archiepiscopum accipit excusationem eiusdem ex eo, quod AA. LL. visitare nequiverit.

23. In Decretalibus Gregorii IX. *ad cap. 4.* Ego N. *de iur. iurando* inserta est formula iuramenti, quam quisque Episcopus in actu suae consecrationis emittit, ubi praeter alia, quae Summo Pontifici eiusque successoribus novellus Episcopus adpromittit, ultimo loco legitur: « Apostolorum Limina singulis annis aut per » me, aut per certum nuntium meum visitabo, nisi eorum ab» solvar licentia. » Cum textus iste Gregorio in Decretalibus adscriptus sit, hinc nonnulli huiusce formulae auctorem faciunt S. Gregorium Magnum, nonnulli Gregorium II., nonnulli Gregorium III; Molinaeus vero a Gregorio IX. primum inductam fuisse calumniose obtrudit. At perperam; nam Gonzalezius ad lib. 2. Decretal. de eodem iuramento agens, solidissimis argumentis ostendit, eamdem formulam a Gregorio VII. repetendam esse, cuius sententiae subscribunt cordatiores canonici iuris interpretes, quos inter eminet Benedictus XIV. *de Syn. dioec. lib. 13. cap. 6. n. 12.*

24. Paschalis II., qui Pontifex renuntiatus est anno 1099., Archiepiscopo Poloniae conscripsit epistolam, quae integra legitur in prima compilatione Antonii Augustini, necnon apud Labbaeum *(loc. cit. colum. 971)*. Aegre idem Archiepiscopus adduci potuerat, ut sacramentum praestaret super impetratione pallii, aliisque de rebus, quas inter AA. LL. visitatio recensebatur. Itaque eum monuit Pontifex, Metropolitanos omnes totius orbis, remotissimos etiam, et ultra ipsius Poloniae fines longe dissitos, sacramentum illud edere, eosdemque Apostolorum Limina non triennio tantum quolibet, sed singulis annis saltem per delega-

tos visitare. « Numquid vos ultra Daci consistunt? et tamen eo-
» rum Metropolitani et idem iuramentum asserunt, et Apostolo-
» rum Limina per legatos suos, non tantum per triennium, sed
» singulis annis visitant. »

25. Eugenius III., qui pontificatum adeptus est anno 1145., epistolam clero et populo Atrebatensi conscripsit, ex qua colligitur, Episcopum Atrebatensem anno circiter 1148. Romam profectum esse, multaque Summo Pontifici de statu suae dioeceseos retulisse *(Vet. script. t. 2. p. 228. Gesta Trevir. Archiep.).*

26. Hadrianus IV., qui pontificatum iniit anno 1154., vehementer conqueritur, quod Imperator Fridericus I., quocum gravissimae dissensiones intercesserant, edictum promulgasset, quo Romanas peregrinationes interdicebat. Ita enim eidem perscribebat epistola 4. ad Fridericum Imperatorem *(apud Labbaeum tom. 13. col. 18. edit. Venet.):* « Sane quod postmodum personas
» ecclesiasticas a debita sacrosanctae Romanae Ecclesiae visita-
» tione, ut dicitur, revocare iussisti, si ita est, quam inconve-
» nienter actum sit, tua, fili in Christo charissime, discretio, ut
» credimus, recognoscit. Nam si aliquid apud nos amaritudinis
» habebas, per nuntios et literas tuas nobis fuerat intimandum.»
Hic speciatim adnotari debet vocabulum illud *debita,* unde ostenditur, visitationem ab Imperatore Friderico interdictam, non fuisse actum voluntarium et liberum, sed obligationis vim habentem et propterea necessarium.

27. Inter Innocentii III. Rescripta unum exstat, quod pertinet ad Patriarcham Antiochenum, qui cum iuxta obligationem suam quarto quoque anno ad visitanda Apostolorum Limina, reddendamque rationem de administratione ecclesiae suae Romam venire debuisset, neque id, certis impedimentis obsistentibus, exsecutus fuisset, excusationes suas Pontifici miserat; qui sane eas benigne admisit, sed simul Patriarcham admonuit, ne in posterum suo officio deesset. Facti series exponitur in *Historia Pontif. Iurisd.* quam edidit Roussel *(lib. 3. cap. 1. n. 11). Vide Bened. XIV. l. c. lib. 13. cap. 6.*

28. Honorius III. Gerardo Episcopo Tridentino per Apostolicas Literas datas Idibus Ianuar. 1224. incipien. *Dei providentia,* quae leguntur apud Ughellium *(vol. V. pag. 604. edit. Venet.)* indulget, « ut per se vel per nuntium nonnisi de triennio in triennium
» visitare Sedem Apostolicam teneatur ».

29. Pontificatum obtinente Alexandro IV. compertum est, nonnullos Episcopos, ut ab incommodo Romani itineris sese eximerent, indulta specialia tum ab Innocentio IV., tum ab ipso Alexandro petiisse et impetrasse, ne statis temporibus tenerentur ad Apostolica Limina se sistere, et relationem status suarum ecclesiarum exhibere. Verum Pontifex edita Constitutione incipien. *Importuna nimis* XIII. Nonas Augusti 1257. omnia huiusmodi indulta eatenus concessa revocavit, ut videre est apud Raynaldum ad ann. 1257. n. 50., necnon in Bull. Mag. tom. 3. pag. 383. « Sane nonnulli (ita ibi) ecclesiarum Praelati obtinuerunt sibi » per Sedem Apostolicam importune concedi, ut non tenerentur » Sedem eamdem usque ad certa tempora visitare contra formam » praestiti iuramenti... » Cui incommodo occurrere cupit, « quia « non est facile recedendum ab eo, quod a praedecessoribus no- » stris super hoc diu excogitatum extitit et obtentum; itaque » de fratrum nostrorum consilio indulgentias et concessiones hu- » iusmodi Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, et » aliis ecclesiarum Praelatis concessas, auctoritate praesentium » revocamus. » Vide Benedict. XIV. *l. cit.*

30. Animadvertendum hic est, munus relationem de statu ecclesiae exhibendi, et sacra Limina Apostolorum adeundi commune hic haberi cum Abbatibus, et aliis ecclesiarum Praelatis. Etiam Gregorius VII. eiusdem huiusce rei testimonium perhibet in epistola ad Hugonem Cluniacensem Abbatem, de qua supra *(n. 22)* verba fecimus.

31. Abstinemus ab aliis afferendis monumentis, quae ad posteriorem aetatem referuntur; namque cuique obvium est iuris canonici corpus inspicere, in quo tam copiosam aptamque huiusmodi rei supellectilem invenire datur, ut inutilem ac plane supervacuum laborem assumere videremur, si pauca etiam summis veluti pedibus percurreremus.

32. At facere non possumus, quin chronologicam monumentorum seriem, quam adhuc praetexuimus, claudamus exemplo S. Caroli Borromaei, de quo Giussanus in eius vita testatur, numquam destitisse ab Apostolorum Liminibus tertio quoque anno visitandis. Quin imo et ipse S. Carolus in Concilio suo Mediolanensi VI. constitui curavit, ut, quando inter ordinationis suae solemnia iurabant se singulis annis monumenta Apostolorum invisuros ne contra residentiae leges tam crebro ac diu subdu-

cant se suis ecclesiis, Episcopi singuli quotannis delegatum Romam mitterent, qui ecclesiae suae regimen mores et disciplinam apprime calleret, et de his Pontificem certiorem facere posset.

33. Re ad hunc locum adducta, manifesto liquet, quam temere et inepte Febronius, sive qui eius nomen mentitus est (1), aliique cum eo idem sentientes asserere non dubitaverint, usum adeundi Apostolicam Sedem primitus ex libera voluntate ortum habuisse, sed postea a Romanis Pontificibus in perfecti praecepti legem conversum esse. Namque (ceu principium statuimus) huiusmodi obligatio adamussim respondet illi iuri ac privilegio, quod Romano Pontifici ex divina institutione inhaeret, et ex ipso supremi sui in Ecclesia universa principatus fonte derivatur. Plenam insuper confirmationem (idque pariter numeris omnibus nos absolvisse confidimus) accipit ex antiquissima observantia, quae ab ipso doctoris gentium exemplo iuxta Theodoreti auctoritatem habet initium, et constantissime in Ecclesia Dei, nulla saeculorum interruptione, ad haec usque tempora custodita fuit.

34. Per se quisque videt, nos per ecclesiasticae vetustatis campos cursim pervolitantes summis veluti labiis potiora monumenta praelibasse. At qui plura desiderat, adeat clarissimum Fagnanum in *II. libr. Decretalium, cap. 4. de iureiurando,* Hallierum *de sacr. Ordinat. Sect. VI.* §. *1. pag. 286. et seq.,* Gonzalez in *Lib. 2. Decret. cap. 4. de iureiurando;* Thomassinum *de vet. et nov. Eccl. disciplina p. 2. lib. 3. cap. 42;* van Espen *Ius. eccl. P. 1. tit. XV. cap. II. n. 17.,* Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. 13. cap. 6. n. 12.,* Catalanium *Com. ad Pontificale Romanum t. 1. pag. 181. ab art. IX. ad XVI.,* Mamachium *del dirit. lib. della Chiesa lib.* 3. *pag. 2. c.* 3. *not. 1. pag. 18. et seq.* necnon librum, cui titulus *Quis est Petrus, p. 3. coroll. 2.,* et Zaccariam *Antifeb. tom. 3. lib. 1. c. 1.*

35. Hactenus promiscue verba fecimus de utroque capite tum renuntiandi Summo Pontifici res ad ecclesiam pertinentes, tum sacra Apostolorum sepulchra coram venerandi. Pauca nunc singulatim de secundo capite; namque de primo nihil est hinc amplius investigare, quo ex fonte relationum de ecclesiae statu mittendarum ratio profluxerit; sperare nos quippe iuvat, quod satis superque demonstratum appareat, eam ex insita pontificii pri-

---

(1) J. N. de Hontheim, discipulus van Espenii, Suffraganeus Treviren.

matus vi, et nunquam interrupta saeculorum observantia proficisci. Itaque, ad alterum quod pertinet, auctores de antiqua Ecclesiae disciplina pertractantes varios adsignant fontes, ex quibus isthaec Apostolicorum Liminum visitandorum disciplina deducit originem. Thomassinus *de veteri et nova Ecclesiae disciplina, p. 2. lib. 3. cap. 42.* autumat, Romanas peregrinationes inniti potuisse quinque praesertim titulis; et quidem *primo* antiquissimae consuetudini ecclesiae metropolitanae ab Episcopis adeundae, et cathedralis ecclesiae a fidelibus quotannis invisendae: nam quo cultu cathedralem ecclesiam a suis dioecesanis Episcopi observari curabant, eodem et ipsi metropolitanum Antistitem, eiusque templum prosequebantur. *Secundo* ille pietatis affectus erga sepulchra BB. Apostolorum Petri et Pauli, qui semper, praesertim medio aevo, totius catholici Orbis fideles ad almam Urbem attrahebat, idem ipse imo multo magis rerum sacrarum Praesules ad almam Urbem advocabat. *Tertio* necessitas, qua adiguntur Metropolitani, pallium ex ipso S. Petri altari recipiendi, Romam adire cogebat; namque antiquiori tempore honor pallii non concedebatur nisi iis, qui Romam venissent, ipsumque per se a Summo Pontifice postulassent, teste Benedicto XIV. *de Syn. dioec. lib. 13. cap. XV. n. 18. in fin. Quarto* loco recenseri potest necessitas accedendi Romam, qua tenebantur Episcopi, ut vel synodis, vel sacris ordinationibus interessent; cum enim Summus Pontifex intra Capuanam et Pisanam provinciam Metropolitani, per totam Italiam et insulas adiacentes Primatis personam agat, hinc est, quod ea iura, quae super Episcopis inferioribus tum ad Metropolitanos, tum ad Primates ex canonica lege pertinent, eadem super Episcopis intra Capuanam et Pisanam provinciam, itemque Italiae, insularumque adiacentium ad Pontificem eadem ratione pertineant. *Quinto* denique aut propriae ecclesiae, aut Ecclesiae universalis causa Episcopi Romam adventabant. Namque Episcopi vel ut in dubiis sui regiminis negotiis Apostolicae Sedis consilia ac monita salubria peterent, vel ut Summum Pontificem sua operâ in universalis Ecclesiae procuratione adiuvarent, ad sacram catholici imperii metropolim accedere compellebantur.

36. Hallier *de sac. Ordinat. (sect. VI. §. II. pag. 236. et seq.),* quem sequitur Catalanius *Comment. ad Pontificale Roman. (tom. 1. pag. 181.)* ex triplici fonte obligationem visitandi sacra Limina derivat: qui tamen fontes iidem sunt, tametsi contractius expo-

siti, ac ii, quos Thomassinus fusius explicat; etenim *primo* loco idem recenset Concilia, quae Pontifex vel uti Metropolitanus, vel uti Primas in obscurioribus fidei vel ecclesiasticae disciplinae negotiis indicebat; *secundo* ordinationum ius, quod Conciliorum convocationi solebat esse connexum; *tertio* necessitatem, in qua versabantur Archiepiscopi, ut a Romano Pontifice coram instanter, instantius et instantissime pallium efflagitarent.

37. Thomassini et Hallieri opiniones complectitur van Espen *(Ius ecclesiast. univ. P. 1. tit. XV. cap. 2.)*, qui licet Apostolicae Sedi, ut plurimum, infensus, tanta veritatis luce perculsus ac victus, hanc eidem Sedi praerogativam non adserere nequivit; itaque rem multo brevius ac simplicius ita conficit expeditque *(n. 17. 18. ac 19.)* ibi: « Hic ergo manifestum est, obligationem » veniendi Romam, a S. Leone elici ex obligatione accedendi » ad Synodos provinciales. Cum vero iuxta pristinam disciplinam, » Episcopi ad eius spectarent synodum, a quo ordinationem ac- » ciperent, facile intelligitur, cur Episcopi ordinationi Sedis Apo- » stolicae immediate subiecti ad Limina Apostolorum accedere » specialiter adstricti essent. – Hic ulterius intelligimus, quare » haec obligatio citius Metropolitanis, quam Episcopis ceteris » imposita sit: uti colligitur ex epistola 6. Paschalis II., quia sci- » licet Metropolitanorum ordinatio citius, quam Episcoporum ad » Sedem Apostolicam translata est, atque Metropolitani ab eadem » Sede pallium, et cum eo plenitudinem sacerdotii accipere con- » sueverant. Quod intelligens antiquus iuris canonici glossogra- » phus *ad cap. 4. de iureiur.* verbo *singulis annis* notavit, obli- » gationem visitandi Limina Apostolorum, de qua in citato capi- » tulo, intelligendam de Archiepiscopis et Episcopis, qui sub- » sunt Domino Papae nullo medio. Additur in margine ex Ioanne » Andrea: *Idem servatur in aliis, si confirmationem, consecra-* » *tionem vel pallium a Papa recipiunt.* Translata ergo non tan- » tum Metropolitanarum, sed et Episcoporum confirmatione et » consecratione ad Sedem Apostolicam, una ipsa obligatio vi- » sitandi Limina Apostolorum, sive accedendi ad Sedem Apo- » stolicam, cuius iam ordinationi omnes immediate censentur » subiici, generaliter ad Episcopos una cum iuramento extensa » fuit. »

38. Super hac, quam exposuimus, doctorum opinione liceat nobis aliqua benigno lectori diiudicanda proponere. Duo hic di-

stinguenda sunt, videlicet lex ipsa adeundi Apostolica Limina, et iuramentum, quo ad eam legem accurate exsequendam sese Episcopi in actu consecrationis obstringunt. Quod enim iurisiurandi adhibitio ortum habuerit ex eo, quod Apostolica Sedes electionem consecrationemque omnium Episcoporum ad se revocavit, facillime dederim; quod autem idem de ipsa AA. LL. visendi lege dicendum sit, non ita quidem; namque multo altius haec res repetenda esse videtur. Etenim plura sunt, quae aliter sentire suadent. Porro publicorum tabellariorum usus primis Ecclesiae temporibus non aderat. Summus Pontifex in christianorum principum aulis suos nuntios stabiliter ac certo non retinebat, nec item christiani Principes oratores suos penes Apostolicam Sedem. Cum igitur Episcopis aliquid occurreret, quod sanctae Sedi referendum foret, nil medium erat: vel per se, vel per viros a se delegatos id praestare omnino debebant. Hoc in rerum statu, quid naturale magis, quam quod Episcopi, vel viri ab eo delegati Petri et Pauli sepulchra, animas illuminantia, veluti scribebat Theodoretus, venerarentur, cum praesertim nunquam summa in sanctos Apostolos religio ac pietas in toto catholico orbe deferbuerit? Praeterea universos Episcopos ad legem, quae iam esset, iurisiurandi fide constringere difficile sane non erat; at vero legem hanc prorsus novam et inusitatam illico ferre et stricte servandam imponere, idque sine ulla difficultate et querela, non ita profecto fieri potuisse crediderim. Nonne igitur hisce de causis arguendum est, Romam petendi legem ortum habuisse multo ante, quam Summus Pontifex ad se electiones et consecrationes avocasset? Quaeri posset, quonam adamussim ex tempore res haec acciderit. Silva isthaec est dumis ac vepribus obsita, quam nostrarum virium non esse ducimus ita exscindere et exstirpare, ut, expurgato vetustatis horrore, a latebris veritas eliciatur. Attamen optandum foret, ut aliquis existat eruditus vir, qui veterum monumentorum thesauris penitus investigatis rem hanc in apertam lucem proferre satagat, simulque ostendat, quanta fide Apostolica Sedes pristina instituta teneat, nova difficillime recipiat.

39. Ceterum, ut sermonis nostri aliquando vela contrahamus, nobis satis erit propositum argumentum ita confecisse, ut aperta luce clarius appareat id, quod initio statuimus, sapientissimum Pontificem Sixtum V. in eo, quod suam Constitutionem *Romanus*

Pontifex promulgavit, novam haud plene legem statuisse, sed illi, quae iam diu erat in Ecclesia, solemnem formam tantummodo suo calculo accommodasse.

II. De utilitate Visitationis SS. LL. et Relationis status ecclesiarum, deque iuramento et iis, quae in eo edendo servantur.

Summarium. – 40. Utilitas et necessitas statum dioeceseos referendi, et SS. AA. LL. adeundi iuxta Sixti V. Constit. *Romanus Pontifex* ostenditur. – 41. Eadem non minuitur ob faciliorem hodiernam rerum ac personarum communicationem. – 42. Relationum transmittendarum utilitas confirmatur ex agendi ratione tum S. C. Concilii, quae huiusmodi officium parochis Fulginatensibus iniunctum comprobavit, tum S. C. Episc. et Regul., quae novellorum institutorum Generalibus triennalem relationem sibi exhibendam imponit. – 43. Aptius eius legis absolvendae tempus illud est, quod dioeceseos visitationem pone sequitur. – 44. Eiusdem legis observationem iureiurando Episcopi adpromittere tenentur. – Olim iusiurandum huiusmodi in manibus Cardinalis Diaconi in ordine prioris, vel eius delegati edebatur. – 45. Hodie vero ritus antiquus nonnihil immutatus est. – 46. Quos ritus servent Archiepiscopi et Episcopi in iureiurando edendo? – 47. Quos Archiepiscopi et Episcopi Cardinalitia dignitate fulgentes? – 48. Cardinalis Decanus, tamquam Episcopus Ostiensis, pallii privilegium obtinet. – 49. Qui ritus servetur, si quando Pontifex ipse Archiepiscopum aliquem consecrare dignetur? – 50. Iuramenti formula, quae a Praesulibus titularibus adhibetur est brevior; at quae adhibetur a Praesulibus residentialibus, longior. – 51. In translationibus Episcoporum iuramentum iteratur. – 52. Si primus Diaconus non adsit in Consistorio, eius vices obeundi ius habet primus Diaconus Cardinalis praesens. – 53. Item si primus Diaconus praesens quidem sit, sed hanc caeremoniam perficere nequeat. – 54. Unde ea, quae dicta sunt, fuerint excerpta?

40. Utilitatem, imo necessitatem sacra Apostolorum Limina visitandi statusque dioeceseos referendi, non est hic, cur fuso sermone explicemus. Id enim satis superque praestitit Sixtus V. in Constitutione *Romanus Pontifex* diei 20. Decembris 1585. quam totam dabimus in volumine III. sub num. 1. Multa insuper sparsim iam in articulo praecedenti praeoccupavimus. Illud potius facere non possumus, quin advertamus, nostris hisce temporibus, quibus humanum ingenium mirifica ad rhedarum, naviumque velocitatem incredibiliter adaugendam reperit adiumenta, et in

usum commoditatemque humanae societatis invexit, facilius ac citius quam antea terra marique longissima etiam itinera percurri posse, adeoque multo expeditius et crebrius Sixtinae legi adamussim parere datum esse.

41. Neque vero utilitatis et necessitatis huiusce causa minuitur ex eo, quod ob institutos ubique publicos tabellarios literas dare et accipere in dies facile est, et non pauca negotia pertractantur et expediuntur, quin coram adesse necessarium sit. Nam quamplurima nihilosecius procul dubio supersunt, in quibus, nisi os ad os alloquaris, omnino nequeas tuam sententiam explicare ea, qua par est, perspicuitate et accuratione; nequeas circumstantias omnes et adiuncta rerum enucleare; nequeas difficultates, quae pro re nata oriuntur, dissolvere, neque tot ac tantis necessitatibus occurrere, quae ante provideri non potuerunt. Ad haec accedit, quod permulta accidant nonnunquam, quae secreti fidem ita postulent, ut scripto ea consignare periculosum quam maxime sit. Hinc s. m. Benedict. XIII. in Romana Synodo anni 1725. *(tit. 13. cap. 1.)* Episcopos admonet, « ne ita » passim personali ab hac visitatione se dispensent; monita hic » multa et sane proficua eorumdem sanctorum ecclesiae Princi- » pum patrocinio e Summi Pontificis vivae vocis oraculo per- » cepturi, quae scriptis aliquando nequeunt consignari. »

42. Quantae utilitatis censeatur statuum referendorum utilitas, duo, quae modo subiicimus, magis magisque demonstrant. Primum est, quod in Synodo Fulginatensi Troili sancitum fuerat, ut omnes animarum pastores singulis mensibus ad Episcopum, vel Vicarium Generalem accedere tenerentur, nisi legitimo impedimento prohibiti forent, ut rationem de cura animarum, de ovibus sibi commissis, aliisque rebus ad statum parochiarum pertinentibus referrent. Hoc onere gravatos sese fuisse rati Fulginatensis dioeceseos parochi conquesti sunt apud S. C. Concilii ac ab huius decreti observantia sese eximi expetiverunt. At S. C. Conc. die 14. Iunii 1704. rescripsit, « parochos oratores teneri » vel per se, vel per epistolam curiam episcopalem de statu eo- » rum parochialium certiorare ad formam synodalis decreti; cen- » suit tamen iniungendum, prout praesentis decreti tenore in- » iungit Ordinario, quatenus moderate se gerat quoad poenam » in dicto decreto synodali appositam. » Supplex libellus cum Rescripto legitur in Append. Synodi Fulginatensis celeberrimi

Baptistelli ad *cap. 7.* §. *50.* Baptistellius tamen, Troili successor, huiusmodi obligationem ad singulos tres menses coercuit. Secundum est, quod per haec tempora S. C. Episc. et Regul. in approbandis novellis religiosarum Congregationum institutis, illud exigit, ut earum Generales quolibet triennio de statu Congregationis rationem eidem sacro Consessui reddant. Ita e. g. praescripsit piae Congregationi Presbyterorum Oratorii D. N. I. C. et Immaculatae Virg. decreto diei 22. Mart. 1864. art. 4, ibi: « Quoli-
» bet triennio Superior Generalis relationem status piae congre-
» gationis ad hanc S. C. transmittere teneatur, quae quidem
» relatio complecti debeat tam statum materialem, quam perso-
» nalem, nempe numerum domorum et sociorum piae Congrega-
» tionis, quam disciplinarem, scilicet constitutionum observan-
» tiam iuxta antea propositas emendationes, necnon quae respi-
» ciunt administrationem oeconomicam. » Iamvero, pronum est cuique adnotare, quod Sacrae Congregationes non eo, qui relatus est, modo, sese gessissent, nisi compertum habuissent, quam ingens ex huiusmodi relationibus utilitas dimanaret.

43. At si huic officio absolvendo ullum unquam adesse potest tempus maxime opportunum, illud certe est, quod proxime sequitur post obitam tum prima vice dioeceseos visitationem, tum deinceps aliis vicibus, cum stato per Tridentinos Patres tempore instauranda erit. Cum enim ea occasione christiani gregis pastores speciales ovium suarum morbos inspexerint, in ea necessitate, ut plurimum, versantur, ut aptiora remedia et consilia opportuniora a matre et magistra omnium ecclesiarum postulent et accipiant.

44. Ceterum Summus Pontifex Sixtus V. ut eosdem Episcopos ad geminum hoc, de quo sermo est, munus rite complendum arctius obstringeret, voluit etiam, ut idipsum, adhibita iuramenti fide, sponderent sub praescripta formula, quae traditur in Pontificali Romano, parte 1. de consecratione Electi in Episcopum, Forma iuramenti.

Quod vero ad ea pertinet, quae in iuramento edendo servantur, sciendum est, antiquiorem disciplinam ab ea aliquatenus differre, quae praesenti tempore usitatur. Olim iuxta normam in eadem Constitutione datam huiusmodi iuramentum edebatur in manibus S. R. E. Diaconi Cardinalis in ordine prioris, si novellus Antistes in Romana curia praesens foret; si vero extra

curiam, in manibus Antistitis ad hoc ab Apostolica Sede delegati; id vero idem praestabat, antequam munus consecrationis susciperet, aut pallium assequeretur, vel si de una ad aliam ecclesiam translatus esset, antequam huiusce sese administrationi admisceret.

45. Recentius vero ritus hic nonnihil immutatus est. In praesens enim, quando novellus Antistes in curia versatur sub exitum Consistorii, quo a Romano Pontifice Episcopus renuntiatus fuerit, postquam eidem amiculum manicatum, vulgo *rocchetto*, impositum est, si idem presbyter saecularis sit; vel exomis seu amiculum sine manicis, quod audit *mozzetta*, impositum fuerit supra palliolum coloris sui ordinis, vulgo *mantelletta*, si sit regularis, Cardinalem nepotem (quando forsitan adsit) visitaturus adit, itemque Cardinalem ab arcanis status negotiis, ac dein Cardinalem Vice-Cancellarium S. R. E., et primum Cardinalem ex ordine Diaconorum, apud quem memoratum iuramentum emittit iuxta formulam, quae in Pontificali Romano legitur.

46. Quoties in eodem Consistorio Episcopi et Archiepiscopi simul renuntiantur, tum iuramenti formulam omnes pronuntiant; quo facto Episcopi ad proprias sedes revertuntur, Archiepiscopi vero (idque intelligitur de Archiepiscopis residentialibus, minime vero de iis, qui sunt titulares) ibidem subsistunt, ut pallium accipiant, quod ab uno ex advocatis consistorialibus rite petitum est ea, quae sequitur, forma servata, videlicet, si Archiepiscopus electus ipse adest, una cum advocato consistoriali cappa superindutus sese sistit, si vero absit, eius loco suus sese sistit procurator. Ob hanc rem certa et indistincta caeremonia sancita est, quam explet Cardinalis primus Diaconus in sacello post Missam, quae a capellano eiusdem Cardinalis celebrari solet. Impositio pallii peragi potest eodem mane, quo iuramentum editur, vel alio die per eumdem Cardinalem praefigendo.

Si Archiepiscopus praesens haud sit, prout plerumque de Praesulibus ultra montes accidere solet, tunc pallium imponitur illi, quem in suum quisque procuratorem deputaverit.

47. Si Episcopus cardinalitia dignitate fulgeat, iuramentum in ipso Consistorio ad pedes Pontificis emittit. Si vero Cardinalis ad Archiepiscopatum renuntiatus fuerit, e suo loco ipse pallii postulationem facit, cui respondet Pontifex: *Propediem dabimus*. Postmodum idem Pontifex diem praestituit, qui, ut plu-

rimum, festus eligitur, eoque die sub mane in suo privato sacello post Missam sacrum eidem pallium imponit.

48. Cardinalis Decanus tamquam Episcopus Ostiensis pallii privilegium obtinet. Exemplum pallii ex Pontificis manu dati proxime evenit die 28. Decemb. 1860., quo SSm̃us D. N. Cardinali Matthaeo sacri Collegii Decano pallium imposuit. Quando Summus Pontifex pallium ipsemet dignatur imponere, semper iuramentum iterato emittitur.

49. Si quando contingat, ut Archiepiscopum residentialem Summus Pontifex consecrationis honore dignetur, licet penes Cardinalem primum Diaconum iuramentum ediderit, attamen praeter fidei professionem, iuramentum instaurat in actu consecrationis, quo pallium ab ipso Pontifice eidem imponitur. Id enimvero non ita pridem anno 1857. accidit, cum SSm̃us D. N. in ecclesia metropolitana Florentiae consecrare dignatus est Archiepiscopum Florentinum et Episcopum Volaterranum, quem pallii privilegio primum donavit; cum enim idem Pontifex in seminario Volaterrano, tum, cum erat in ephebis, causa studiorum commoratus fuisset, grati animi ergo hanc honorificentiam seminarii eiusdem Episcopo ad perpetuam huius rei memoriam tribuere dignatus est.

50. Adnotandum est, duas haberi formulas iuramenti, de quo loquimur; una brevior est, quae ab Archiepiscopis et Episcopis titularibus editur, alia longior, quae propria est Archiepiscoporum et Episcoporum residentialium. Haec porro longior est, quia iuramentum adiunctum exhibet (id quod in altera omittitur), quo Archiepiscopi et Episcopi tenentur visitare statutis temporibus Beatorum Apostolorum Limina, prout nimirum praecipit Sixtina Constitutio. Quod vero pertinet ad rationem de pastorali officio et dioeceseos statu reddendam, nulla in formula pro Praesulibus titularibus mutatio additur. Quin imo nuperis hisce temporibus nonnihil actum esse scio a R. P. D. Praefecto caeremoniis pontificiis de tollenda clausula, qua Praesules ipsi titulares ad hoc visitationis officium implendum sese iureiurando adstringunt. Cum tamen perspectum fuisset, eamdem clausulam reperiri in omnibus vel antiquissimis huiusce iuramenti formulis, satius visum est, nihil innovare; adeoque cum eadem formula typis iterum imprimi debuisset, eadem, quae ante adhibebatur, sine ulla immutatione edita est.

Quando Episcopi electi absunt a curia, iuramentum emittunt in manibus Episcopi aut Archiepiscopi consecrantis, cui per Literas Apostolicas huiusmodi munus fuit demandatum.

51. Quandocumque agatur de casu translationis, idem iuramentum iterandum est. Accidere aliquando potest, ut primus Diaconus praesens in Consistorio non sit; quaeritur igitur, penes quem iuramentum proferri debeat, et a quonam per consequens pallii impositio persolvenda sit? An penes Cardinalem primum Diaconum extra Consistorium, ceu iubet Sixtus V., vel econtra penes primum inter Cardinales Diaconos, qui Consistorio adsunt?

52. Huiusmodi quaestio excitata fuit medio saeculo proxime praeterito, et exquisitum est votum unius ex pontificiarum caeremoniarum magistris, qui doctissima sua sententia concludebat, hoc ius spectare ad primum Cardinalem Diaconum in Consistorio praesentem, ea nimirum de causa, quod vel implicite vel explicite a Pontifice delegationem potest habere. Cum simillimus huiusmodi casus alia vice intercidisset, in eum sensum eademque de causa non absimile responsum redditum est.

53. Si ob peculiares circumstantias primus Cardinalis ex ordine Diaconorum in Consistorio praesens huiusmodi caeremoniam peragere non posset, eadem secundo Cardinali Diacono ex facultate sive implicita, sive explicita Summi Pontificis peragenda committi potest. In Consistorio, quod Bononiae die 3. Aug. an. 1857. celebratum est, Emus Cardinalis Caterini, meritissimus postmodum S. Congregationis Concilii Praefectus, qui inter Cardinales praesentes unus ibidem numerabatur ex ordine Diaconorum, iuramentum ab Antistitibus tunc renuntiatis accepit, et pallium Archiepiscopis imposuit, quamvis primus Cardinalis Diaconus, qui Romae aderat, suas vices uni Cardinali ex ordine Presbyterorum fungendas demandasset.

54. Aliqua ex his, quae attulimus, colligi possunt ex quadam instructione, quae legitur typis edita in usum novelli Archiepiscopi vel Episcopi pro die Consistorii secreti, (in quo idem Archiepiscopus vel Episcopus renuntiatur), necnon pro reliquis actibus, qui subinde subsequuntur. Cetera nobis perhumaniter suppeditavit R. D. Iosephus Romagnoli, antistes caeremoniarum pontificiarum et S. Sedis, rerum liturgicarum maxime peritus, nobisque arctissimo a pueris amicitiae foedere coniunctus.

III. Quinam sacra Apostolorum Limina visitare, statumque dioeceseos exhibere teneantur, et quaenam impedimenta iustam excusationem suppeditent?

Summarium. – 55. Ad legem status referendi, et SS. AA. LL. visitandi cuncti omnino Praesules tenentur. – S. Cong. nunquam pro opportunitate destitit huius officii exsecutionem urgere, ceu nuper de Episcopis Lusitanis accidit. – 56. Non excipiuntur Cardinales suburbicarii. – 57. Neque Praelati inferiores tertiae speciei, *Nullius* vulgo dicti. – 58. Quando Episcopo coadiutor datur, satis est, si Episcopus, vel coadiutor eam legem absolvat. – 59. Si Episcopo administrator Apostolicus imponatur, alter tam suo, quam Episcopi nomine eamdem legem tenetur explere. – 60. 61. Ea lege teneri Episcopos titulares, aliqui doctores autumant; usus autem aliter se habet. – 62. Si episcopatus vacatio fortasse in longum protrahatur, nihil vetat, quominus Vicarii Capitulares eam legem peragere possint, tametsi stricte non teneantur. – 63. A Sac. Congr. de Prop. Fid. relationem exhibere iussi sunt Episcopi Angliae itemque Hollandiae, et provinciae Fogaras et Albae Iuliae ritus Orientalis. – 64. In admittendis procuratoribus ad hoc officium supplendum hodie rigor antiquus temperatus est. – 65. Haud facile sacerdos regularis olim admittebatur. – 66. Verum hac etiam in re rigor antiquus temperatus est. – 67. Quaenam sint in specie impedimenta, quae Episcopum ab hoc officio absolvendo excusent. – 68. Poenae, quas ipso facto ex Sixtina incurrunt Episcopi eamdem legem statis temporibus non adimplentes. – 69. Episcopi testimonialem de visitatis SS. AA. LL. fidem S. C. Concilii exhibere hodie debent.

55. Sixtus V. Pontifex Maximus in sua memorata Constitutione *Romanus Pontifex* omnibus Antistitibus, qui alicui dioecesi regendae et administrandae praeficiuntur, praeceptum fecit sacra Apostolorum Limina visitandi, unaque Romano Pontifici reddendi rationem de pastoralis officii procuratione, deque omnibus ad suae ecclesiae statum pertinentibus. Porro S. C. nunquam Episcopos pro opportunitate excitare destitit, ut saluberrimam hanc Sixti V. Constitutionem religiose exsequerentur. Hinc die 16. Nov. 1673, ut aliquod afferam exemplum, encyclicas ad omnes universi catholici orbis Antistites dedit Literas (S. C. C. causa *Carpenctoraten. 16. Febr. 1718.* in princ.) (1), quibus iisdem Si-

(1) Quamvis fuerint hae Literae in tabulario S. C. diligentissime conquisitae, haud tamen reperiri potuerunt.

xtinae legis exsecutionem inculcabat, unaque monebat, initium trienniorum aliorumque spatiorum desumendum esse pro cunctis promiscue Episcopis a die 20. Dec. 1585, quo nempe die Constitutio Sixtina in lucem prodiit.

Recentissime vero, cum adnotatum fuisset, multis ante annis ab Episcopis Lusitaniae regni communiter neque relationem remitti, neque sacra Limina ullatenus visitari, data occasione acceptae relationis ab Episcopo Portugallensi, specialiter id ab Emo Card. Caterini S. C. Concil. Praefecto Pontifici relatum est, et Sanctitas Sua per Apostolicum in Lusitaniae regno Nuntium, encyclicas Literas cunctis Lusitaniae Praesulibus dari, unaque hac de re moneri iussit; quod Nuntius accurate praestitit suis literis 23 Iulii 1864. Huius rei acta in tabulario S. C. asservantur, et videre est in literis Episcopo Funchal. et Lamacen. Dec. 1864. a S. C. conscriptis.

56. Dubitabatur olim, an sex Episcopi Cardinales suburbicarii ad visitanda Apostolorum Limina, et ecclesiarum suarum statum referendum a Sixto V. adstricti reputari deberent. At omnem controversiam diremit s. m. Clemens XII., qui Constit. *Pastorale officium* §. *9. (impressa in Bull. Rom. tom. 13. n. 22.)* declaravit, eosdem ad Sixtinae Constitutionis observantiam obligari; ibi: « Necnon relationem status earumdem ecclesiarum et dioeceseon, » quibus praesunt, ipsi Pontifici iuxta Constit. s. m. Sixti V., prae- » decessoris nostri, quae incipit: *Romanus Pontifex* exhibere ». Ut enim animadvertit Bened. XIV. *(de Synod. dioec. lib.13. cap.6. n. 8.)*, Summus iste Pontifex in hac lege constituenda specialem de Cardinalibus Episcopis mentionem fecit. Dein addendum est, privilegium, quo ii purpurati Patres fruuntur, non extendi ultra exemptionem a residentia, quam in dioecesi, veluti ceteri Episcopi, habere tenentur. Hinc factum est, ut in praesentiarum diligentissime huic obligationi iidem Cardinales Episcopi suburbicarii adamussim obsequantur, prout ceteri catholici orbis Antistites.

57. In eadem Constitutione Sixtina minime memorantur Abbates ordinarii tertiae speciei, *Nullius* nuncupati, quique separatum obtinent territorium: quapropter tametsi, ut colligitur ex epist. 62. lib. 1. S. Greg. VII. ad Hugonem Abbatem Cluniacensem *(apud Labb. edit. Ven. tom. 12. colum. 281.)*, vel ab antiquissimis Ecclesiae temporibus ad disciplinam de visitandis Aposto-

lorum Liminibus observandam obligati comperiantur, a lege Sixtina communiter immunes abire solebant. Huic incommodo providit s. m. Bened. XIV.; cum enim incongruum eidem semper visum fuisset, huiusmodi Praelatos Apostolicae Sedi immediate subiectos debitum erga ipsam obedientiae et obsequii officium sacra Limina visitando, et ecclesiarum abbatialium statum referendo minime praestare, ubi primum ad summum Pontificatum ascendit, die 25. Nov. an. 1740. Constitutionem edidit incip. *Quod sancta*, (quae integra refertur in volumine III. sub num. 2.), in qua memoratam Sixti V. Constitutionem ex omni parte confirmavit. Insuper legem hac de re ibidem sancitam extendit ad Abbates, aliosque inferiores Praelatos iurisdictionem quasi-episcopalem ac territorium separatum habentes; ideoque iis ad normam eiusdem Sixtinae Constitutionis certa temporum spatia praefinivit, quibus singuli vel per seipsos, vel per certos idoneos procuratores sacra Apostolorum Limina visitare, et relationem suarum dioecesium exhibere tenerentur. Tandem iuramenti quoque formulam praescripsit, qua illorum quilibet, dum ad huiusmodi praelaturas et dignitates promoverentur, ad praedictum onus adimplendum sese sacramenti fide debeant obstringere.

58. Nonnunquam quaesitum est, an officium visitandi Limina, et referendi status ecclesiae incumberet Episcopis, quibus coadiutor ab Apostolica Sede datus fuisset. Sed enimvero Summus Pontifex Clemens VIII. die 25. Febr. 1592. respondit, satis esse, ut vel Episcopus ipse, vel coadiutor illius nomine visitationem expleret et relationem status ecclesiae suppeditaret, idque, teste Bened. XIV. *(loc. cit. n. 5.)* relatum fuit in acta S. C. Concilii *(lib. 73. Supplic. Libellor. pag. 28.)*.

59. Quandoque olim accidebat, ut regius aliquis Princeps in legitima aetate nondum constitutus nonnulli ecclesiae praeficeretur, unaque eidem certus administrator adscisceretur, quo rectiori dioecesis regimini consultum foret. Itaque, oborta dubitatione, an iste ad Sixtinam legem adigeretur, S. C. Conc., teste Bened. XIV. *(loc. cit.)*, die 13. Aug. 1622. respondit, administratorem tam proprio nomine, quam principis Episcopi huic legi satisfacere debere.

60. Non pauci exstant Episcopi titulares in partibus infidelium, quae nempe ab infidelibus occupatae sunt. Hosce Antistites Sixtina sanctione teneri negat Andreuccius *(Hierarchia ec-*

clesiastica, tract. I. de Episcopo titulari p. 4. §. 1. n. 209.) (1); aliter vero sentit Fagnanus (*ad Cap. Ego N. de iur. iur. n. 82. et seq.),* qui praeterea subiungit, in hunc sensum a S. C. Conc. responsum fuisse Card. Gesualdo, Patriarchae Constantinopolitano, et Card. de Avalos, Patriarchae Antiocheno super dioecesibus, quarum illi purpurati Patres titulum obtinebant. Porro nobis placuisset, si Fagnanus literarum datam indicasset: quippe easdem suis locis in tabulario S. Congregationis consulere potuissemus. Fagnano adstipulatur Thomassinus *(de vet. et nov. Eccl. disc. p. 2. l. 3. cap. 42. n. 13.),* necnon Bened. XIV. *(loc. cit.).* Munus visitationis sacrorum Liminum, ut animadvertit Fagnan. *(l. c. n. 61.),* triplicem complectitur actum, nempe primo materialem Basilicarum SS. Petri et Pauli visitationem, deinde exhibitionem obedientiae ac reverentiae Summo Pontifici praestandam, ac denique relationem de rebus personisque sacris propriae dioeceseos Pontifici, vel Sacrae Congregationi tradendam. Hinc Bened. XIV. *(loc. cit. lib. 13. cap. 6. n. 5.)* ait: « Cum in visita-
» tione sacrorum Liminum praeter venerationem erga sanctorum
» Apostolorum cineres, debitae Romano Pontifici submissionis et
» obedientiae actus contineatur, cumque etiam Episcopus titula-
» ris, licet absens et impeditus, quominus ad suam ecclesiam
» accedat, de huius tamen statu aliqua identidem cognoscere pos-
» sit, quae Pontifici referenda sint, et quorum occasione aliquid
» in eiusdem ecclesiae utilitatem proponendum occurrat, hinc
» affirmandum videtur, Episcopos quoque titulares ad Sixtinae
» Bullae observantiam teneri. » (2).

---

(1) « Ibi: Vel tales Episcopi resident in propria dioecesi in partibus infidelium, vel non. Si non resident, sed manent, ut solent, in aliqua christiana civitate sine actuali iurisdictione, non tenentur visitare Limina. Ratio est, quia in qualibet obligatione, inquit S. Thomas, attendendus est obligationis finis; cum autem finis eiusmodi obligationis visitandi Limina sit ad recognitionem Sedis Apostolicae et ad consultanda dubia, negotia et difficultates, quae in dioecesi se obtulerunt, ex citata Constitutione Sixti V. sequitur, quod talis obligatio Episcopos titulares non afficiat, utpote non habentes suae dioecesis negotia, quae exponant, nec habentes actuale regimen et curam populorum, unde eorum recognitio erga Supremum Pontificem videatur ab eodem specialiter exigi in dicta Constitutione. Si vero resideant in partibus infidelium, declaratum est per Sacram Congregationem de Propaganda Fide coram Urbano VIII. die 28. Iulii 1626., impleri praefatam Constitutionem Sixti V. per Episcopos in partibus infidelium residentes, si id praestiterint medio ipsorum procuratore in Curia existente, ut testatur ex Navarro Squillant. »

(2) Vid. Nicolium in Lucubrat. utriusque iuris, pag. 753.

61. Monendum tamen est, quod Benedictus ipse *(lib. 2. cap. 7. n. 2. eiusdem operis)* negativam sententiam enuntiaverat, allegato quodam Decreto Clementis VIII. anni 1594. apud S. C. Conc. *(lib. 8. pag. 100)*, quod tamen reipsa eo loci non invenitur, veluti meis ipse oculis inspicere non praetermisi. Quidquid vero sit de doctorum opinione, superius vidimus, iuramenti formulam ab Episcopis titularibus emitti solitam mancam esse et mutilatam, et breviorem proinde ea, quam emittunt Episcopi residentiales. At vero quidquid in prima mutilatum reperitur, iuramentum continet visitandi Apostolorum Limina. Insuper diuturna me docuit experientia, nunquam horum Antistitum relationes sive per haec tempora, sive per tempora superiora in tabulariis Sacrae Congregationis omnino visas esse.

62. Obmoveri fortasse controversia posset, an legem Sixtinam implere debeant Vicarii Capitulares, sede episcopali vacante? Iamvero Sixtus V. non immerito nihil de his edixisse videtur; quandoquidem, nonnisi extraordinarie potest accidere, ut ecclesiarum viduitas ultra spatia ab ipso Pontifice descripta differatur. Ordinarie vero novello Episcopo ad hoc munus adimplendum satis temporis reliquum est; et si forte praescripti temporis expiratio immineat, neque adhuc statui dioeceseos describendo paratus ipse sit, patet aditus veniae a S. Congregatione exorandae, quae, re cognita, precibus annuere non haesitabit. Ceterum si res ex iuris rigore iudicari debeat, negativum responsum dandum esse suadet animadversio, quod neque Sixtus V. neque Bened. XIV. in suis Constitutionibus de Vicariis Capitularibus mentionem fecerint. Accedit usus, qui nunquam id oneris ab ipsis persolvi solitum fuisse testatur. Nihil tamen vetare posse videtur, quominus iidem, praesertim cum sedis episcopalis vacatio diutina fuerit, statum ecclesiae, quam administrant, S. Congregationi exhibeant, ut reapse evenit paucis abhinc annis; quippe S. C. relationem a quodam Vicario Capitulari exhibitam iuxta morem consuetum expendere non recusavit.

63. Restituta feliciter ecclesiastica hierarchia in Angliae regno per Literas Apostolicas SSmi D. N. Pii IX. incip. *Universalis* diei 29 Sept. 1850. conceptis verbis ibidem cautum est, ut Angliae Episcopi relationem de suis ecclesiis S. Congregationi de Prop. Fide praebere, velut antea, pergerent. Idem cautum est de Hollandia, cuius ecclesiastica hierarchia restaurata est per Literas Apo-

stolicas diei 4. Mart. 1853. incip. *Ex quo die*. Similiter de provincia ecclesiastica Fogaras et Albae Iuliae ritus Orientalis in ditione Austriaca (in Transsilvania) constitutis, ut constat ex literis Emi Secretarii Status diei 1. Mart. 1856. S. Congregationi Conc. datis et in eius archivio repositis.

64. Secunda legis Sixtinae pars de casu agit, quo Antistites legitimis impedimentis distenti per procuratorem officio suo defungi posse permittuntur. Consulto vero abstinemus a referendis controversiis, quae in S. C. Concilii olim agitatae sunt super qualitate documentorum, quae ad comprobandam iustam excusationis causam requirebantur. Quamvis enim iuxta eamdem Constitutionem impedimenta per legitimas probationes confirmari deberent, et exhiberi per nuntium seu procuratorem ab Episcopis ad hoc munus implendum ablegatum, attamen animadvertendum est, quod super hac re « iamdudum (verba sunt Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. 13. » cap. 6. n. 3.*) facilius atque remissius agi coepit, et pristinus » rigor progressu temporis valde temperatus est, habita ratione » gravium expensarum, quae ad Romanum iter conficiendum » Episcopis subeundae sunt, graviorumque onerum, quibus episcopales mensae, vel temporum calamitate, vel aliis de causis, » subiiciuntur. Unde, si Episcopus iusto quolibet impedimento » detentus, a S. Congregatione licentiam petat visitandi Limina » per procuratorem, atque etiam in eum finem deputandi Canonicum aliquem, aut sacerdotem dioecesis suae iam in Urbe » existentem, et privatis suis rebus vacantem, vel etiam ordinarium suum negotiorum gestorem, seu agentem, de rebus ecclesiae et dioecesis probe instructum, dummodo ecclesiastico » charactere insignitus sit, facta Romano Pontifici per Secretarium ipsius Congregationis instantiae illius relatione, non ita » frequenter reiici solet, ut olim evenisse constat, sed petita licentia et facultas passim benigne conceditur. »

65. Quaestio etiam facile oritur, num procurator esse queat sacerdos regularis, « de quo (prosequitur eo loci Bened. XIV.) cum » mentio quidem fiat in citata Sixti V. Constitutione (§. 4.), sed » pro eo tantum casu, quo clerus in dioecesi deficiat; adiecta » lege, ut sacerdos regularis probus et religiosus sit, ecclesiaeque » ac dioecesis res et negotia optime calleat; atque haec etiam » enuntientur in formula iuramenti, quam recitat Episcopus, » dum ad suscipiendum consecrationis munus accedit, quaeque

» inserta est Pontificali Romano, ubi sic legitur: *Et, clero defi-*
» *ciente omnino, per aliquem alium presbyterum saecularem vel*
» *regularem spectatae probitatis et religionis de supradictis omnibus*
» *plene instructum:* hinc est, quod si regularis aliquis sacerdos
» deputari velit, nonnihil difficultatis offendi solet, cum prius pro-
» banda sit deficientia capituli et cleri saecularis; eaque non pro-
» bata, nequaquam admittatur procurator regularis sive a dioecesi
» missus, sive iampridem in Urbe degens, nisi forte agatur de
» ecclesiis in remotissimis regionibus constitutis, unde difficilli-
» mum est specialem procuratorem de gremio Capituli, aut cleri
» saecularis ad visitanda Apostolorum Limina Romam trans-
» mittere. »

66. Optandum est, ut Episcopi tam Constitutioni Sixtinae, quam iis, quae tradit allato loco Bened. XIV, sese adamussim conformare studeant, etiamsi a tempore huiusce Pontificis ad praesens aevum indulgentiam S. Congregationis super hoc articulo, qui personam deputandam respicit, multo faciliorem effectam fuisse, docet experientia.

67. Quae in specie sint impedimenta iusta ac legitima, quibus Episcopi excusantur ab itinere Romano aggrediendo, docent passim rerum canonicarum tractatores ad *cap. 4.* Ego N. *de iur. iur.*, eaque sic perstringit Catalanus *Comm. super Pontificale Rom. tom. 1. (p. 183.), ad* §. *IX.* ibi: « Est quidem munus et reipublicae
» officium episcopatibus adiunctum, veluti cum Episcopi electores
» occupantur in electione imperatoris, item aetas gravis, hostilitas
» quoque ac timor hostium, incursus latronum, pestis et alia id
» genus, quorum tamen quaedam impedimenta Antistites profecto
» excusant a visitatione personali tantum, non vero ab illa, quae
» per certum nuntium fieri solet, veluti aegritudo, decrepitas, mu-
» nus episcopatui adiunctum et similia, quae personam respiciunt
» ipsius Episcopi. Sunt autem quaedam alia impedimenta, quae
» etiam a mittendo Romam certum nuntium Episcopos excusant,
» ut, e. g. pestis, viarum obsessio, hostilitas, modo tales sint, quae
» impediant accessum dioecesanorum ad Urbem. » Quae vero hic recensentur impedimenta, potissima sunt et communiora: tot enim alioquin esse possunt, quot cuiusque personae necessitates, ex quibus aliquis vel omnino, vel sine difficultate aut incommodo Romanum iter inire prohibetur. Qui plura desiderat, Fagnanum consulere non gravetur *cap.* Ego N. *de iur. iur. a num. 20. ad 35.*

68. Qui Antistites tempore a Sixtina lege praefinito debitum sacrorum Liminum petendorum ac status referendi officium praetermittunt, incidunt in poenas ab eadem lege irrogatas §. 8. videlicet suspensionis *ipso facto* ab ingressu ecclesiae ac etiam ab administratione tam spiritualium, necnon a fructuum perceptione, donec a contumacia non resipiscant. In huiusmodi vero poenas non incurri, nisi transacto ultimo die termini ad visitationem praefiniti, vel ipse statuit, ac tradit Fagnanus *(loc. cit. n. 58)*. Quam insuper in causam fructus huiusmodi erogari debeant, ibidem singulariter designatur. Animadvertendum tamen est, si in hanc partem inconsiderate peccari contingat, pronum Episcopis esse indulgentiam S. Congregationis implorare, quae eidem impertiendae, iusta causa accedente, sese difficilem praebere non solet. Quod ideo dictum voluimus, ne Antistites, qui bona fide in poenas incurrerint, nimia anxietate conscientiae torqueantur.

69. Postremo loco Episcopos monitos velimus ad legitimam de sacra visitatione expleta probationem assequendam id in praesentiarum usu receptum esse, ut iidem vel eorum procuratores eo ipso, quod duas Basilicas S. Petri in Vaticano et S. Pauli extra moenia (quorum nomine Apostolorum Limina hac in re veniunt) visitabundi adeunt, fidem testimonialem tum a Capituli Vaticani canonico, cui hoc munus est demandatum, tum a Vicario Cassinensium, quibus sacrae S. Pauli aedis custodia tradita est, de absoluta visitatione recipiant, eamque in officio Secretariae S. Congregationis Concilii deponant, ut in eiusdem tabulario de more asservetur. Qua quidem in re per haec tempora disciplina s. Ordinis immutata est; namque tempore Fagnani, ut idem testatur *cap.* Ego N. *de iur. iur. n. 63.* satis erat, quod Episcopi ipsimet Cardinali Praefecto, vel Secretario S. Congregationis sese coram Basilicas S. Petri ac S. Pauli visitasse referrent.

IV. De ratione conficiendi relationem status Ecclesiarum.

Summarium. 70. Quas res continere relatio debeat? – 71. Fagnanus primus instructionem effinxit, qua statum materialem a formali discrevit. – 72. Eamdem perfectiorem reddidit Lambertinus iussu Ben. XIII., a quo Instructio nostra Benedictina appellatur. – 73. 74. 75. Quae licet primo pro Italiae Praesulibus edita, postea ad totius catholici orbis Antistites extensa est ex praxi S. C. Concilii; hinc hodie omnes communiter eidem sese conformant. – 76. Sat est, breviter at plene Instructionis Be-

nedictinae quaestionibus respondere. Non exigitur, ut acta ac decreta peractae dioeceseos visitationis mittantur. – 77. Sacra dioeceseos visitatio diversa est a visitatione SS. LL. – 78. Relatio exaranda est idiomate ecclesiastico, id est latino.

70. Constitutio Sixtina nullam instructionem peculiariter delineavit, quam Antistites in dioeceseos sibi demandatae statu describendo sequerentur: generaliter enim dumtaxat edixit, eosdem rationem reddere debere « de toto eorum pastorali officio, deque rebus omnibus ad ipsarum, quibus praesunt, ecclesiarum statum, et clerum pertinentibus ». Et in Constit. *Immensa* anni 1688., cuius locum dabimus in volumine III. sub num. 3., praecipit, ut referant, quae « cleri populique morum disciplina sit, quae Concilii Tridentini decretorum, cum in omnibus, tum praesertim in residentiae munere exsecutio: quae item piae consuetudines, et qui omnium denique in via Domini sint progressus ».

71. Hinc illud factum est, ut iidem Antistites in reddendis episcopalis sui regiminis rationibus vel nimium late vagarentur, minimas quasque res atque a fine proposito plus et minus alienas exponendo, vel ita exiliter et ieiune sese cohiberent, ut, quae scitu necessaria sunt, desideranda relinquerent. Ne itaque huiusmodi relationes abundarent in superfluis, ac deficerent in necessariis, Fagnanus *(cap.* Ego N. *de iur. iur. n. 73)* certam rationem ac normam proposuit, qua statum dioeceseos in materialem et formalem divisit, et in unoquoque speciatim rerum capita congessit atque distinxit, quae relationis materiam efformant, quam quidem rationem normamque adoptavit Catalanus *Comm. super Pontificale Rom.* §. *XIII.* et van Espen *Ius. eccl. P. I. tit. 15. cap. 2. n. 22.*

72. Quod autem invenit Fagnanus, perfecit Bened. XIII. Cum enim in Concilio Romano habito anno 1725. suam attentionem in hunc defectum accuratius contulisset, optaretque optimo sane consilio unam eamdemque omnibus formam praescribere, mandavit Lambertinio, qui in eodem Concilio doctoris in decretis officio fungebatur, ut instructionem, de qua agimus, conficeret, prout reapse confecit, in qua, Fagnani vestigia secutus, maiori ordine atque accuratione capita praefinivit, quae ad utrumque statum pertinerent. Eam proinde Bened. XIII. rite comprobavit, auctoritateque sua in Romani Concilii actis promulgari iussit, ut in po-

sterum ad eiusdem tramites Antistites omnes relationem suam exararent. (Vide Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. 13. cap. 6. n.10.*

73. Quamvis autem Lambertinius ad cathedram Apostolicam provectus in App. ad Constit. *Quod sancta* diei 23. Nov. 1740. eamdem formulam adiecisset, nihilominus quoniam solemni promulgatione fortasse eadem Instructio edita non fuerit ex eo, quod Concilium Romanum universale non erat, principio et diu postea communiter ab Episcopis catholici orbis in facto servata non fuit, licet in iure aliter dicendum videatur.

74. Et sane; Concilium Romanum licet particulare tantum fuerit, nihilominus Bened. XIII. ea occasione usus est, ut aliqua decreta ad universam catholicam Ecclesiam extenderet. Exemplum suppetit obligatio capitulis imposita de conficiendis constitutionibus capitularibus *(tit. II. cap. IV. et V.)*, de quibus suo loco plenius agetur. Idem dicendum videtur de Instructione pro conficiendis relationibus: si enim sapientissimus ille Pontifex ad eos tantum, qui Concilii Romani sanctionibus obnoxii sunt, eamdem formulam coercere voluisset, nequaquam ibidem ediceret: *curent Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchae ipsi sese conformare, et suas relationes ad distincta capita reducere.* Quae quidem verba, si verum praeceptum ubicumque non important, tale tamen consilium prae se ferunt, cui omnes obsequi debeant.

75. Ad haec vero tempora nullum relinquitur dubium, quin S. Congr. eam disciplinam invexerit, ut generatim omnibus eam sequendam ubique praescriberet. Quocirca cum assidue constanterque, data occasione in literis, quibus ad relationes respondebat, inculcaret, ut suas hac de re literas Episcoporum quisque iuxta eamdem instructionem conderet, illud assecuta est, ut in praesentiarum ubique fere, nulla facta monitione, servetur. Verumtamen, si quando opus sit, urgere non desinit, ut singuli catholici orbis Antistites suam relationem eidem undequaque conforment. In ea re speciali laude, ut plurimum, digni videntur Praesules Galliarum, quorum relationes ex maxima parte diligenter, accurateque ad normam Benedictinae Instructionis exaratae comperiuntur.

76. Accidit aliquando, ut ex Episcopis aliquis loco relationis status ecclesiae decreta et acta transmitteret sacrae visitationis ab ipso peractae. Qua super re duo expendenda sunt; primo ex suo instituto non solet S. C. sese ingerere in ea, quae Episco-

pus intra suae potestatis limites specialim decernenda putaverit, nisi fortasse super aliquo particulari decreto ea consultetur, vel penes eam reclametur: integrum enim relinquit Episcopis, ut suam auctoritatem iuxta facultates a iure canonico sibi tributas plene libereque valeant exercere. Quibus de rebus doceri se velit, palam facit Instructio Benedictina.

77. Secundo caveri debet, ne sacrorum Liminum Visitatio cum visitatione dioeceseos confundatur, aut saltem putetur pari passu cum ea procedere debere; in hoc enim errore complures versari frequens experientia demonstravit. Iamvero quod Episcopi post peractam sacram dioeceseos visitationem ea, quae ab ipsis S. Congregationi exponi debeant, facilius ac penitius agnoscere possint, quisque per se videt; illud etiam largiter concedi debet, ipsis Episcopis cum praesertim novelli ad suam ecclesiam accedunt, necessario opus esse, ut dioecesim perlustrent, et singula oppida ad res scitu necessarias cumulandas coram invisant; aliter enim de suae ecclesiae rationibus relationem difficilius exhibere poterunt. At vero iuxta haec, quae hucusque statuimus, visitationem unam ab altera discriminari, neque unam cum altera confundi debere luculentissime sequitur tum ex eo, quod finis utrique propositus diversus est, tum ex eo, quod utriusque visitationis obligatio a diversa lege dimanat. Visitatio enim totius dioecesis a S. Concilio Trid. *(sess. 24. cap, 3. de reform.)* praescribitur, et anno quolibet, aut biennio instaurari debet; visitatio sacrorum Liminum a Sixto V. et Bened. XIV. peragenda praecipitur sive tertio, sive quinto, sive decimo quoque anno, prout in Sixtina Constitutione pro maiori vel minori distantia praestitutum est.

78. Relatio conscribenda est idiomate latino. Cum enim in latina Ecclesia versemur, ea lingua uti debemus, quae matris nostrae et magistrae propria sit. Insuper quando ab omnibus eadem adhibetur, relationes facilius intelligi et examinari possunt: deinde aptius Instructioni Benedictinae adhaeretur, quae idiomate latino perscripta fuit. Hinc si quis easdem exaret lingua vulgari, quae nempe usurpatur a populo, quem ipse regit, ex S. Congregationis more, ut latinam linguam adhibeat perbelle admonetur. Relatio vel ipsi S. Congregationi, vel Summo Pontifici dirigitur; qui tamen ipsam S. Congregationi remittit, ut iuxta Sixtinam Constitutionem, eamdem de more expendi et congruo responso donari curet.

V. Quando sacra Limina visitari et status relatio exhiberi debeat.

Summarium. 79. Temporum spatia, quibus relationes remittendae sunt. – 80. Carpenctoratensis Episcopus inter Galliae Episcopos recensetur. – 81. Clemens VIII. Hungaros de quadriennio in quadriennium ad officium relationis mittendae teneri confirmavit. – 82. Hibernis ob paupertatem S. C. Concilii ad decennium id officii prorogavit. – 83. Hodie non conceduntur generalia huiusmodi indulta, sed, iusta accedente causa, ad breve tempus singulatim non denegatur. – 84. Spatia temporum non a die adeptae ab unoquoque possessionis, sed communiter pro omnibus a die 20. Dec. 1585. circa Episcopos, circa Praelatos inferiores a die 23 Nov. 1740. computantur. – 85. Quin obstet si post possessionem breve tempus effluxerit; succurritur enim per veniam exorandam. – Satis est, ut id officii, durante spatio praefixo, e. g. triennio expleatur.

79. Sixtus V. Constitutione *Romanus Pontifex* §. 6. (quam dabimus in volumine III. sub n. 1.) Episcopis vicinioribus triennium, longinquis quadriennium, remotioribus quinquennium, remotissimis decennium praefinivit: quarum autem regionum Episcopi ad unamquamque classem pertineant, nominatim in eodem loco indigitavit.

80. Disputatum fuit apud S. C. Concilii in comitiis diei 19. Februarii 1718. an Carpenctoratensis Episcopus teneretur ad sacrorum Liminum Visitationem de triennio in triennium aut de quadriennio in quadriennium, et S. C. rescripsit, teneri de quadriennio in quadriennium. Inter alia rationum momenta, quae pro hac secunda parte amplectenda militare perpendebat Lambertinius, tunc S. C. Secretarius, postea Summus Pontifex, hoc erat, idque decidendi ratio videtur fuisse, quia comitatus Venassinus, et civitas Avenionensis partibus Galliae annumeraretur, licet eo tempore in temporalibus Summo Pontifici obtemperaret.

81. Ex errore aliquando obtinuerat, ut formula iuramenti ab Hungariae Episcopis praestiti hoc prae se ferret, ut singulis trienniis ad SS. LL. Visitationem tenerentur; itaque s. m. Clem. VIII. in sua Constit. diei 29. April. anni 1602. *(Bull. mag. 3. p. 2. fol. 415)* declaravit, Antistites cathedralibus et metropolitanis ecclesiis in Hungaria praepositos non teneri accedere, nisi singulis quadrienniis, prout nominatim sancitum fuerat in Constit. Sixti V.

82. In eadem hac Constit. Hiberniae Episcopi iis accensentur, qui quarto quoque anno SS. LL. Visitationem obire adiguntur. Cum vero ob suam paupertatem exorassent, ut tempus iisdem praestitutum ad decennium prorogaretur, S. Congr. Concilii annuente Summo Pontifice, hoc eisdem indultum elargita est die 10 Maii 1631., ut adnotatur lib. 14. decr. p. 422., teste Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. 13. cap. n. 4.* Vide Decret. S. C. de Prop. Fide 12. Apr. 1801 ad Dub. 2. et 3.

83. In praesens generalia huiusmodi indulta concedi non solent; at vero si quis Episcopus veniam petat, ut spatium temporis sibi praefinitum prorogetur, S. Congregatio, accedente iusta et probabili causa, non solet abnuere.

84. Saepenumero evenit, ut Episcopi spatia temporum a Sixto V. praefixa computare incipiant a die, quo ipsi in Consistorio ad suam sedem episcopalem renuntiati sunt, vel eiusdem possessionem sunt adepti. At vero ne confusio suboriretur, sapientissime cautum est, (prouti a S. C. Conc. per encyclicas Literas ad universi orbis catholici Episcopos die 16. Nov. 1673, datas denuntiatum fuisse testatur eadem S. C. Conc. in Carpenctoraten. 19. Febr. 1718. in princ.), ut unus idemque terminus constans atque perpetuus institueretur, nempe pro Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis dies 20. Dec. 1585., quo die edita a Sixto V. est Constitutio *Romanus Pontifex:* pro Abbatibus et Praelatis inferioribus dies 23. Nov. anni 1740, quo itidem die a Bened. XIV. edita est Constitutio *Quod sancta* (Vide Fagn. *ad cap.* Ego N. *de iur. iur. n. 40. et seq.)* Hinc, ut res exemplo faciliuś intelligatur, pro Episcopis triennium nonagesimum secundum die 20. Decemb. 1861. exspiravit. Item quadriennium sexagesimum nonum eodem die exitum habuit; nam triennia quarto quoque triennio cum quadrienniis simul desinunt. Quinquennium quinquagesimum septimum finem habuit 20. Dec. 1860; die 20. Decembr. 1855. decennium vigesimum octavum completum est. Pro Abbatibus et Praelatis inferioribus triennium quadragesimum die 21. Nov. 1860. exitum habuit, eodemque die quadriennium trigesimum, quinquennium vigesimum et decennium decimum simul incidit. Quae cum ita sint, id consectarium sequitur, ut, si incepto iam triennio vel quadriennio aliquis Episcopus sacra Limina visitaverit, relationemque transmiserit, ac postea forsan ad plures abierit, successor eius utriusque rei implementum repetere

minime adstringitur: persolutio enim decessoris suffragatur, quemadmodum diserte tradunt de communi doctores, praesertim Ferraris verbo *Limina Apostolorum n. 26.*, item Fagnanus loc. cit. num. 47.

85. Sed contra, si decessor triennio vel quadriennio vertente hoc officio defunctus minime fuerit, successor ad illud adimplendum omnino tenetur, quin obstet, quod post adeptum episcopatum leve tempus effluxerit, et Episcopus non ita pridem dioecesis regimen aggressus in promptu nondum ea possit habere, quae ad statum referendum requiruntur. Tunc enim consulitur per veniam a S. C. exorandam, quae profecto eam denegare non assolet. Vide Decretum S. C. de Prop. Fid. 12 Apr. 1802. ad 2. Ceteroquin Summus Pontifex legem universalem ac perpetuam edicens, quae aliquando speciatim accidunt, contemplari et excipere noluit, ne fortasse interpretationibus plus nimio laxis locus fieret, et sic legis efficacia debilitaretur. Videsis Fagnanum loc. cit. num. 37. et seq., ubi alias ad rem quaestiunculas adiicit ac solvit. Adnotetur dumtaxat, id, quod scribit de visitatione obeunda ultimo anno triennii, quadriennii, quinquennii, decenniique hisce temporibus non ita rigide exigi adsolere; nam tametsi id officii absolvatur etiam aliquanto prius, non idcirco ex Sacrae Congregationis disciplina difficultas creatur Episcopis. Fagnanus istud repetit in cap. 7. In singulis. *de stat. min. n. 1.*

VI. Quam rationem servet S. Congregatio in expendendis relationibus.

Summarium. 86. Relationes antiquitus a S. C. Concilii non secus ac alia ordinaria negotia agebantur. – 87. Quae ratio cum responsionibus remittendis tarditatem afferret, Lambertinius, cum S. C. Concilii Secretarium ageret, in subsidium celeberrimum Lucchesinium sibi dari obtinuit. – 88. Ad Pontificatum Lambertinius assumptus *Congregationem particularem* pro relationibus examinandis perpetuo constituit. – 89. Huiusce Congregationis comitia idem Summus Pontifex prima vice et alias apud se haberi voluit. – 90. Non constat, an primitus specialis officialis responsionibus conscribendis addictus esset, vel Secretarius pontificiarum epistolarum id officii obiret. – 91. Prouti ad haec tempora factum est. – 92. Hieronymus de Andrea Secretarius, comprobante Angelo Maio Praefecto Pontifici proposuit, ut specialis ad hoc officialis crearetur. – 93. Huiusmodi consilium SSmus D. N. pro sua summa sollicitudine, providentiaque approbavit, ad effectum perduci iussit, primumque ad illud munus

auctorem huius operis nominare dignatus est. Secretario latinarum epistolarum in eadem particulari Congregatione locus relictus est, quin etiam prima eidem inter Praesules sedes adsignata.

86. Summus Pontifex Sixtus V. in citata Constitutione *Immensa* anni 1587., qua tanta sapientia consilioque Congregationes ecclesiasticas, ac nominatim hanc ipsam S. C. Concilii pro exsecutione et interpretatione Concilii Tridentini instituit, illud eidem officium perpetuo demandavit, ut relationes de statu dioeceseon acciperet, maturo examine expenderet, Antistitibus relatoribus literas testimoniales de obita SS. LL. Visitatione daret, responsionem super renuntiato dioeceseon statu redderet, ipsorum postulata ex charitatis iustitiaeque norma per se expediret. Inter haec si quae maiora forsan occurrerent, itidem iniunxit, ut ipsi Pontifici referenda curaret. Primis temporibus relationes huiusmodi recognoscebantur a S. C., adhibita ordinaria aliorum negotiorum ratione, et responsum utique praebebatur literis, politiori quo fieri posset latinitate conscriptis; et hoc ultimum semper etiam posthac observatum est.

87. At vero ob innumera negotia, quibus eadem S. Congregatio undique occupari nullo non tempore destitit, aliquando fiebat, ut, nisi sero relationibus responderi non posset. Quo tempore Lambertinius, qui Secretarii S. Congregationis munere fungebatur, ut huic rei provideret, a Summo Pontifice pro tempore celeberrimum virum, Vincentium Lucchesinium, latinae linguae peritissimum, sibi dari expostulavit, qui huiusmodi literas conscriberet. Huius rei testimonium exstat in funebri oratione, quam Philippus Bonamicius de Lucchesinii laudibus elaboravit, ediditque in suo opere *de clar. Pont. ep. scrib. ad Clem. XIV. edit. anni 1770. typis Palearini pag. 300.* « Nam (ita ibidem legitur) cum Con-
» gregationi Cardinalium Concilii Tridentini interpretum (Bene-
» dictus XIV.) adhuc in minoribus a secretis esset, cumque per-
» multos Episcopos, qui suae quisque dioecesis statum, qualis-
» cumque est, eidem Congregationi diligenter exponunt, nullum
» habere responsum animadvertisset, adiit Pontificem, oravit-
» que, sibi ut aliquem daret, latina praesertim facultate expoli-
» tum, qui quae Congregatio sapienter decrevisset, eleganter ex-
» plicata mitteret ad Episcopos. At quemnam alium non pos-
» tulavit solum, verum etiam flagitavit, nisi Lucchesinium?....

» Utrum vero tantae Lambertinii exspectationi cumulate ille sa-
» tisfecerit, nolite quaerere. Accipiebant Episcopi elegantissimas
» literas, iisque vehementer delectabantur, neque defuerunt, qui
» Lucchesinio tantam cum sapientia coniunctam eloquentiam gra-
» tularentur. »

88. Cum Lambertinius divinae providentiae munere ad S. Petri cathedram assumptus fuit, ob eamdem negotiorum copiam ingens relationum cumulus sepositus excreverat, ad quas Antistites responsum desiderabant. Itaque in id consilii devenit, ut aliam Congregationem in prioris, quae generalis est, Congregationis subsidium perpetuo deputaret, quae *Congregatio particularis* nuncuparetur, et in huiusmodi relationibus examinandis, reddendisque opportunis responsis suum studium unice impenderet. Hanc autem ex congruenti Praesulum Romanae Curiae numero conflatam esse voluit, eodem deputato Cardinali Praefecto, eodemque Secretario, qui generali Congregationi addicti sunt. Itaque nova haec Congregatio ad normam huiusce Bened. XIV. dispositionis coram dicto Cardinali Praefecto coire solet, et ibidem referentibus Praesulibus quidquid in relationibus sibi viritim distributis continetur, ad propositas quaestiones idonea parantur responsa, quae deinde eiusdem Cardinalis Praefecti iudicio expensa, ac per eum, quatenus opus sit, ad Summum Pontificem relata, ab eoque approbata, debitis temporibus expediuntur, uti latius statutum legitur in altera eiusdem Bened. XIV. Constitutione super huius Congregationis institutione et officio die 23 Novembris anni 1740. edita, cuius initium *Decet Romanum*, et reperitur in volumine III. sub num. 4.

89. Benedictus XIV. nedum prima vice, sed alias persaepe coram se eamdem habere voluit, responsa quoque perlegit, quae ex illius sententia et consilio ad episcopales relationes transmissa fuerant, nulli parcens labori aut diligentiae, tum in propositis quaestionibus examinandis atque solvendis, tum in indicandis ac suggerendis opportunioribus pro felici regimine earum dioeceseon, quarum relationes expendebantur, prout idem Pontifex narrat in suo opere *de Syn. dioec. lib. 13. cap. 6. n. 11*

90. Literas S. Congregationis nomine eo tempore, quo praedicta Constitutio Bened. XIV. prodiit, conficiebat Aeneas Silvius Piccolomineus, quem fuisse eidem S. Congregationi latinarum huiusmodi epistolarum a secretis, refert in eadem Constitutione lau-

datus Pontifex, eique et successoribus eius potestatem fecit habendi locum in praedictorum Praelatorum conventibus seu congregationibus necnon coram assidendi, non tamen in eis ferendi suffragium. Ex eo Constitutionis loco clare comperiri nequit, an hic, qui S. Congregationi a secretis erat, specialis itidem esset eiusdem officialis, an vero idem ac alius a secretis ipsius Pontificis in huius latinis conscribendis literis. Quod enim ad sequiora tempora pertinet, certum est, munus conscribendi nomine Sacrae Congregationis literas, quibus Episcoporum relationibus responderet, huic eidem Secretario Pontificio impositum, ab eoque diutius continuatum fuisse.

91. Quoniam vero hic, adaucta Pontificiarum occupationum mole, S. Congregationis literis expediendis impar evaserat, Hieronymus de Andrea (qui postea in Patrum purpuratorum collegio connumeratus est) cum Secretarii munus ipse obiret, et Praefectum ageret immortalis memoriae vir, Cardinalis Angelus Maius, SSmo. D. N. id consilii proponendum censuit, ut, Secretario Pontificio a latinis eiusmodi literis deonerato, specialis ac proprius officialis crearetur Praefecto et Secretario S. C. plane subiectus, qui ad huiusmodi literas perscribendas unice incumberet: ita enim non solum relationes, quibus multo numero responsio debebatur, brevi tempore expendi ac responso donari potuissent, sed insuper stabili ac perpetuo remedio consultum foret, ne hoc incommodum identidem, ut antehac, revivisceret.

92. Huiusmodi consilium placuit Sanctitati Suae pro impenso eo, quo flagrat, studio succurrendi omnigenis ecclesiae catholicae necessitatibus. Itaque die 8. Dec. 1851. Summus Pontifex Secretarium suum eo labore reapse perpetuo liberavit, reservato eidem iure assidendi conventibus particularibus, in quibus insuper ipsi primus locus in perpetuum tempus inter Praesules eidem Congregationi addictos relictus est. Hanc praecedentiam scribae latinarum Literarum SSmus D. N. vivae vocis oraculo R.P.D. a secretis S. C. Concilii manifestato concessit. Hinc est, quod in notulis, quae pro qualibet Congregatione particulari conficiuntur, et in actis S. Congregationis asservantur, primus semper eidem scribae locus assignatus reperitur (1). Subinde idem Sanctissimus

(1) Quidquid sit de iure, in facto tamen Secretarii a latinis Literis Pontif. non interveniunt.

D. N. novum officium creavit, ad quod idoneum virum Summus Pontifex perpetuo per se nominaret, cuius munus esset literas conficere ad Antistites nedum super relationibus de statu dioeceseon, sed et alias, quae conscribi solent, cum post consuetum examen synodi provinciales ad suos auctores remittuntur. Huic officiali praeterea munus additum est, ut conventibus particularibus, nullo tamen cum suffragii iure, iuxta Constit. Bened. XIV. *Decet Romanum* interesset, aliisque rebus huc pertinentibus operam daret, quas illi vel Emus Card. Praefectus aut Secretarius demandaverit. Constat id ex literis ab Emo Card. Secretario Status memorata die mihi datis, cum primus ad hoc novellum officium ex singulari Pontificis benignitate nominatus sum.

Denique silendum non est, quod, cum ex auctoritate eiusdem Summi Pontificis certo huiusce officialis honorario augmentum sponte fecissent S. Congregationis moderatores ex capsa Secretariae, id onus insuper adiectum fuit, ut praeter epistolarum perscriptionem idem officialis relationum examini operam suppeteret, eaque alia perageret, quae iidem moderatores ipsi iniungenda censuissent: id etiam innotescit ex epistolio die 30. Septembris 1863. ab Emo Card. Praefecto ad me perscripto.

INSTRUCTIO S. CONGREGATIONIS CONCILII

PRO EPISCOPIS, ARCHIEPISCOPIS, PRIMATIBUS ET PATRIARCHIS

Super modo conficiendi relationes statuum suarum Ecclesiarum, quas occasione visitationis Sacrorum Liminum eidem S. Congregationi exhibere tenentur, iussu s. m. Benedicti XIII edita.

Summus Pontifex Sixtus Papa Quintus, qui tempora statuit, quibus singuli Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchae per seipsos, vel per eorum certum nuntium visitare tenentur Limina beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli, antiquissimae observantiae inhaerendo, nedum voluit, ut ultra sacrorum Liminum visitationem, Romano pro tempore Pontifici de toto eorum pastorali officio, et de rebus omnibus ad ipsarum, quibus praesunt, ecclesiarum statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae illorum fidei creditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus rationem redderent, uti fusius habetur in praedicti Pontificis Constitutione, quae incipit *Romanus Pontifex*, sed in alia etiam Constitutione, quae incipit *Immensa aeterni Dei*, Sacrae Congregationi praepositae interpretationi sacrosancti Concilii Tridentini curam demandavit, praedictam rationem, quae dicitur *Relatio status ecclesiae*, perpendendi et examinandi, ac postulatis in eadem proponendis, respondendi.

Sixtinae hae Constitutiones suo non caruerunt effectu, tum quoad relationem statuum ecclesiarum, tum quoad sacrorum Liminum Visitationem; sed cum nulla unquam edita fuerit instructio pro dictis relationibus exarandis, factum hinc est, ut aliquae ex eis aliquando fuerint exhibitae abundantes in superfluis, et aliquae aliquando deficientes in necessariis: cumque ad haec avertenda in Synodo Romana, hoc anno 1725. a SSmo D. N. Benedicto Papa XIII. habita in Basilica Lateranensi, praescriptum sit, ut Instructio hactenus omissa, a Sacra Concilii Congregatione ederetur, haec ideirco Instructio publici iuris fit, ut in relationibus statuum suarum ecclesiarum, ad eamdem Sacram Congregationem in posterum transmittendis, curent Episcopi, Archie-

piscopi, Primates et Patriarchae ipsi se conformare, et suas relationes ad quaedam distincta capita reducere, quorum primum ad statum ecclesiae materialem, secundum ad personam ipsius referentis, tertium ad clerum saecularem, quartum ad clerum regularem, quintum ad moniales, sextum ad seminarium, septimum ad ecclesias, confraternitates et loca pia, octavum ad populum, et ultimum denique referatur ad postulata, quae ab ipso referente Sacrae Congregationi proponuntur.

I. *De primo relationis capite pertinente ad statum ecclesiae materialem.*

In hoc primo relationis capite sequentia erunt exponenda:

I. Institutio.

II. Confinia.

III. Privilegia et praerogativae Episcopatus, Archiepiscopatus aut Patriarchatus.

IV. Numerus civitatum, oppidorum aut locorum, qui Episcopatui, Archiepiscopatui aut Patriarchatui subiecti sunt.

V. Status cathedralis, metropolitanae, aut patriarchalis ecclesiae, una cum numero canonicorum et aliorum servitio chori addictorum; et an erectae fuerint praebendae poenitentiaria et theologalis.

VI. Status ecclesiarum collegiatarum unà cum numero pariter canonicorum et ceterorum, qui choris earum intersunt, et an in collegiatis erecta sit praebenda theologalis.

VII. Status et numerus ecclesiarum parochialium, necnon aliarum ecclesiarum et oratoriorum in Episcopatu, Archiepiscopatu aut Patriarchatu existentium; referendo signanter, an cathedralis, metropolitana aut patriarchalis et collegiatae, oratoria, necnon parochiales, ceteraeque ecclesiae sint sacris suppellectilibus sufficienter instructae, et quaenam ex eis habeant reditus pro fabrica assignatos.

VIII. Numerus monasteriorum tam virorum, quam mulierum, exprimendo, an aliqua ex monasteriis virorum sint subiecta suae iurisdictioni; et an et quae mulierum monasteria sibi subiecta sint vel Praelatis regularibus.

IX. An adsit in dioecesi seminarium clericorum, quot clerici in eodem alantur, an fuerit statuta taxa, et in qua quantitate,

et an aliqua beneficia fuerint eidem unita, et in universum, quinam et quot sint reditus praedicti seminarii.

X. Numerus hospitalium, collegiorum, confraternitatum et aliorum locorum piorum, quae sunt in Episcopatu, Archiepiscopatu aut Patriarchatu, et quinam sint eorum reditus.

XI. An adsint montes pietatis, et quot sint, una cum aliis consimilibus, ad statum materialem ecclesiae spectantibus; cum advertentia tamen, ut plena status materialis relatio in prima relatione tantum, quae fit ab Episcopo, Archiepiscopo aut Patriarcha, exhibeatur; in subsequentibus enim relationibus satis erit, quod ipsi se referant ad primam, nisi aliquid novi, pertinens ad dictum statum materialem, contigisset, quod referens notificandum Sacrae Congregationi existimaret.

II. *De secundo relationis capite pertinente ad ipsum Episcopum, Archiepiscopum, Primatem et Patriarcham.*

In hoc capite exponi debebit:

I. An residentiae praeceptum, a sacris canonibus, Concilio Tridentino et Constitutione Urbana praescriptum adimpleverit, et an aliquo, et quo tempore abfuerit, et an ultra menses conciliares, et an cum vel sine Sedis Apostolicae licentia.

II. An, et quoties dioecesis sibi commissae visitationem expleverit.

III. An per se vel per alium Episcopum sacras ordinationes expleverit, et Sacramentum Confirmationis administraverit.

IV. An, et quoties Synodum dioecesanam coegerit; et si Episcopus nulli Archiepiscopo subiectus sit, an ad Synodum provincialem eius Archiepiscopi, quem ad tramites Tridentini eligere tenetur, ut eius Synodo provinciali intersit, accesserit; et si sit Archiepiscopus, an Synodum provincialem habuerit, et quinam suffraganei eidem interfuerint.

V. An verbum Dei per seipsum praedicaverit, et an legitimo concurrente impedimento, viros idoneos assumpserit ad huiusmodi praedicationis officium salubriter exsequendum.

VI. An habeat depositarium poenarum et mulctarum pecuniariarum, et an eaedem fuerint piis usibus applicatae.

VII. Quaenam taxa, et an Innocentiana in sua Cancellaria observetur.

VIII. An aliquid habeat, quod sibi obstet circa exercitium episcopalis officii, iurisdictionis ecclesiasticae, necnon tuendae libertatis et immunitatis ecclesiarum.

IX. An aliquod pium opus peregerit pro ecclesia, pro populo, aut pro clero.

III. *De tertio relationis capite ad clerum saecularem pertinente.*

In hoc capite exponendum erit:

I. An canonici ceterique choro addicti cathedralis, metropolitanae aut patriarchalis ecclesiae necnon collegiatarum, choro iugiter intersint.

II. An ultra Matutinum, Laudes, ceterasque alias horas canonicas, quolibet die celebrent Missam conventualem.

III. An quolibet die eam applicent pro benefactoribus.

IV. An suas habeant constitutiones, et eas punctualiter observent.

V. An qui obtinent praebendam poenitentiariam aut theologalem, adimpleant, quae adimplenda sunt, et quomodo.

VI. An parochi in suis parochiis resideant.

VII. An librum matrimonii et baptizatorum, aliosque libros, quos ad normam Ritualis Romani retinere debent, retineant.

VIII. An aliqui ipsorum indigeant aliorum sacerdotum opera, ut Sacramenta populo administrent.

IX. An iidem per se, vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, iuxta monitum Tridentini et praecitati Concilii Romani.

X. An saltem Dominicis et aliis festis diebus in suis parochiis fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum et parentes, pueros ceterosque hoc adiutorio indigentes doceant, et an, et qui eis operam praestent in hoc opere adimplendo, et an fructuose hoc opus adeo necessarium in singulis parochiis proficiat.

XI. An singuli parochi ceterique curam animarum exercentes singulis Dominicis festisque de praecepto Missam applicent pro populo eorum curae commisso.

XII. An, et quae praemittantur antequam quis ad primam tonsuram et minores Ordines admittatur, et an sacris Ordinibus

initiandi, ante cuiuscumque Ordinis sacri receptionem, piis meditationibus, vulgo spiritualibus exercitiis, vacent per aliquot dies in aliqua domo religiosa.

XIII. An omnes praedicti vestes iugiter deferant clericales, et an, quoad fori privilegium, serventur disposita a sacrosancta Synodo Tridentina sess. 23. cap. 6. de reform. et a Constitutione SSmi D. N. Benedicti PP. XIII. in eodem Concilio Romano emanata.

XIV. An habeantur conferentiae theologiae moralis, seu casuum conscientiae, et etiam sacrorum rituum, et quot vicibus habeantur, et qui illis intersint, et quinam profectus ex illis habeatur.

XV. Quinam sint mores cleri saecularis, et an aliquod in eo adsit scandalum, quod remedio indigeat potentiori.

IV. *De quarto relationis capite ad clerum regularem pertinente.*

In hoc capite exponendum erit:

I. An Regulares curam animarum exercentes, qui episcopali iurisdictioni, visitationi et correctioni subsunt in iis, quae ad curam pertinent et administrationem Sacramentorum, munus sibi commissum fideliter adimpleant iuxta ea, quae in praecedenti capite dicta sunt de parochis saecularibus.

II. An aliquis Regularis extra monasterium degat; an aliqui adsint in dioecesi, a suis superioribus, servatis servandis, eiecti, vel aliquis fuerit Regularis intra claustra monasterii degens, sed qui extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo fuerit; et quomodo in hisce casibus in sic delinquentes animadverterit.

III. An sua iurisdictione delegata usus sit in explenda visitatione conventuum et granciarum monasteriorum, in quibus Religiosi non aluntur in numero a sacris Constitutionibus praefixo, et quinam sunt Religiosorum mores, in dictis conventibus et granciis degentium.

IV. Denique, an aliquod habeat cum Regularibus offendiculum in exercitio iurisdictionis delegatae in illis casibus, in quibus eadem ipsi tributa est a sacro Concilio Tridentino, vel a Summorum Pontificum Constitutionibus, et signanter a Bulla Clementis Papae X., quae incipit *Superna.*

V. *De quinto relationis capite ad moniales pertinente.*

In hoc capite exponendum erit:

I. An moniales Episcopo subiectae suas servent constitutiones.

II. An clausura in earum monasteriis inviolate custodiatur.

III. An aliqui abusus in iisdem monasteriis irrepserint, qui consilio aut auxilio Sacrae Congregationis indigeant.

IV. An praeter ordinarium confessorem, alius extraordinarius ab ipso bis aut ter in anno fuerit oblatus.

V. An dictorum monasteriorum reditus fideliter administrentur, et monialium dotes fuerint persolutae, et quomodo erogatae.

VI. An in monasteriis monialium, quae sunt Praelatis regularibus subiectae, curaverit, ut clausura dictarum sanctimonialium fuerit exacte observata; et an contra inobedientes et contradictores per censuras ecclesiasticas et alia iuris remedia processerit.

VII. An harum monialium confessarii regulares, sive ordinarii sive extraordinarii fuerint ab ipso approbati, antequam earum confessiones exceperint.

VIII. An adhibitis Superioribus regularibus, singulis annis exegerit rationem administrationis ab his, qui administrarunt bona pertinentia ad haec monialium monasteria Regularibus subiecta: et an fideliter eorum reditus administrentur, et alia fuerint adimpleta, quae praescribuntur in Bulla Gregorii XV., quae incipit *Inscrutabili.*

VI. *De sexto relationis capite pertinente ad seminarium*

In hoc capite exponendum erit:

I. Quot sint in seminario alumni.

II. An in ecclesiastica disciplina recte instituantur.

III. Quibusnam studiis vacent, et quo profectu.

IV. An cathedrali et aliis loci ecclesiis, diebus festis inserviant.

V. An cum consilio duorum canonicorum seniorum, a se electorum, necessaria pro recto regimine statuerit.

VI. An illud aliquando visitet et operam det, ut constitutiones adimpleantur.

VII. An statuta sit taxa ad tramites Concilii Tridentini, eademque exigatur; et an aliqui sint morosi in eius solutione.

VII. *De septimo relationis capite ad ecclesias, confraternitates, et loca pia pertinente.*

In hoc capite exponendum erit:

I. An in sacristiis omnium et singularum ecclesiarum exposita sit tabella onerum Missarum et anniversariorum ad tramites decretorum s. m. Urbani VIII., et an eis punctualiter satisfactum sit.

II. An in confraternitatibus, scholis, aliisque locis piis punctualiter exsecutioni mandentur pia opera a testatoribus iniuncta.

III. An quolibet anno sibi fecerit reddi rationes ab horum locorum administratoribus.

IV. An montem pietatis sive charitatis visitaverit: an idem habeat reditus, qui superabundent sustentationi ministrorum, aliisque necessariis expensis, et in quas causas reditus illi erogentur, et si quid exigatur ab illis, qui pecuniam, frumentum, si agatur de monte frumentario, ab eo recipiunt.

V. An infirmorum hospitalia visitaverit, redituum rationes ab administratoribus exegerit, et an infirmis necessaria, quoad salutem animae et corporis, in eis subministrentur.

VIII. *De octavo relationis capite ad populum pertinente.*

In hoc capite exponendum erit:

I. Quinam sint populi mores, et an in pietate proficiat.

II. An aliquis irrepserit abusus, aut prava quaedam in eodem inoleverit consuetudo, quae indigeat consilio et Sedis Apostolicae adiutorio.

IX. *De ultimo relationis capite ad postulata pertinente.*

Ultimo loco Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchae, qui suarum ecclesiarum relationes ad sacram transmittunt Congregationem, si quae habent postulata proponenda pro suarum

regimine ecclesiarum, proponere poterunt cum clara facti et omnium circumstantiarum expressione, et, quatenus postulata spectent ad negotia forensia, exponant, an ea sint in aliis tribunalibus introducta, an adsint super iisdem aliorum tribunalium sententiae, ut, omnibus mature pensatis, possit S. Congregatio congruum suppeditare praedictis postulatis responsum.

Et haec sunt, quae opportuna visa fuerunt, ut in hac Instructione inserantur. Quod si aliqua fuerint, quae Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchae pro suarum indigentia ecclesiarum atque dioecesium addenda existimaverint, sciant sibi liberum esse, quae ipsis addenda videbuntur, addere et ad notitiam Sacrae Congregationis deferre, quae ex charitatis et iustitiae norma per se expediet, quae poterit, et maiora ad Summum Pontificem deferet, qui Fratribus suis Episcopis, quantum cum Domino licet, gratificari semper exoptabit.

INSTRUCTIONIS S. C. CONCILII
DE VISITATIONE SACRORUM LIMINUM
EXPOSITIO.

CAPUT PRIMUM

De primo relationis capite ad statum Ecclesiae materialem pertinente

I. Institutio dioeceseon.

Summarium. 1. Dioeceseon institutio, earumque subsequens historia narranda est in relatione status – 2. Hae siquidem notitiae e gremio dioeceseon ipsarum facile colligi possunt: quanquam speciales non desunt sacri quarumcumque nationum historiographi. – 3. Hodie omnes fere Europae dioeceses mutationem passae sunt, ut accidit de Gallia. – 4. de Bavaria, – 5. de Pedemonte, – 6. de utraque Sicilia, – 7. de regno Borussico et Hannoveriano, – 8. de regno Belgico, – 9. de nonnullis catholicis Russiae dioecesibus. De conventione cum regina Hispaniae; de hierarchia restituta in Anglia et Hollandia. – 10. Plerique Episcopi referunt quoque, cui sint Archiepiscopo subiecti.

1. Ecclesia nedum venerandae antiquitatis retinentissima est, sed et veterum monumentorum studia mirifice fovit semper et commendavit. Nihil itaque mirum, si in Instructione, de qua agimus, fundamentum veluti praeiactum fuerit, praecipiendo, ut in primis (idque intelligendum est quam brevissime fieri potest) dioeceseon *institutio* narraretur; id est, quis ecclesiae fuerit institutor, quo tempore, quae res memoratu dignae eidem ecclesiae contigerint, uno verbo: quae sit a prima origine eiusdem historia. Plures enim numerantur ecclesiae, quae aliquem e. g. Apostolorum discipulum, aut alium quemlibet sive sanctitate, sive doctrina, aut alia virtute conspicuum virum, quasi suum parentem agnoscant. Sunt etiam aliae, quae in serie Antistitum, qui eas successive occuparunt, tales prae se ferant viros, qui inclaruerint tum rebus eximie pro religione gestis, tum aliis omnino meritis et laudibus; ut e. g. evenit de metropolitana ecclesia Mediolanensi, quae D. Ambrosio, Ecclesiae doctore, et S. Carolo Bor-

romaeo optimo iure gloriatur, quarum rerum recordatio cum valet mirabiliter ad servandum et augendum ecclesiae decus et gloriam, tum etiam ad alendam et excitandam fidelium pietatem ac religionem. Itaque maiorem in modum convenit, ut Episcopi huiusmodi monumentis colligendis ac delibandis initium suae relationi ponant.

2. Neque enim alibi melius quam ex ipso cuiusque ecclesiae gremio erui queunt singula cognitu digna, quae vel scripta sunt, vel tradita, vel quacumque alia ratione posteris consignata super ecclesiarum singularum historia reperiuntur. Nihilominus nulli pene genti deest scriptor aliquis insignis, qui ecclesiasticam antiquitatem gentis suae docte non descripserit. Sic Italis est *Italia sacra* ab Ughellio descripta, Gallis *Gallia sacra* Monachorum S. Benedicti Congregationis S. Mauri; Germanis *Germania sacra* Hansizii; Anglis *Anglia sacra* Warton; Sardis *Sardinia sacra* Matthaei; Siculis *Sicilia sacra* Pirri; Hungaris *Vetera monumenta historica Hungariam sacram illustrantia*, collecta ac serie chronologica disposita ab Augustino Theiner, presbytero Congregationis Oratorii, Praefecto archivii S. Romanae Sedis; Russis *Monuments historiques relatifs aux regnes d'Alexis Michaelovich* eiusdem auctoris; Polonis et Lithuanis *Vetera monumenta Poloniae et Lithuaniae, gentiumque finitimarum historiam illustrantia ex maxima parte nondum edita e tabulariis Vaticanis* deprompta, collecta, ac serie chronologica disposita ab eodem auctore. Haec praecipua opera in modum exempli indigitasse sufficiat.

3. Verum ad haec tempora omnes fere per Europam dioeceses aliquam mutationem passae sunt: namque ab ineunte hoc saeculo ad principum temporalium preces Summi Pontifices novas dioeceseon circumscriptiones indulgere nunquam desierunt. Sic primus s. m. Pius VII. Napoleonis I., tunc primi Consulis, petitioni obsecutus, per Apostolicas Literas incip. *Qui Christi Domini* datas III. Kal. Dec. anni 1801., suppressis omnibus antiquis ecclesiae Gallicanae dioecesibus, novas per universam reipublicae ipsius ditionem dioeceses erexit easque hoc in statu (si quid aliqua in re excipias) adhuc permanere nemo nescit. Idem peregit ille Pontifex ad preces ipsius Napoleonis, Propraesidis reipubblicae Italicae, circa dioeceses a Gallis occupatas, et eidem reipublicae subiectas, ut patet ex Concordato, quod ratum habuit Pontifex die 29. Oct. anni 1803.

4. Idem Pontifex nova item ratione constituit Bavarici regni dioeceses, precibus ductus serenissimi Bavarici regis per Literas Apostolicas *Benedictus Deus* prid. Id. Nov. anni 1817.

5. Petente Victorio Emmanuele, Sardiniae rege, per Apostolicas Literas *Beati Petri* XVI. Kal. Aug. eiusdem anni 1817. ecclesias Novariensis et Viglevanenses subtraxit a iurisdictione Archiepiscopi Mediolanensis, easdemque metropolitanae ecclesiae Vercellarum suffraganeas constituit; item aliqua loca et paroecias a dioecesi Mediolanensi et Ticinensi disiunxit, et dioecesi Novariensi, vel Viglevanensi aggregavit coniunxitque: ex quo conventioni mox relatae cum Propraeside reipublicae Italicae aliqua immutatio illata est.

6. Per Literas Apostolicas incipientes *In supremo* Non. Martii 1817. conventio cum utriusque Siciliae rege inita confirmationem habuit, qua cautum est, ut citra pharum nova fieret dioeceseon circumscriptio. In ditione vero trans pharum sedes archiepiscopales et episcopales conservatae sunt, atque adeo etiam adauctae. Abbatiae aliquae *Nullius*, quae angustiores erant et pauperiores, dioecesibus, quarum in finibus continebantur, uniendae erant. Petente hoc eodem religiosissimo rege aliae quoque in Sicilia archiepiscopales et episcopales cathedrae erectae fuerunt.

7. Nova insuper circumscriptio dioeceseon ab eodem Pontifice perfecta est in regno Borussico per Apostolicas Literas *De salute animarum* XVII. Kal. Aug. 1822. Dioeceseon Hannoveriani regni circumscriptionem peregit s. m. Leo XII. per Apostolicas Literas incip. *Impensa Romanorum* VII. Kal. Apr. 1824.

8. Idem Summus Pontifex per Literas Apostolicas *Quod iamdiu* XII. Kal. Sept. anni 1827. conventionem cum rege Belgii confirmavit, per quam alia conventio anni 1801. inita inter Summum Pontificem Pium VII. et gubernium Gallicanum, quae in meridionalibus regni Belgici provinciis vigebat, ad septentrionales provincias ampliata et applicata est.

9. SSm̃us D. N. Pius PP. IX. post initam cum imperatore Russiarum conventionem sua Constitutione incip. *Universalis* diei V. Non. Iulii 1848. metropolitanam ecclesiam Mohiloviensem instituit, eique septem suffraganeas ecclesias subiecit, quarum sexta, nempe Chersonensis, de novo per easdem Literas creabatur. Deinde per Apostolicas Literas incipien. *Ad vicariam* Non. Septembris an. 1851. conventionem cum regina Hispaniarum iam conclusam

confirmavit, in qua prae primis nova dioeceseon Hispaniensium ordinatio ac circumscriptio, praeter alia ad bonum Hispaniae pertinentia, sancitae sunt. (1) Neque silentio praeteriri hoc loco debent Apostolicae Literae, de quibus iam supra mentionem fecimus, nempe alterae incipien. *Universalis* 29. Sept. an. 1850, alterae incipien.: *Ex qua die* 4. Mart. 1853. quibus in Anglia et in Hollandia divino beneficio ecclesiasticam hierarchiam ad vitam revocavit. Ceterum nostrae mentis non est, hic singulas immutationes nuper peractas recensere; aliquas notiores exempli gratia dumtaxat commemorare voluimus.

10. In hoc articulo Episcopi solent addere, an et cui ecclesiae metropolitanae subiaceant, nisi forte in subsequentibus articulis hanc rem, quam ceteroquin silentio praeterire congruum non est, renuntiare curaverint.

II. Confinia dioeceseon.

Summarium. 11 Referenda est confinium delineatio. – 12. Non sine causa dioeceseon distinctio est inducta. – 13. Ex relata illiusmodi delineatione facile dirimuntur lites inter Episcopos limitrophos exortae. Praesumendum est, quod quidquid intra tuae dioeceseos limites continetur, tuae iurisdictioni subsit, eoque magis, si accedant exercitae iurisdictionis actus. Id confirmatur ex resolutione causae *Caputaquen.* – 14. Confirmatur insuper ex causa inter Episcopos Squillacen. et Hyeracen. in S. C. Consistoriali diiudicata. – 15. Ex decreto S. Congregationis a Clem. XI. deputatae hodie definitum est, pro acquisitione territorii separati requiri clarum ac manifestum Apostolicum privilegium, vel immemorabilem consuetudinem legitime demonstratam. – 16. Confinia dioeceseon, itemque provinciarum et parochiarum praescriptionem non recipiunt. – 17. Confinia temporalium iurisdictionum nil commune habent cum iurisdictionibus ecclesiasticis. – 18. Confinium immutationes a laica potestate factae non attenduntur. – 19. Controversiae super confiniis S. Congregationi delatae ad S. C. Consistorialem remitti solent. – 20. Legata ex voluntate testatorum personis alicuius districtus relicta iisdem persolvenda sunt, licet districtus confinia mutata fuerint. – 21. Circa confiniorum argumentum adeundus est De Prosperis « *de territ.* » et Hieronymi Petri « *Orbe cattolico, ossia Atlante Geografico-Storico-Ecclesiastico, Roma 1858, presso la Tipografia della Rev. Cam. Apostolica.*

---

(1) Quibus vicibus obnoxia iverit haec conventio, constat ex documentis editis circa finem anni 1866.

11. Secundo loco in hac paragrapho confinia dioeceseos delineari debent, nempe quibuscum dioecesibus per totum ambitum ecclesia describenda circumeatur. Inde enim facile cernere est, quam late dioecesanum territorium pateat, multaque alia in rem plurimum utilia pernoscuntur.

12. Super hoc argumento praeclare aiebat S. Cyprianus *de unitate Ecclesiae* « Singulis pastoribus portio gregis fuit adscripta, » quam regat unusquisque et gubernet. Hinc est, ut omnes Epi- » scopi ultra limites propriae dioecesis potestatem ullam exercere. » prohibeantur, nec licet ipsis pontificalia quaevis peragere in » aliena dioecesi, quin depositionis poena plectantur ». Consonat *Cap. 1.* et item *quaest. 2. caus. 9.* Et statuunt pro eorum sapientia Patres Concilii Tridentini *sess. 14. cap. 9. de Ref.:* « Iure » optimo distinctae fuerunt dioeceses et parochiae, ac unicuique » gregi proprii attributi pastores, et inferiorum ecclesiarum re- » ctores, qui suarum quisque ovium curam habeant, ut ordo ec- » clesiasticus non confundatur, aut una et eadem ecclesia dua- » rum quodammodo dioecesium fiat non sine gravi eorum incom- » modo, qui illi subditi fuerint.... »

13. Accidit aliquoties, ut Episcopi in suis relationibus controversiam sibi esse renuntient cum limitropho Episcopo super aliquo loco, videlicet suae an alterius auctoritati locus ille subiaceat. Si tamen in relationibus confinia dioecesis adamussim delineata ac descripta fuerint, difficile non erit omnem quaestionem, easdem consulendo, dirimere. Quidquid enim intra limites tuae dioecesis continetur, tuae iurisdictioni subesse ex iure praesumitur, eoque magis si alia argumenta in subsidium afferre detur. Ad hoc principium tuto statuendum, causam subiicimus agitatam penes S. C. Concilii in *Caputaquen.* 12. Iulii. 1760., cuius *folium* (1) ita se habet *(Thes. Resolut. t. 29. pag. 90.):* « Ordi- » nariam sibi asserit iurisdictionem Episcopus Caputaquensis in » locis Rhodii et S. Mauri, utpote existentibus intra limites suae » dioeceseos, licet pertineant ad baiulivatum S. Euphemiae s. Or- » dinis Hierosolymitani, et ultra iuris praesumptionem, quae » Episcopis assistit in toto ambitu suarum dioeceseon, et tradita

(1) Quoties in hoc opere enuntiatur *folium* alicuius causae penes S. C. Conc. agitatae, sub hoc verbo intelligenda est Secretarii relatio, facti ac iuris momenta continens, quae ad causam ipsam referuntur.

» per Card. de Luca *de iur. disc. 1. n. 14. et 15.* et Card. Petra *ad* » *Constit. 6. Alex. III. sect. 1. n. 37.* et Rota *in Passavien. Visit.* » 26. Febr. 1731. coram SSmo coadiuvat suam institutionem, » exhibendo etiam antiquas visitationes a suis antecessoribus » peractas usque ab anno 1635. et successivis temporibus reno- » vatas in ecclesiis utriusque loci quoad Sacramenta et sacra- » mentalia cum aliis probationibus, ex quibus eruitur, vicarios » curatos ecclesiarum parochialium eorumdem locorum consuevisse » ab Episcopo adprobari, et ad synodum vocari, aliosque sacer- » dotes in eisdem ecclesiis Sacramenta Poenitentiae de illius li- » centia administrare, ab eodem Episcopo tabellae casuum reser- » vatorum affixionem in ecclesiis dictorum locorum demandari, » Ordines conferri, et Sacramento chrismatis populum confirmari: » quae omnia uti prae se ferentia exercitium iurisdictionis epi- » scopalis coadiuvare praesumptionem iuris pro subiectione co- » rumdem locorum ordinariae iurisdictioni Episcopi, in cuius dioe- » cesi sita sunt ex deductis per Rotam coram Caprar. Dec. 29. » n. 7. coram Falconier. *de off. ord.* Dec. 22. n. 8. »

Itaque propositis hisce dubiis:

1. « An Episcopus Caputaquensis exercere valeat omnimodam » iurisdictionem ordinariam in locis Rhodii et S. Mauri, seu po- » tius talis iurisdictio competat baiulivo S. Euphemiae?

2. » An vicarii curati pro ecclesiis parochialibus Rhodii et » S. Mauri a baiulivo praesentati examinari et adprobari debeant » ab Episcopo?

3. » An deputatio oeconomi provisionalis ad dictas parochia- » les spectet ad Ordinarium?

4. » An assertus vicarius baiulivatus dare possit licentias con- » fessiones excipiendi in dictis ecclesiis quibuscumque sacerdo- » tibus etiam non approbatis ab Ordinario?

5. » An administratio Sacramenti Confirmationis in locis Rhodii » et S. Mauri privative spectet ad Episcopum Caputaquensem in » casu? »

S. C. die 2. Aug. eiusdem anni 1760 respondit:

« Ad 1. Spectare ad Episcopum iurisdictionem ordinariam in » clerum et populum, quo vero ad ecclesias subiective unitas, » delegatam.

» Ad 2. Affirmative.

» Ad 3. Affirmative.

» Ad 4. Negative.

» Ad 5. Affirmative. »

Iterum impetrato beneficio novae Audientiae propositis singulis dubiis die 13. Martii anni 1762. eadem S. C. rescripsit:

« In decisis et amplius. »

14. Eadem fere argumenta adducebantur in causa inter Episcopos Squillacensem et Hieracensem super iurisdictione aliquorum locorum, quae causa excussa fuit anno 1838. in generali Congregatione Consistoriali. Porro ab Episcopo Squillacensi ad iurium suorum confirmationem depromebantur praeter alia etiam antiquae relationes a suis decessoribus super statu ecclesiae Squillacensis S. Congregationi Concilii conscriptae. Quocirca per se quisque intelligit, quantum intersit, (et idcirco peculiariter adnotatum voluimus), ut Episcopi cum de aliis rebus, tum de hoc capite ad S. Congregationem accurate deferant.

15. Disputatio olim erat inter doctores, an posset « inferior » Praelatus territorium separatum et iurisdictionem ordinariam » et quasi-episcopalem in clerum et populum cum ipsius Epi- » scopi exclusione in aliquo speciali loco acquirere per quadra- » genariam praescriptionem una cum titulo colorato? » At vero discusso formiter articulo in particulari Congregatione *ad hoc*, idest ad hunc proprie finem a s. m. Clem. XI. deputata, cui adhaerebat a secretis celeberrimus Lambertinius, declaratum est, inferiorem Praelatum id non posse: « sed pro acquisitione ter- » ritorii separati praedictaeque iurisdictionis omnino requiri aut » clarum et undequaque consistens Apostolicum privilegium, aut » consuetudinem immemorabilem cum suis omnibus requisitis » rite probatam, per quam Apostolicum privilegium de iure prae- » sumi valeat. » Quae declaratio a Summo Pontifice approbata est die 14. Ianuar. 1721., atque adeo pro stabili regula firmata fuit ab eodem Lambertinio, posthac Bened. XIV. in pluribus Constitutionibus, praesertim in ea, quae numero est 33. sui Bullarii, quod ipse testatur in opere *de Synod. dioec. lib. 13. c. 8. n. 18.*

16. Limites seu termini dioeceseon aeque ac illi provinciarum ac parochiarum, et ea, quae his cohaerent, praescribi non possunt ad textum *cap. 3.* Super eo *de Paroch. lib. 3. tit. 29.* » ibi: « super eo vero, quod apud vos intelleximus dubitatum, » an quod de finibus, et his, quae finibus cohaerent, non prae- » scribendis, statutum per canones dignoscitur, sit in paroecia-

» rum limitibus sicut in provincialibus admittendum, respondemus, quod bene videtur in utroque servandum, si fines legitima » probatione, vel alias indubitata fide constitit ecclesiastica ordinatione statutos. » Idem concinunt alii canones, in Decr. Gratiani nimirum *cap. 5. 6. et 7. quaes. IV. caus. 16. par. II.*

17. Confinia iurisdictionum temporalium nihil commune habent cum terminis iurisdictionis spiritualis et dioecesanae « Quin » imo (subdit de Luca *de iur. dis. 3. num. 15.*) frequenter una » dioecesis est complexiva oppidorum et locorum sub omnino » diversis provinciis et principatibus, vel ditionibus temporalibus » existentium. » Huiusce rei exempla passim occurrunt, ideoque pluribus verbis opus haud est.

18. Si militaris aliqua hostilitas alicubi invalescens dioecesis confinia perturbet, ac alia ratione determinet, id non attenditur ex textu *c. 13. quaest. IV. caus. 16.*, in quo, posito adsimili casu, Pontifex definivit: « Pro qua re placuit, ut omnis parochia, quam » antiqua ditione ante militarem hostilitatem retinuisse ecclesiam » suam quisque comprobaret, eius privilegio restitueretur. »

19. Si quando S. C. Conc. in relationum episcopalium examine huiusmodi controversias deprehendat, solet plerumque ad S. Congregationem Consistorialem transmittere, ut easdem definiat, si praesertim agatur de dioecesibus non ita pridem erectis, cuius institutionis acta penes eam asservantur. Aliquando vero expendendas easdem aggreditur iuxta disciplinam, qua alia ordinaria negotia tractari solent, veluti factum est in *Tiburtin. seu Sabinen. Dismembr. dioeces.* 25. Sept. 1847.

20. Piorum legatorum fundatores solent saepenumero praecipere, ut eorumdem legatorum fruitio iis determinatis personis attribuatur, quae in aliqua dioecesi vel parochia commorentur. Iamvero si accidat, ut dioeceseos, parochiaeve fines ita commutentur, ut illarum incolae ad alias dioeceses, vel parochias a testatore non designatas transitum faciant, aut contra incolae dioeceseon vel parochiarum a fundatore non vocati, dioecesibus vel parochiis a testatore designatis coniungantur, quid iuris sequendum erit in adiudicanda legatorum fruitione? Hoc in casu, generaliter loquendo, confinium immutatio dispositioni testatorum nihil derogare dicenda est, adeoque ad legata consequenda incolae locorum vocatorum admittentur, veluti antea, perinde ac nulla confinium immutatio contigisset; quandoquidem sedulo in-

spiciendum est, quid in mente fundator habuerit, minime vero, quid posthac ex auctoritatis lege statutum fuerit. Id enim confirmatur ex declaratione S. Congregationis Episc. et Regul. in *Bononien. super rev. Decr.* 26. Sept. 1856., in qua Dosius quidam incolis parochiae nuncupatae *Leprosetti* ius reliquerat obtinendi locum, occasione infirmitatis, in quodam hospitali curationis habendae causa. Initio huiusce saeculi ab ea parochia incolae ex maxima parte seiuncti fuerant, ac parochiae S. Bartholomaei superadditi; itaque hi ex decreto Archiepiscopi iure per Dosium relicto exuti fuerant. Demortuo Archiepiscopo, S. Bartholomaei parochus, cui maxima pars parocciae *Leprosetti* obvenerat, ius amissum apud S. Congregationem persecutus est, et EE. PP. tametsi ab edito Archiepiscopi decreto tantum temporis effluxisset, petitioni parochi reclamantis adnuendum esse censuerunt, iuxtaque mentem testatoris numerum tot locorum in hospitali antiquis incolis parochiae *Leprosetti* adiudicandum esse, quot eorumdem incolarum numero, facta proportione, responderet. Haud absimile exemplum praebet eadem S. C. *in Trejen. Nomin.* 14. Decembris 1860. et 7. Febr. 1862., necnon in *Narnien. Subs. Dot.* 15. Mart. 1861. ad 1. et 2.

21. Adeundus in hac materia de confinibus Ioseph de Prosperis in tractatu *de Territ. separ.*, qui iuris quaestiones expendit. Cui vero placeat dioeceseon descriptionem cum suis limitibus oculis inspicere, is adeat egregium opus Hieronymi Petri, quod inscribitur *Orbe cattolico, ossia Atlante Geografico-Storico-Ecclesiastico, prima parte.* In eo breviter exponitur historia originis et progressus ecclesiarum in fide catholica, et insuper delineatio provinciarum ac dioeceseon, in quas catholica fides invecta est. Hoc opus commendatur maxime propter notiones, quae vulgo *statistiche* vocantur, ex documentis omni exceptione maioribus petitas, quippe quae auctori suppeditatae sunt ab ipsis Episcopis; quibus praeterea ex omni fere parte tabulae, quae audiunt *dimostrative*, et in lucem eduntur, exhibitae fuerunt, atque eorum recognitioni subiectae, quemadmodum ipse in operis initio testatur. Anno 1859. edita est etiam *secunda pars*, in qua ecclesiastica Europae totius geographia iuxta rationem propositam describitur. Operis huiusce magnificum exemplar ab auctore SSmo D. N. munere dimissum, eadem Sanctitas Sua S. Congregationi particulari Concilii dono remittere dignata est.

III. Privilegia et praerogativae Episcopatus aut Patriarchatus.

Summarium. 22. Bened. XIV. mentionem facit de privilegio consecrandi Pontificis ad Episcopum Ostiensem pertinente. – 23. Item de antiquo privilegio Episcopo Salisburgensi super quatuor Episcopis constituendis: – 24. Necnon de aliis privilegiis aliorum Antistitum inungendi proprium principem. – 25. De privilegiis, quae Praelatis inferioribus aliquando tributa inveniuntur. – 26. De triplici Praelatorum specie. – 37. Quid requiratur, ut Praelati tertiae speciei synodum cogere possint. – 28. Ut privilegium convocandi concursum in iisdem admittatur, quid requiratur. Eo posito, ipsi possunt examinatores eligere, oeconomos et vicarios deputare, aliaque facere in *Sess. 24. cap. 18. de Ref.* descripta. – 29. Si quis iure ornatus est convocandi concursum, non ideo potest synodum convocare. De archimandrita Messanensi. – 30. Praelati inferiores regulares, etiam Benedictini non possunt ex sanctione Conc. Trid. tonsuram, vel Ordines minores conferre iis, qui sibi non subsunt. Praelati saeculares, cum regularibus non praesint, nulli tonsuram, aut minores Ordines conferre possunt, nisi habeant privilegium, quod impetratum fuerit post Conc. Trid. De Abbate N. N. Venetiarum. – 31. Si secus fiat nedum illicita sed et ex modernis S. C. Conc. declarationibus invalida est ordinatio. – 32. Praelati item inferiores tertiae speciei sine privilegio nequeunt dimissorias suis subditis concedere. De quaestione, an Abbas per accidens Episcopus, abbatiae subditis Ordines conferre ac dimissorias dare possit, an hoc ius Episcopo viciniori competat. – 33. Non desunt Praelati inferiores, qui privilegio insigniti sunt dimissorias impertiendi. – 34. 35. Nec item desunt, qui privilegio decorantur administrandae Confirmationis, ceu fit de Abbate Montis Virginis, qui confirmare potest etiam alienos subditos de consensu Ordinariorum, certis cautionibus adhibitis. – 36. Circa huius articuli materiam adeatur Petra *Comment. ad Constitutiones Apostolicas* nominatim ad Constitut. IV. Callisti III. sect. 2.

22. Non pauci sunt Antistites, quorum cathedris peculiares aliquae praerogativae ac privilegia inhaerent; itaque summopere congruit, ut iidem in exaranda relatione status propriae dioecesis de huiusmodi praerogativis et privilegiis verba faciant, quemadmodum opportunissime praecipit Benedictina instructio in hoc tertio capite, quod evolvendum modo nobis obiicitur. Benedictus XIV. *de Synod. dioec. lib. 13. cap. 7. n. 3. et seq.*, ut hac in re normam aliquam apte suppeditaret, plura cumulat exempla,

quorum nonnulla hic breviter attingemus. In primis idem Pontifex optimum factu fore statuit, si Cardinalis Episcopus Ostiensis, quem prout alios Episcopos suburbicarios Sixtina lege teneri supra diximus, cum primum de Ostiensis ecclesiae statu relationem conficiet, magnum illud privilegium commemorat, quod inter omnes est Episcopo Ostiensi peculiare, consecrandi Romanum Pontificem, siquando antea charactere episcopali non fuerit forsan insignitus; unde carpit occasionem doctissime ab origine de eodem privilegio disserendi.

23. Affert deinde exemplum Episcopi Salisburgensis, qui olim privilegio singulari, dignoque plane, quod in prima relatione status ecclesiae ab unoquoque Archiepiscopo facienda memoretur, decorabatur, constituendi scilicet quatuor Episcopos Gurcensem, Chiemensem, Secoviensem et Levantinum, quotiescumque videlicet eorum Episcopatuum vacatio accidisset. Hodie vero ob novas cum Apostolica Sede initas conventiones privilegium hoc ipsum evanidum factum est, ac insuper aliquae ex ipsis exstinctionem perpessae sunt; at vero saltem eruditionis historicae causa, non esset abs re, si quid innueretur.

24. Praeterea idem Pontifex verba facit de privilegio, quo nonnulli Episcopi fruuntur, inungendi supremum nationis suae principem; quod profecto eiusmodi est, ut ab Episcopis, qui eo pollent, in statu referendo minime silentio praetereatur.

25. Alia complura adiici possent exempla; sed quae allata sunt, ad rem nostram satis esse videntur. Potius gradum facimus ad exponenda privilegia Abbatibus ac Praelatis inferioribus non raro a Summo Pontifice tribui solita, quorum commemoratio in status relatione nedum expediens, sed et necessaria censeri potest, qualia sunt synodum dioecesanam celebrandi, parochorum concursum habendi, tonsuram conferendi ac minores Ordines, tradendi dimissorias pro tonsura ac sacris Ordinibus, et administrandi Sacramentum Confirmationis, et si quae alia eiusmodi sint. Quae sane materia, ut paulo plenius ac clarius, prout res postulat, explicetur, aliqua praemittenda sunt.

26. Triplex est Praelatorum inferiorum species. Prima est eorum, qui praesunt certo generi personarum commorantium intra septa alicuius ecclesiae, vel monasterii cum passiva exemptione a iurisdictione Episcopi. Secunda species est Praelatorum habentium iurisdictionem activam in clerum et populum certi loci, qui ta-

men intra dioeceseos alicuius ambitum situs est. Tertia species Praelatorum est eorum, qui iurisdictionem activam habent in clerum et populum alicuius loci, seu oppidi, aut plurium locorum et oppidorum, quae omnino avulsa et separata sunt a cuiuslibet Episcopi dioecesi; qui proinde quasi-dioecesim constituunt, et, exceptis iis, quae sunt Ordinis episcopalis, omnia fere possunt, quae possunt Episcopi. Quapropter optimo iure a Bened. XIV. tertiae huiusce speciei Praelati, qui nullius dioecesis sunt, et simpliciter *Nullius* vocitantur, de statu ecclesiarum suarum rationem reddere coacti sunt ex praescripto Constit. *Quod sancta* (Vide in volumine III. sub num. 2.).

27. Dixi *omnia fere possunt;* nam, praetermissis Praelatis primae et secundae speciei, de quibus non loquimur, quia statum exponere non tenentur, tertiae speciei Praelati synodum dioecesanam convocandi facultate ex suae praelaturae officio minime potiuntur. Ut autem sacerdotes sibi subditos in concilium dioecesanum cogere valeant, necesse est, ut duo comprobent, videlicet sibi a Sancta Sede huiusmodi ius explicitum impertitum fuisse, et reapse a suis decessoribus fuisse exercitum. Hanc doctrinam tradit et confirmat Bened. XIV. declarationibus S. C. Conc., speciatim in causa *Isernien.*, seu *Nullius. S. Vincentii in Voltur.* proposita die 11. Ianuar. 1687. (non additur *lib. dec.*, ex quo haec declaratio sumitur) ubi haec habet: « Ad hoc, ut » Episcopus inferior possit synodum congregare, duo copulative » requiruntur, primum nempe, quod habeat proprium ac sepa- » ratum territorium; secundum vero, quod eamdem synodum » congregare consueverit, ut alias respondit S. C. et signanter » in *Meliten.* mense Dec. 1586. *(lib. 4. decr. pag. 216.)*; ibi: Ab- » batem SSmae Trinitatis non posse separatim synodum celebrare, » nisi constet, abbatiam nullius esse dioecesis, et proprium ha- » bere territorium, atque alias legitime synodum celebrasse. » Vid. Bened. XIV. *loc. cit. lib. 2. cap. XI. n. 4. et 5.* Eamdem rem fusius evolvit Petra *ad Const. IV. Callisti III. sect. 2. n. 114. et 115.*, ac multas alias promit S. C. Conc. declarationes. Si igitur hoc privilegio aliquis Abbas, aut Praelatus inferior forte decoretur, illud significare in literis de statu dioecesis minime praetermittat.

28. Ius indicendi concursum cum iure convocandi synodum connexum quodammodo videtur; quoniam concursus ad tramites Conc. Trid. *(sess. 24. cap. 18. de Reform.)* coram examinatoribus

in dioecesana synodo electis instituendus est. Quapropter S. C. Conc. ius indicendi concursum in Praelatis inferioribus non admisit, nisi ipsi, probato privilegio et privilegii usu, ostenderint, se esse in quasi-possessione synodum congregandi: hoc vero posito, declaravit, posse eos eligere examinatores, habere concursum, oeconomos et vicarios deputare, et alia facere, quae praescribuntur citata *sess. 24. cap. 18. de Reform.* S. C. Concilii pluries declaravit: « Quod si parochialis (verba sunt S. Con-
» gregationis) non sit intra fines dioecesis alicuius Episcopi, et
» inferior Episcopus omnimode habeat iurisdictionem episcopa-
» lem, nec alicui subdatur, sed est immediate subiectus Sedi
» Apoctolicae, nullius dioecesis, proprium territorium habens
» si habeat ius convocandi synodum, et legitime constet, illam
» congregasse et congregare, et elegisse et eligere examinatores,
» poterit concursum instituere, examinare et approbare oecono-
» mos, vicarios deputare, et alia facere, quae praescribuntur
» *cap. 18. sess. 24.* Episcopus vero debet manuteneri, donec di-
» cta requisita Abbas probaverit. » *(Lib. 6. decr. pag. 91.)* Idemque atque iisdem verbis rescriptum legitur die 26. Sept. 1615. *(Lib. 11. decr. p. 163.)*.

29. Si quis autem iure instituendi concursum praeditus fuerit, non ideo iure synodum convocandi praeditus esse dicendus est; namque ut concursum celebrare valeat, praesto eidem esse possunt examinatores a finitimo Episcopo in synodo electi. Et sane; Archimandrita Messanensis ab Apostolica Sede potestatem habendi concursus impetraverat, ideoque sibi ius adhaerere contendebat, ut synodum habere sibi integrum foret. At, re delata ad S. C. Conc., propositoque die 5. Iul. anni 1738. dubio: « An
» Archimandritae Messanensi competat ius convocandi synodum,
» responsum est: « Negative ». Quamquam paulo post Bened. XIV. suis Apostolicis Literis in forma Brevis hoc ei privilegium die 14. Ian. 1741. ex integro dilargitus est. Adeatur idem Bened. XIV. de *Syn. dioec. loc. cit. n. 7.*, qui praeterea subiicit, hoc eodem privilegio sive temporaneo, sive perpetuo ab Apostolica Sede exornatos fuisse alios plures inferiores Praelatos tertiae speciei, ac praesertim Abbates Cassinensem, Nonantulanum ac Farfensem. Hodie vero abbatia Nonantulae in perpetuam administrationem Archiepiscopo Mutinensi adnexa est: abbatia Farfensis suppressa fuit, illiusque oppida finitimis dioecesibus addicta sunt.

30. Concilium Trid. *(sess. 23. cap. 10. de Ref.)* sancivit, « ne » Abbatibus, aliisque quibuscumque, quantumvis exemptis, liceat » primam tonsuram, vel minores Ordines cuiquam conferre, qui » regularis subditus sibi non sit. » Unde sequitur, Abbates regulares non posse conferre tonsuram, ac minores Ordines subditis alterius Ordinis regularis: quae dispositio complectitur etiam Benedictinos nominatim et Cassinenses circa subditos, qui suae Congregationi, vel Ordini minime subsint, quantumvis hi suorum Ordinariorum dimissorias, vel consensum proferant. Id porro declaravit S. C. Conc. die 13. Nov. 1641. apud Pignat. *(tom. 1. cons. 366)*, necnon apud Honorante *(Prax. Sec. Trib. Urbis Vic., Romae 1762. pag. 134.)*. Abbates saeculares, quantumvis gaudeant exemptione, cum regularibus non praesint, non possunt ullum licet suae iurisdictioni subditum ad tonsuram et minores Ordines promovere. Et reapse nuperrime Abbas N. N. Venetiarum, nixus Apostolicis Literis s. m. Nicolai IV. dici 1. Apr. 1454 tonsuram cuidam iuveni contulerat, eiusque conferendae ius sibi propugnabat contra Episcopum Tarvisinum, cuius dioecesi suberat ille adolescens. Cum vero nullimode probare posset Pontificium privilegium post Synodum Trid. obtentum, proposito dubio: « An con- » stet de privilegio conferendi tonsuram, et minores Ordines fa- » vore Abbatis N. N. Venetiarum in casu? » S. C. Episc. et Regul. die 8. Apr. 1859 respondit: Negative. Insuper collationem tonsurae et minorum Ordinum irritam declaravit. Consuli potest Fagnanus, qui idipsum docet declarationibus S. C. Conc. in rem adductis *cap.* Statuimus *de supp. neg. prael.* praesertim n. 53. per totum, et iterum *cap.* Significasti *de Off. Arch. a num. 12.*, necnon Card. Petra ad *Const. Apost. Const. IV. Callisti III. sect. 2. num. 66. ac 67.* At vero non desunt Abbates, qui huiusmodi privilegium post Conc. Trid. obtinuerunt, quales erant olim Abbates Commendatarii B. M. Farfensis, et S. Salvatoris maioris, itemque primicerius S. Marci Venetiarum, et Abbas S. Barbarae in civitate Mantuana. Itaque si Abbas hoc privilegio gaudeat, id exprimere in statu abbatialis ecclesiae referendo non omittat.

31. Praeterea addere non erit incongruum, quod privilegium istud ad suos subditos tantum coerceatur; neque enim insuper subditos alienae dioecesis comprehendit, etsi accedat consensus Ordinarii, cui subditi illi sint. Si enim etiam cum tali consensu subditis alienae dioecesis tonsuram et minores Ordines conferat

Abbas, qui suis tantum subditis ex privilegio conferre potest, collatio erit non solum illicita, sed etiam invalida, licet contrarium sentiant Fagnanus et Bened. XIV. l. c. n. *13.*; formiter enim articulo discusso, collationem in hoc casu non solum illicitam, sed etiam invalidam, atque adeo iterandam pronuntiavit S. C. Conc. in *Collen. Tonsurae* 24 Ianuar. 1795. Porro in eiusdem *folio* §. *Abbas* animadvertitur, Abbatem regularem, qui non ex simplici benedictione accipit characterem, potestatem ordinandi non haurire ex Ordine, ceu fit de Episcopis, sed ex concessione ecclesiae, seu ex privilegio, adeoque ipsum posse tantum quantum concessum? At ex Concilio Trid. potestas ordinandi ad proprios tantum subditos coercita est, et ideo circa alias denegata. Ita etiam S. Rota *decis. 985. coram Seraph.*, in qua sacer ordo hanc quaestionem adamussim agit, et hoc in sensu dirimit. Itaque *constare de nullitate tonsurae, ac propterea eam esse reiterandam* eadem S. C. Concilii quamvis antiquitus aliter aliquanto censuisset, solemniter declarare non dubitavit in superius memorata causa *Collen.*, in qua ille Abbas regularis monasterii Vallis Umbrosae tonsuram contulerat iuveni de Collensi dioecesi cum sui Episcopi dimissoriis. Porro idem Abbas quodam privilegio potiri dicebatur, ut quemlibet ordinare posset etiam sibi non subditum. Consulatur folium *Collen.*, ubi haec materia fuse discutitur, et idoneis argumentis comprobatur (1).

32. Concilium Trid. *sess. 23. c. 10. de Reform.* decrevit etiam: « Nec ipsi Abbates et alii exempti... literas dimissorias aliqui» bus clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant, » sed horum omnino ordinatio... ad Episcopos, intra quorum » dioecesis fines existunt, pertineat. » Disceptabatur olim, an huiusmodi limitatio inferiores tertiae speciei Praelatos afficeret? Honorante *(Prax. Secr. Trib. Urbis Vic. pag. 136.)* plures S. Rotae decisiones et S. C. Episc. et Regul. resolutionem affert pro negativa sententia, licet in fine fateatur, contrariam esse Trib. Vicariatus disciplinam seu praxim. Nec immerito; nam S. C. Conc. pluries affirmativum responsum praebuit, ac peculiariter in *Nullius seu Vespr. Iur.* 26. Mart. 1718. et 26. August. 1719., nec-

---

(1) Vid. Collectanea Emi Bizzarri *pag. 139. et 140.*, ubi aliter statutum est. Notandum, quod res absque discussione in plenario auditorio, per simplicem audientiam expedita fuit.

non circa abbatiam S. Ruphilli iam ad capitulum Vaticanum pertinentem die 21. Iun. 1719. in causa *Nullius* seu *Brictinorien. et Policastren.* ad dubium « An, etiamsi constet de territorio se- » parato, posset capitulum S. Petri concedere dimissorias? » re- spondit: « Negative, et amplius ». Namque ceu Episcopus Brictinoriensis obiecisse narratur in *folio* die 3. Dec. 1718. §. Additur, « privilegium praesumptum consistens in immemorabili non est » probatum, et quatenus esset probatum, non relevaret, utpote » a Tridentino sublatum. » Causa isthaec iterum proposita fuit die 24. Augusti 1720, at dimissa reperitur cum responso: « In decisis, et quoad indultum supplicent SSmo. » Quaeri posset heic, an Abbas, qui per accidens episcopali charactere praeditus sit, secluso privilegio Apostolico, subditis suis Ordines conferre, vel dimissorias tradere possit, seu potius ius hoc Episcopo viciniori competere dicendum sit. Negativum primae parti responsum, et affirmativum secundae reddendum esse suadere videntur verba modo allata Concilii Tridentini, necnon ea, quae super utroque capite, quod ordinationem et dimissorias attingit, in medium affert Fagnanus *cap.* Significasti, *de officio Archidiac. n. 27.* et praesertim *n. 30.*

33. Iamvero quod etiam istud dimissorias elargiendi privilegium respicit, non desunt Abbates, qui illud ab Apostolica Sede assecuti sunt, de quo proinde, quotiescumque id evenerit, Abbas in abbatiae statu exponendo mentionem facere curabit.

34. Tandem nemo nescit, qui theologiae limina salutaverit, ministrum ordinarium Sacramenti Confirmationis esse tantummodo Episcopum. At vero simplex etiam sacerdos ex delegatione Pontificia esse potest eiusdem Sacramenti minister extraordinarius, eo magis quod in Ecclesia Orientali ex Pontificia conniventia (vide Bened. XIV. *de Synod. dioec. lib. 7. cap. 9.)* ab immemorabili cum sola Episcopi licentia per sacerdotes sacrum chrisma conferri soleat. Nec novum eapropter, nec mirum esse debet, si Abbates hoc ab Apostolica Sede privilegium possint impetrare, ut reapse complures impetrarunt. Inter quos Abbas *Nullius Montis Virginis* hanc potestatem habuit a s. m. Clem. XIII Literis Apostolicis diei prid. Id. Maii 1732. incip. *Creditae nobis.* Cum itaque in significando statu suae abbatiae Sacramentum Confirmationis sese administrasse renuntiasset, eumdem percontata est S. C., an privilegium huiusce Sacramenti conferendi haberet a Summo Pon-

tifice, quod cum ita se habere rescripsisset, S. C. in literis 30. Martii 1830. respondit, nullum sibi superesse dubium, quin iure sacrum chrisma collatum ab eo fuisset.

35. In Apostolicis Literis tantummodo exprimebatur, subditos Abbatum Montis Virginis sacro chrismate ab iisdem inungi posse, nullum tamen de subditis alienis verbum subiiciebatur. Ceteroquin mos ab antiquo invectus fuerat, ut ipsi inungerent pueros alienae dioecesis, qui ad ecclesiam abbatialem ob religionem pietatemque, qua B. M. Virgo colebatur, magno numero adduci solebant. Igitur dubitatio orta est, an hoc iure uti possent circa pueros alienae dioecesis, reque delata ad S. C. Episc. et Reg., accurateque discussa, ad dubium: « An et quomodo Rm̃us Abbas Ge-
» neralis et Ordinarius abbatiae Montis Virginis manuteneri de-
» beat in possessione administrandi Sacramentum Confirmationis
» subditis alienorum Episcoporum et Ordinariorum? » Die 30. Martii 1855. S. C. respondit: « Affirmative de consensu saltem tacito
» Ordinariorum confirmandorum, retento authentico regesto in
» archivio monasterii confirmatorum, ac servatis aliis de iure
» servandis, facto verbo cum SSm̃o. » Mens erat, ut fieret relatio Summo Pontifici ad cautelam, exposito praesertim usu invecto, ut Abbas a vicinis Episcopis invitatus conferat confirmationem in territorio non suo, et ad cautelam sanatio reportetur. Insuper additae sunt aliae cautiones tum a Sacra Congregatione tum ab ipso Pontifice in audientia R. P. D. Secretario Sacrae Congregationis de more concessa, quas hic referre superfluum ducimus.

36. Ceterum qui fortasse cupiat hanc materiam de Praelatis inferioribus latius ac penitius recognoscere sive circa modum, quo iurisdictionem possunt acquirere, sive circa iurisdictionis actus, qui iisdem permissi vel prohibiti sunt, adeat iam laudatum Petram ad dictam Constit. IV. Callisti III. sect. 2. per totum; ibi enim doctissimus ille Cardinalis singulari diligentia more suo huiusmodi argumentum agit et perbelle exornat.

« IV. Numerus civitatum, oppidorum, aut locorum, qui Epi-
» scopatui, Archiepiscopatui, aut Patriarchatui subiecti sunt.

» V. Status cathedralis, metropolitanae, aut patriarchalis ec-
» clesiae, una cum numero canonicorum et aliorum servitio chori
» addictorum ; et an erectae fuerint praebendae poenitentiaria et
» theologalis.

» VI. Status ecclesiarum collegiatarum una cum numero » pariter canonicorum et ceterorum, qui choris earum intersunt, » et an in collegiatis erecta sit praebenda theologalis.

» VII. Status et numerus ecclesiarum parochialium, nec non » aliarum ecclesiarum et oratoriorum in Episcopatu, Archiepisco- » patu, aut Patriarchatu existentium; referendo signanter, an » cathedralis, metropolitana, aut patriarchalis et collegiatae, ora- » toria, necnon parochiales ceteraeque ecclesiae sint sacris su- » pellectilibus sufficienter instructae, et quaenam ex eis habeant » reditus pro fabrica assignatos. »

37. Quartus articulus de numero civitatum, oppidorumque nulla profecto demonstratione indiget; ac praeterea nihil omnino prae se fert, quod cum aliquo utilitatis fructu declaretur. De reliquis tribus super statu aedium sacrarum, sive cathedralium, sive collegiatarum, sive parochialium, aliter se res habet. Quoniam vero, si trium horum articulorum expositionem singulatim pertractemus, iuxta ordinem in Benedictina Instructione dispositum, in ea necessitate nos futuros esse intelligimus, ut ea, quae iam dixerimus, repetere, aut saepissime ad eadem lectorem remittere oporteat; hinc rectius nos facturos esse ducimus, si cunctos tres articulos insimul cumulemus, adeoque alium ordinem, qualem videlicet argumenti natura suadet, hac in re persequamur.

38. Ceterum quanti momenti sit materia, quam ibidem complectemur, nemo certe non videt. Porro Antistites plerumque referunt sacras aedes reparationibus et sacra supellectile indigere, et S. C. solet eisdem indicare remedia, quae huic necessitati succurrendae in iure canonico praesto sunt; itaque prono sequitur alveo, ut diligenter excutiatur, qui ad reparationes conficiendas et sacram supellectilem comparandam teneantur. Praeterea in iisdem articulis Antistites praebendae poenitentiariae, et multo frequentius theologalis defectum renuntiant; quaerendum igitur est, qua ratione huic rei consulendum esse rescribat Sacra eadem Congregatio. Tandem haud infrequens est, ut in relationibus renuntietur tum SSm̃um Eucharistiae Sacramentum asservari in illis ecclesiis, ubi non licet absque Apostolico indulto ipsum retineri, tum pariter Missam celebrari in privatis oratoriis sola cum Episcopi venia: quae duo cum ab recta canonici iuris forma absona sint, speciali digna videntur explicatione.

Art. I. De reparatione aedium sacrarum.

Summarium. 39. Ad cathedralium reparationem adiguntur gradatim fabrica, ii qui consuetudine tenentur, Episcopus, Canonici, totus clerus, tandem populus. – 40. Idem dicendum de collegiatis dempto Episcopo et clero extra ecclesiam. – 41. In Italia et insulis adiacentibus pro cathedralibus et collegiatis solvenda est *media annata* iuxta Bened. XIII. Constit. *Pius et misericors*. – 42. Contra quam non valet consuetudo etiam immemorabilis. – 43. Parochiae scutatorum centum reditum excedentes *media annata* taxantur. – 44. In harum taxatione deducenda sunt onera fixa et realia, minime vero personalia. – 45. Capellaniae laicales ad nutum amovibiles *mediae annatae* non subiacent. – 46. Administratio cumuli *mediarum annatarum* Episcopo cum capitulo collegialiter sumpto competit. – 47. 48. Ad refectionem ecclesiarum parochialium gradatim obligantur fabrica; ii qui constitutione speciali, vel consuetudine coactiva tenentur, sive privatae, sive morales personae sint; parochi, parochiarum pensionarii, et simplices beneficiati; patroni (si nempe suum ius retinere volunt); denique populus per aes et libram. – 49. Sunt et remedia extraordinaria, veluti census impositio, alienatio, mutuum, et alia id genus ex gratia Apostolica impetranda. – 50. Quae pro ecclesia parochiali sancita sunt, valent etiam pro domo parochi reparanda. – 51. Donec domus parochialis instauratur, potest Episcopus parocho permittere, ut domum aliam interim conducat. – 52. Ecclesias simplices reficere tenentur gradatim fabrica, qui ex legato, statuto, vel consuetudine obligantur; ecclesiae rector, aliique beneficiati; tandem patroni; hi, si renuant, vel privantur iure patronatus, vel iuris remediis coguntur. – 53. Potest Episcopus, uti Sedis Apostolicae delegatus, auditis interesse habentibus, transferre beneficia ab ecclesiis collapsis in alias ecclesias viciniores. Item potest adigere beneficiatos ad harum restaurationem. Item ad futuram restaurationem aedium, in quas beneficium translatum est, ad celebrationem Missae in die festo Titularis beneficii, nisi secus in fundatione statutum sit. Denique pro praedicta reparatione potest sequestrare fructus beneficiales. – 54. Haec valent etiam circa capellas et altaria ibidem sita. – 55. Qui ad reparandam ecclesiam, iidem ad comparandam sacram suppellectilem tenentur. Nihilominus *media annata* non potest exigi pro reparanda sacra suppellectile. – 56. Si omnia remedia deficiant, ecclesiarum demolitionem poterit Episcopus permittere, quamquam caute admodum se gerere debet. – 57. Responsio S. C. Rit. pro ecclesiis et altaribus reconciliandis, ubi militares copiae stationem fecerant, ac permulta damna intulerant. – 58. S. C. Conc. in suis responsionibus (quando alia remedia non prosint) piam fidelium liberalitatem excitare pro ec-

clesiarum tuitione solet. – 59. Ecclesiae praesertim cathedrales ius habent ad sacra utensilia a beneficiatis, et nominatim ab Episcopis relicta vulgo *spolium*. – 60. Quod ideo potissimum inductum est, ut eadem in profanas laicorum manus ne cadant. – 61. Quae speciatim veniunt nomine *spolii?* – 62. Aliter disponens de iis, nihil agit. Detentores poenis et satisfactioni subiiciuntur. – Collectores camerae Apostolicae in iis se immiscere prohibentur. – 63. Sanctiones huiusmodi compluribus quaestionibus originem praebebant. – 64. Plura dubia de *spolio* Episcoporum ac praesertim Cardinalium novissime in *Aesina* resoluta sunt a S. C. Episc. et Regul. Qua de re Apostolicae SSmi D. N. Literae in eius confirmationem prodierunt.– 65. In *Feretrana* licet Episcopus defunctus inventarium non confecisset, S. C. cathedrali non cedere censuit utensilia, quae haeredes rite demonstrabant ex bonis patrimonialibus comparata fuisse. – 66. Non potest Episcopus uti paramentis alicuius ecclesiae extra illam. De utensilibus tractatum edidit de Albertis.

39. Ad primum quod attinet, sacrae aedes vel cathedrales sunt (quo nomine etiam ecclesias patriarchales et archiepiscopales comprehendimus) et collegiatae, vel parochiales, aut simplices ecclesiae. De primis optime quadrat doctrina Sperelli *Decis. 68. n. 20.*, quam sequitur Crisp. *de visit. past. P. II.* §. *13. n. 4.* Barbosa *Cons. 25.*, aliique, et, quod maius est, S. C. Conc. *in Terrac. et Setin.* 17. Martii 1781. §. 7. « Si agatur (ita Sperel-
» lius) de instauranda ecclesia cathedrali, latior distinctio, seu
» graduatio facienda est; nam et hoc in casu prius ad portionem
» pro fabrica destinatam; deinde recurrendum est ad consuetu-
» dinem; quibus cessantibus, Episcopus tenetur quartam partem
» fructuum suae mensae tam praesentium, quam praeteritorum
» impendere; qua non sufficiente, (pro fabrica necessaria, non
» tamen ad ornatum) tenentur canonici de praebendis (deducto ne
» egeant) contribuere; et illis quoque non sufficientibus, possunt
» ceteri in dicta ecclesia beneficiati iuxta vires, et deinde etiam
» totus clerus ab Episcopo cum consensu maioris partis capituli
» ad contribuendum cogi; et denique in subsidium tenetur con-
» tribuere populus; ita latissime varias antiquorum reassumens
» opiniones consuluit Berojus *Cons. 3. per tot.*, Barbosa *Cons. 25.*
» *vol. 3.* « Manutentio autem, seu reaedificatio ecclesiae aedium-
» que illi adnexarum eodem iure definitur iuxta *Cap.* Boni prin-
» cipis *dist. 96.* » Idem firmavit Rota in *Constantien. Reaedificat. ecclesiae* 3. Mart. 1758. §. 7. coram Ratta.

40. Quae porro doctrina etiam collegiatis aptanda esse videtur, si e numero eorum, quibus illud onus inhaeret, primo demas Episcopum (dummodo aliter consuetudo non ferat, prout e. g. fert in collegiata Motulae dioeces. Castellaneten. S. C. Concilii in *Castellanet.* 24. Iulii 1858.) et secundo clerum, qui de collegiata minime sit.

41. Pro Italia et insulis adiacentibus observanda est Constit. s. m. Bened. XIII. data. IV. Id. Maii 1725. incip. *Pius et misericors,* in qua cavetur, ut ad restaurationem ac perpetuam tuitionem fabricarum cathedralium et collegiatarum dimidium redituum beneficialium primi anni, quod vocatur *media annata,* ab omnibus beneficiatis persolvatur; quam idcirco Constitutionem damus infra in appendice huius voluminis num. 5. Ea non afficit beneficia, quorum collatio, institutio et provisio ad Sedem Apostolicam pertinet, neque ea, quorum rectores ex consuetudine sex mensium fructus fabricae aut sacristiae pendunt. Praeterea quoniam per ipsam sacrorum canonum statuta et praesidia sublata vel imminuta non sunt, firmissimum remanere decernitur reparandae cathedralis onus, quod Episcopis a iure iniunctum est. Neque etiam eadem Constitutio habet locum, quando reperitur opus, seu patrimonium peculiare fabricae sufficienter instructum, aut onus, vel obligatio restaurationis ac tuitionis residet penes communitates laicorum, vel adsunt dictarum ecclesiarum patroni, qui nisi reparare velint ac manutenere easdem ecclesias, earum patronatum amittant.

42. Neque obligationem *mediae annatae* persolvendae excusare et impedire posset immemorabilis eam non exigendi consuetudo; quippe in dicta Constitutione clausula *sublata* apposita est cum *decreto irritanti,* ut resolvit S. C. Concilii in *Reatina Med. annat.* 16. Maii 1789. §. Casus *Ariminen. Med. ann.* 13. Martii 1841.; ac ceteroquin nemo nescit, nullam esse vim consuetudini vel immemorabili contra dispositiones, quae munitae sunt clausula *sublata* et *decreto irritanti.* Rota *decis. 575. n. 11. coram Penia, et Gerunden. Canon.* 3. Martii 1727. §. *30. coram Calcagnin.* apud S. C. C. in *Reatina Med. annat.* 12. Maii 1770. §. Ad primum. *Tudertina Med. ann. per Summ. precum* 1847.

43. Ecclesias parochiales, quae utique excedunt annuam redituum scutatorum centum, minime vero eas, quae parem reditum attingunt, licet non excedant, ad solutionem *mediae an-*

natae teneri edixit S. C. Conc. in *Arimin. Med. annat.* 7. Iulii 1855. *ad 1. et* 2. Propositis namque dubiis « 1. An parochus Bianchini, » (cuius praebenda scutata 118. reddebat), teneatur ad solutio- » nem *mediae annatae* in casu? 2. An beneficia parochialia, quae » attingunt, sed non excedunt annuum reditum scutatorum cen- » tum sint declaranda exempta ab onere *mediae annatae* in casu? » Emi Patres rescripserunt: « Ad 1. et 2. Affirmative. » Monendum est, circa primum dubium, lectionem Constit. Bened. XIII. in edit. Mainardi anni 1736. in eo, quod pertinet ad hunc articulum, mendosam esse; addit enim §. *Provisi* ante verbum *excedentibus* particulam *non*, quae insiticia est. Itaque standum est potius lectioni in editione Barnabo Romae 1725 traditae, quae particulam *non* exclusam refert, et concordat apprime cum ea, quam dabimus in volumine III. sub num. 5. Porro Blanchinius, parochus Ariminensis dioeceseos, nitebatur lectioni editionis Mainardianae, quam tamen mendosam demonstrat folium allatae causae, imo contrariam declarationibus pluries tum antiquitus, tum recenter a S. C. Conc. emanatis.

44. In Constit. *Pius et misericors* mediae annatae lege tenentur provisi de parochialibus una cum incertis annuum reditum scutatorum centum monetae Romanae excedentibus. Cum enim quaesitum fuisset in *Tibur. Med. ann.* 4. Maii 1754: « An, et quae » onera, et quae expensae deducendae sunt ex reditibus beneficio- » rum tam curatorum, quam non curatorum in casu? » Et S. C. die dicta rescripsit: « deducenda esse onera mere fixa et realia, » non vero personalia in beneficiis curatis, ad effectum, ut subii- » ciantur taxae, et amplius ». Et hanc resolutionem in simili causa dandam esse rescripsit in *Reatina Med. ann.* 10. Maii 1794.

45. Capellaniae laicales ad nutum amovibiles, etiamsi sacerdotales sint, mediae annatae pensitandae nequaquam subsunt. Orta enim huiusmodi controversia, an sub dispositione Constitutionis *Pius et misericors* comprehenderetur capellania sacerdotalis amovibilis sub D. Antonii titulo in Firmana dioecesi, licet sententiam negativam tuerentur canonici metropolitanae urbis Firmi, disceptato dubio: « An debeantur ecclesiae cathedrali fructus dimidii anni in casu »? die 19. Sept. 1767. S. C. Conc. respondit: « Negative ».

46. Administratio redituum ex mediae annatae collectis obvenientium, iuxta praescriptum Constitutionis Benedictinae, Epi-

scopo et capitulis cathedralium, sive collegiatarum insimul consideratis concredita est, qui proinde capitulariter congregati decernunt id omne, quod ad rem pertinere videatur. At vero non licet canonicis, singulatim consideratis, libros huiusmodi administrationis inspicere et expendere: namque in *Recineten. Med. annat.* 14. Iun. 1862. concinnato dubio: « An dignitatibus, » singulisque canonicis ius sit inspiciendi, et examinandi libros » administrationis mediarum annatarum in casu »? S. C. Conc. rescripsit: « Negative et servetur dispositio Constit. *Pius et mi-* » *sericors* Bened. XIII. et amplius ».

47. Post cathedrales et collegiatas, de parochialibus loquendum est. Tridentini Patres *(Sess. 21. cap. 7. de reform.)* ita Episcopis praescripserunt: « Parochiales vero ecclesias, etiamsi iuris » patronatus sint, ita collapsas refici et instaurari procurent ex » fructibus et proventibus quibuscumque ad easdem ecclesias » quomodocumque pertinentibus. Qui si non fuerint sufficientes, » omnes patronos et alios, qui fructus aliquos ex dictis ecclesiis » provenientes percipiunt, aut in illorum defectum, parochianos » omnibus remediis opportunis ad praedicta cogant, quacumque » appellatione, exemptione et contradictione remota. Quod si ni- » mia egestate omnes laborent, ad matrices, seu viciniores ec- » clesias transferantur cum facultate tam dictas parochiales, quam » alias ecclesias dirutas in profanos usus non sordidos, erecta » tamen ibi Cruce, convertendi ».

48. Ex hoc decreto distincta per gradus aeque series conflatur eorum, qui ad aedium parochialium tuitionem adiguntur, quam accurate expositam expensamque exhibet Bened. XIV. *Instit. ecc. 100. (per totum);* breviorem vero dedit S. C. Conc. in *Spoletana Restaur. dom. par.* diei 18. Decemb. 1847. in haec verba: « Itaque primo loco ecclesiarum parochialium statui prospicien- » dum est ex fructibus et proventibus ecclesiae. Secundo sum- » ptibus eorum, qui ex constitutione aliqua, vel statuto ad id » obligantur. Tertio loco, eorum expensis, si qui sunt, qui ex » antiqua ac certa consuetudine obstringuntur: haec autem ad » inducendam coactionem esse debet idonea. Inter illos.... ne- » dum privatae personae, sed et *moralia*, ut aiunt, *corpora*, » e. g. municipia comprehenduntur, uti statuit haec S. C. in *Bal-* » *neor. Rest. eccl. par.* 15. Septemb. 1838. confirmata die 1. Fe- » bruar. 1840. Quarto expensis parochi, si tamen idem parochus

» amplo censu potiatur, et postquam necessarii ad eiusdem ali-
» moniam sumptus deducti fuerint; quod si congruo censu de-
» stitutus sit, a reparationum onere exemptus abire permittitur.
» Et hac quidem in sede una cum parocho locum habere debent
» non solum ii, qui pensiones, (dummodo hae libere assignatae
» non fuerint) ex parochiali dote percipiunt, sed etiam qui sim-
» plicia beneficia in ecclesia parochiali possident. Quinto loco
» onus reficiendi parochiale templum patronis imponitur, si ni-
» mirum patronatus iura retinere velint. Porro patronis congruus
» terminus praefigitur, ut ecclesiam reparent, quo inutiliter elapso,
» omni patronatus iure cecidisse declarari possunt. (Vide Be-
ned. XIV. *Inst. 100. n. 14.* et recenter S. C. Episc. et Regul. in
Bononien. Reaed. eccl. 15. Iun. 1855.). Sexto loco ad taxationem
» populi deveniendum est, sicuti videre licet in *Imolen. Rest. eccl.*
» *par.* 6. Septemb. 1783., ubi S. C. definivit ad reparationem
» ecclesiae teneri populum et possidentes in districtu paroeciae
» per aes et libram, et huiusmodi declarationem confirmavit die
» 10. Ian. 1784. Exceptio fit, si paroeciae incolae pauperrimi
» sint; tunc enim adigi nequeunt. Septimo loco si parochialis
» ecclesia censu divite praedita sit, quin parochi reditus nequa-
» quam distinguantur, census huiusce partem alienandi facultas
» postulari poterit, ad sacras aedes reparandas, vel a fundamen-
» tis exstruendas. »

49. « Praeter haec alia etiam suppetunt extra ordinem reme-
» dia, ope S. Congregationis obtinenda, videlicet capellaniarum
» suspensio, ut in *Tiburtina* Suspens. *cap.* 17. Febr. 1816., census
» impositio super bonis ecclesiae, S. C. in *Forolivien.* 13. Iu-
» nii 1789. ad 1. dub., ac etiam Missarum reductio in *Veliternen.*
» *Susp. Miss.* 18. Sept. 1790. ad 1. dub. ». De quaestione, an li-
ceat in una eademque ecclesia retinere duas animarum curas
inter se distinctas, vide *Ramen. Parochialis* per Summ. precum
22. Iunii 1850.

50. Quae vero de ecclesiae reparatione sancita sunt, repara-
tioni etiam domus parochialis similiter accomodantur, quemad-
modum pluribus adductis superiorum temporum declarationibus
eadem S. C. confirmavit in citata *Spoletana* 18. Decemb. 1847.
Proposito enim dubio: « An et cui competat onus reficiendae
» domus parochialis S. Mariae loci Sillani in casu »? S. C. rescri-
» psit: « Affirmative populo, facta taxatione per communitatem. »

51. Interim tamen, donec domus parochialis exstruatur, vel reparetur, Episcopis integrum est permittere, ut possint parochi habitare in domibus conductis vel aliis intra limites paroeciae (S. C. C. in *Catacen.* 3. Iun. 1635.). Atque etiam si domus conduci nequeat intra paroeciam, iidem Episcopi indulgere possunt, ut domos in alienis paroeciis vicinioribus sitas inhabitent. (*S. C. Conc. Liter. encycl.* 19. Iunii 1636., quam aeque ac *Catacen.* per extensum legere est in *Spoletana* praecitati anni 1847. Consulatur etiam folium causae *Nucerinae Residen. et iurium* 10. Iunii 1865. §. Attamen).

52. Reliquum est, ut de ecclesiis simplicibus agamus. Percommode Panimollius multorum Doctorum et S. Rotae Romanae auctoritatibus fretus haec habet *(decis. 15. adnot. 1. num. 17.):* « Quo vero ad alias ecclesias inferiores, deficiente fabrica et red» ditibus ecclesiae ad eius reparationem et manutentionem de» stinatis, vel consuetudine, vel legato, seu alio statuto, si be» neficium sit pingue, et tunc tenetur etiam clericus beneficiatus, » et alii ecclesiarum rectores, licet sint inferiores, reparare, et » altaria paramentis, mappis et aliis necessariis ad Missae sa» crificium instruere, quia reparatio ecclesiae, eiusque etiam fa» bricatio et praeparatio ornamentorum a pari procedunt, ut ultra » Genuen. . . . . » Quae doctrina limitationem patitur, si beneficium tenue sit, et beneficiato sustentando impar, modo tamen beneficiatus ipse resideat et ecclesiae servitium operamque praebeat (Panim. *l. c. n. 19. et seq.*). Limitationem patitur etiam, tum, cum ecclesia iuri patronatus obnoxia est. Nam S. C. Episc. et Regul. in *Mutinen.* 2. Maii 1601. (apud Crisp. *Vis. past. P. II.* §. *13.* n. 11.) opportune haec, quae latine vertimus, decernebat: « Si ecclesiae et altaria sunt de iure patronatus, neque dote pol» leant, et indigeant reparatione et ornamentis, si post terminum » ipsis patronis praefigendum non reparentur, aliis concedenda » sunt: idque procedit etiam tum, cum altaria in Regularium eccle» siis inveniantur.» Vide etiam *S. C. Episcop. et Regul.* in *Bononien. Reaed. Ecc. paroch. 15. Iun. 1855.* Idipsum pluries declaravit S. C. Concilii praesertim in *Brixien.* 18. Iun. 1597.; hoc vero si valet circa altaria in ecclesia regulari sita, eo fortius circa capellam exstructam in ecclesia parochiali, ut recens eadem S. C. Conc. in *Fanen. Red. capell.* 10. Iunii 1848. per *Summ. precum,* ubi affertur citata *Brixien.* §. *Neque.* Insuper in eadem *Fanen.* patronus,

nempe R. C. A. prothesaurarius, ad expensas reaedificatae capellae damnatus est, tametsi antea nec interpellatus, nec terminus eidem praefixus fuerit; neque enim agebatur de patronatu auferendo, et in alterum transferendo, iuxta doctrinam Pitonii *de controvers. patron. art. 12. n. 24.* (1).

53. Episcopus, in cuius dioecesi beneficia curata inveniuntur, quae reparatione indigent, potest (ut docet Ferraris verbo *Beneficiatus art. 1. n. 18.)* sequestro supponere eorumdem beneficiorum fructus, etiamsi sint militum Hierosolymitanorum, ut respondit S. C. Conc. in *Hieracen.* 28. Maii 1590. *(Lib. 7. liter. pag. 165.)* et in *Narnien.* 24. Maii 1657., in qua Episcopus (vide Ferraris *l. c. n. 19.*) haec dubia S. C. C. proposuit: « 1. An posset » in actu visitationis eorum titulos ad ecclesiam viciniorem trans- » ferre? (quia nimirum ecclesiae, in quibus titulus beneficiorum » constitutus erat, collapsae erant). 2. An posset eorumdem bene- » ficiorum possessores quacumque dignitate fulgentes cogere ad » resarciendam ecclesiam, in quam transferantur tituli, quatenus » restauratione indigeret, et erigendum altare in dicta ecclesia? » 3. An eosdem cogere posset ad celebrandum, seu celebrari facien- » dum in die festivitatis illius Sancti, sub cuius invocatione ere- » ctum est beneficium? 4. An ad effectum praedictum, et pro con- » ficiendis supellectilibus sacris possit sequestrari facere fructus » eorumdem beneficiorum? » Et S. C. rescripsit: « Ad 1. Si eccle- » siae, ut supponitur, sint fere dirutae et collapsae, Episcopum, » auditis, quorum interest, posse, uti Sedis Apostolicae Delega- » tum, transferre beneficia simplicia ad ecclesias viciniores. Ad » 2. respondit, dictos rectores beneficiorum, etiam in quacumque » dignitate constitutos teneri post translationem secutam ad fu- » turam restaurationem ecclesiarum, ad quas beneficia fuerint » translata. Ad 3. respondit, eosdem beneficiatos cogi posse ab » Episcopo ad celebrandum, seu celebrari faciendum in die fe- » stivitatis illius Sancti, sub cuius invocatione beneficium est » erectum, nisi aliud constet in erectione, seu fundatione. Ad » 4. respondit, posse ad effectum praedictae restaurationis, nec- » non pro conficiendis sacris supellectilibus redditus eorumdem

(1) Aliquando patronus praeter obligationem a patronatu mere nascentem habere potest obligationem aliunde profectam, videlicet ex statuto, lege, pacto, et similibus. Talis fortasse erat R. C. A.

» beneficiorum sequestrare. » Consonat S. C. Conc. in *Asculana* 21. Ianuar. 1721. et in *Rossanen.* 11. Mart. 1741.

54. Ex his, quae proxime de refectione ac tuitione ecclesiarum simplicium exposita sunt, licet arguere, eamdem doctrinam locum habere etiam in capellis ibidem sitis, quin etiam in altaribus; quandoquidem frequentissime accidit, ut ecclesiae universae reparatio spectet e. gr. ad Titium, prout de iure, capellarum tamen, sive omnium, sive alicuius (et idem dic de altaribus) pertineat ad Caium. Consuli potest Crisp. *de vis. pastor. loc. cit. n.13.*

55. Adnotandum est, (quod velut obiter delibavimus) ea, quae hactenus stabilita sunt de reparationibus aedium sacrarum, ampliari etiam ad sacram supellectilem, ut paramenta, ornamenta, calices, patenas, luminaria, aliaque sacra utensilia, et cetera necessaria, quae, ait Panimollius *loc. cit. n. 48.* « sunt necessaria, et » a pari procedunt cum ecclesiae reparatione et manutentione, » ut militet eadem ratio, et idem ius. » Confirmatur auctoritate tum Bened. XIV. (*Inst. 100. n. 21.*), ubi postquam seriem eorum descripserit, qui gradatim ad aedes parochiales reparandas adiguntur, disertis verbis eosdem ad sacram supellectilem instruendam adigi enuntiat, tum pluribus declarationibus S. Congregationis Concilii, quas brevitatis causa silentio praeterimus, unam *Castellaneten. Expens.* 24. Iul. 1858. allegare satis habentes. Ad hoc argumentum quod attinet, vide insuper *cap. IX. de postul., postul. I.*

Ab hac regula excipienda est praestatio, quae ex titulo mediae annatae pendi debet ad praescriptum Constit. *Pius et misericors;* ea enim ad materialem cathedralium et collegiatarum fabricam, sive aedificium tantummodo coercetur. Namque in *Tusculana* die 20. Decemb. 1727. proposito dubio apud S. C. Conc. « An exigi possit media annata, eademque erogari in supelle- » ctiles ecclesiae cathedralis Tusculanae? » rescriptum fuit: « Ne- » gative (1) ».

56. Quando vero remedia quae hactenus indicata sunt, nullo modo praesto esse queant, tum potest fieri locus ecclesiarum, sacellorum et altarium demolitioni ac translationi iuxta ea, quae

---

(1) Acta Congr. huius diei in editione *Thes. Resol. Urbin.* minime referuntur: at in libro authentico decretorum ipsius S. C. Concilii referuntur una cum hac *Tusculana*, Circa utensilia, et *Alatrin.* Med. ann. 23 April. 1862.

Conc. Trid. permisit *cap. 7. sess. 21. de reform.* cuius verba superius *(pag. 72.)* relata sunt. Qua tamen in re caute, ne cultus divinus detrimentum patiatur, Episcopi procedant ad exemplum S. C. Conc., quae preces pro huiusmodi demolitione ab oratoribus oblatas saepenumero reiiciendas esse existimavit, quemadmodum factum est in *Ravennaten. 29. Iulii 1775.*, et *Ariminen.* Commut. volunt. *2. Dec. eiusdem anni*, et in *Aesina* Demolition. *26. Aug. 1780.* (1).

57. Accidit saepenumero, ut sacrae aedes a militum copiis indigne occupentur, ibique nedum sibi sed et equis (quod deterius est) stationem ponant. Itaque iisdem abeuntibus necesse est ecclesias reconciliare, antequam divino cultui restituantur. Hanc ad rem aptissime quadrat sequens declaratio S. C. Rit.

« Beatissime Pater. Canonicus Bonaventura Bernardi, Vicarius Capitularis dioecesis Carpen. in regione Mutinensi, orator » humillimus Sanctitatis Vestrae, omni cum obsequio exponit, quod » cum per hanc civitatem transitum fecerint Austriacae copiae, » stationem suam posuerunt in pluribus eiusdem ecclesiis, inter » quas tres consecratione delibutae recensentur. Ibidem milites » dormiverunt, succenderunt ignem, et alicubi fregerunt altaria; » insuper equos induxerunt, et omnibus modis usi sunt, veluti a » copiis militaribus usitatur. Vicarius itaque orator ad pedes » Sanctitatis Vestrae sese provolvit, ut opportunas instructiones » facultatesque sibi impertiri dignetur, quo illiusmodi ecclesiae » reconciliari, et pro fidelium commoditate quam citius divino » cultui iterum aperiri possint. »

» Ex Audientia SSmi. 3. Mart. 1821. SSmus Vicario Capitulari » oratori facultatem concedit, sive per se, sive per alios sacerdotes ab eo specialiter deputandos reconciliandi ecclesias consecratas, de quibus in precibus, servato ritu a Pontificali Romano praescripto, adhibitaque aqua per catholicum Episcopum » benedicta. Ecclesiae autem simpliciter benedictae ab eodem » Vicario, vel a sacerdotibus per eum designandis reconciliari » poterunt iuxta formam a Rituali Romano traditam. Quo vero » ad altaria cum integra lapidea mensa, quoties fractura sit » enormis, mensa omnino renovanda, et ab Episcopo consecranda

---

(1) De hoc argumento actum est in *Montisfalisci* Demolitionis, anno 1866; anno 1867 apud S. C. Ep. et Reg. *Bituntina* Aediculae 22. Dec. 1866. Vide etiam S. C. Episc. et Regul. in *Nucerina* Super servit. 28. Nov. 1852.

» erit; secus licebit super iis celebrare, non obstante levi fractura
» in uno vel altero cornu. Reliqua autem altaria sacrato tantum
» lapide instructa, si lapis iste integer sit, violata minime cen-
» senda sunt, ac ubi primum reparationes, quibus indigeant,
» expletae fuerint, ad sacra mysteria peragenda apta erunt. Ce-
» terum Vicarius orator in ecclesiarum reconciliatione exsequenda
» prudenter se gerat, eamdemque private et absque populi con-
» cursu fieri curet. (Carpen. 3. Mart. 1821).

58. Ad ea, quae superius *(pag. 68. sqs.)* de sacrarum aedium tuitione et restauratione exposuimus, addere praestat, S. C. Conc. in suis responsionibus ad Episcopos circa hunc articulum, ut facilius sternatur via refectionibus perficiendis et sacrae suppellectili comparandae, solitam esse eosdem hortari, ut Christifidelium piam liberalitatem excitare et inflammare curent omnibus modis, quos sua cuique pietas et industria suggesserint, ac in primis suo et cleri totius exemplo.

Ceterum qui plura scire cuperet super hac materia reparationum ecclesiarum, et sacrae supellectilis, adeat inter alios Sperellium *Decis. 67. et 68. per tot.*, Barbosa *de offic. Episcopi, Alleg. 64.*, Crisp. *Visit. past. P. II.* §. *13*, necnon communiter sacrorum canonum interpretes ad *tit. 48. de aedific. et repar. eccles. l. III. Decr.*

59. Haec generatim de ecclesiis reparandis, et sacra suppellectile instruendis; speciatim alia nonnulla praetermittere de hac ultima non putamus. Sacris ecclesiarum aedibus, potissimum cathedralibus commoda patet via, qua identidem sacra utensilia ullo sine sumptu comparare sibi queant. Haec est nimirum *spolium*, nempe tota sacra supellex, qua, dum viverent, utebantur ii, qui in iisdem ecclesiis beneficia sive maiora, sive minora obtinuerunt. Utimur communiter hodie hoc invecto nomine *spolii;* quamquam *spolium* proprie sumptum id omne sit, quod spoliorum causa Rev. Cam. Apostolica sibi ex ecclesiasticorum haereditate vindicat. Iamvero s. m. Pius V. in sua Constitutione ex spoliorum genere diserte excludit sacra utensilia, eademque sub spolio cadere et venire vetat. Itaque dicendum est, quod *spolium*, de quo hic agitur, improprie dumtaxat taliter vocitari invaluerit.

Quod pertinet ad huiusmodi spolium, recolenda est Constitutio S. Pii V. incipien. *Romani Pontificis providentia* die 3. Kal. Septembris 1567., quae legem hac in re facit, normamque tradit ad controversias, quae non raro suboriuntur, de medio tollendas.

60. Huic Constitutioni causam dedit mos inductus, quo beneficiati, quos memoravimus, sacram supellectilem aliis personis, etiam non sacris, relinquebant, et dein collectores spoliorum Rev. Cam. Apostolicae sub praetextu, quod eadem sacra supellex appellatione spoliorum Rev. Cam. Apost. ex Pontificiis Constitutionibus debitorum comprehenderetur, exigere et percipere praesumerent in detrimentum ecclesiarum et dedecus religionis. Itaque Summus Pontifex distincte declarat, quae spolii pars ecclesiis omnino relinquenda ac tradenda sit.

61. Quapropter §. 1. decernit, atque declarat « quod de ce-
» tero omnia et singula paramenta et ornamenta ac vasa, nec-
» non Missalia et Gradualia, ac cantus firmi, et musicae aliqui
» quomodolibet nuncupati libri, et aliae res sacrae etiam auri et
» argenti, ac quaecumque alia bona per quoscumque Patriarchas,
» Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, seu Commendatarios, et
» alios quoscumque, quaecumque et qualiacumque beneficia ec-
» clesiastica cum cura et sine cura, saecularia, et quorumvis
» ordinum regularia, in titulum vel commendam, aut alias quo-
» modolibet obtinentes, quocumque nomine vel titulo censeantur,
» etiamsi de illis et eorum qualitatibus specialis et expressa
» mentio habenda foret, ad usum et cultum divinum, etiam in
» eorum privatis aedibus et capellis, vel oratoriis destinata, tem-
» pore eorum obitus ex testamento, vel ab intestato relicta sub
» quibusvis facultatibus testandi, et alias disponendi de bonis
» per eos ex altari, vel alias quomodolibet acquisitis, per quos-
» cumque Romanos Pontifices, praedecessores et successores no-
» stros, ac nos sub quibusvis tenoribus et formis, ac cum qui-
» busvis clausulis ac decretis, etiam motu proprio, et alias quo-
» modolibet concessis et concedendis minime comprehendantur,
» nec sub appellatione spoliorum (1) veniant, sed ad singulas
» ecclesias, monasteria, etiam conventu carentia, et beneficia
» huiusmodi, in quibus resederint, aut quibus praefuerint, seu
» quae alias obtinuerint, spectent ac pertineant... Illaque post
» eorum obitum eisdem ecclesiis, monasteriis et beneficiis, etiamsi
» in Romana curia, et procul ab illis decesserint, vel ad illa
» nunquam accesserint, etiam si antea ecclesiarum et monaste-
» riorum regimini cesserint, vel beneficia huiusmodi renuntia-

(1) Quae videlicet a R. C. A. ex Apostolicis Constitutionibus exiguntur.

» verint, eo ipso applicata et incorporata sint et esse censeantur.
» Ita quod liceat illis defunctis in eisdem ecclesiis, monasteriis
» et beneficiis successoribus, ac ecclesiarum et monasteriorum
» huiusmodi capitulis et conventibus respective, illa propria au-
» ctoritate libere apprehendere, ac eorum ecclesiis et sacristiis
» applicare et incorporare. »

62. Itaque paragrapho subsequenti nullae irritaeque declarantur quaecumque dispositiones sive inter vivos, sive causa mortis aliter factae, tametsi in commodum personarum ecclesiasticarum, aut locorum piorum quomodocumque destinatae. Subinde cavetur, ut per censuras et poenas etiam furti et sacrilegii, ac alia iuris et facti remedia ad restitutionem cogi possint, quicumque ii sint, qui res sacras, aut alia bona praedicta detinuerint. Tandem spoliorum R. C. Ap. collectoribus gravissime interdicitur, ne in rebus sacram supellectilem respicientibus ullimode sese immisceant, vel in earum inventariis tamquam spolia redigant et describant, sed ecclesiis, monasteriis aliisque huiusmodi beneficiis libere tradant atque relinquant.

63. Quae in hac Constitutione sancita sunt, persaepe quaestionibus ansam dederunt tum cum eiusdem applicationi ad casus particulares fieret locus. Hinc factum est, ut S. C. Conc. et etiam Rota Romana huiusmodi litibus dirimendis adhiberetur; insuper doctores in varia sententiarum studia distrahebantur, quemadmodum pro rerum humanarum natura in hoc rerum genere plerumque contingit. Huc accedebat, quod, cum S. R. E. Cardinales specialia soleant indulta consequi, ut a spolio eximantur, quod ab ipsis sacrario Pontificio debetur, controversiarum nodus implicatior et difficilior efficiebatur, si quando insimul ecclesiis cathedralibus, vel abbatialibus praeessent; adhuc enim Piana Constitutione ii teneri videbantur. Aliis praeterea diversi generis dubitationibus aperta aderat via, quemadmodum patebit ex iis, quae modo afferemus.

64. Quocirca ut omnibus hisce controversiis etiam in posterum praevertendis consuleretur, cl. mem. Card. Ostinius cum Aesinam regeret ecclesiam, plura S. C. Episc. et Regul. super hac re dubia declaranda proposuit. Interim idem Cardinalis ad praefecturam eiusdem S. Congregationis translatus est: adeoque eorumdem dubiorum una cum aliis superadditis disceptationem enixius promovendam suscepit. Namque totam rem expendendam remisit

uni ex S. C. Consultoribus, Aloysio nempe Ferrari, postmodum Apostolicarum caeremoniarum Praefecto, et S. C. Neg. eccles. extraord. praepositae Subsecretario, viro omnigena doctrina praedito, et rerum ecclesiasticarum usu peritissimo. Cum itaque elucubratissimum ipse et consultissimum votum elaborasset, singulisque dubiis quid respondendum idem censeret, perspicue proposuisset, Emi Patres in eiusdem sententiam circa omnia in plenis comitiis diei 9. Aug. 1844. cunctis suffragiis abierunt, ut ostendit *Aesina* super facultate testandi. S. Congregationis resolutione ad audientiam s. m. Greg. XVI. ex more delata, res in suspenso aliquo tempore mansit, donec Pontifex ille meritis annisque gravis viam universae carnis ingressus est. Ad summum Pontificatum evectus s. m. Pius PP. IX., S. Congregationis resolutionem non modo confirmavit, sed etiam suas Apostolicas Literas die 1. Iunii 1847. incipien. *Quum illud* dedit, quibus ea, quae ibidem leguntur, directe suo communivit oraculo, totique catholico orbi servanda promulgavit. Hasce Apostolicas Literas dabimus in volumine III. sub num. 6.; qua de re eo lectorem remittimus, ne longiores hic ultra nostrum institutum inveniamur. Illud vero animadvertimus, ea Pontificia praescriptione amputatas perpetuo fuisse controversias, quae inter doctores ventilabantur, unaque Apostolica sanctione confirmatas plures S. C. C. declarationes, quae antehac editae fuerant.

65. Penes S. C. Episc. et Regul., postquam eae Apostolicae Literae prodierunt, causa quaedam agitata est, quam nosse fortasse grave non erit. Episcopo Feretrano demortuo, eius haeredes et canonici cathedralis utensilia ab Episcopo relicta pacifice inter se dispertiverant, addita utrimque pactione, ut, si quid indebite ab alterutra parte receptum foret, re cognita, restitueretur. Postea cum haeredes rescivissent, ex Brevi Piano sancitum esse, ut haeredibus cederent utensilia, quae cum ecclesiae bonis fuerint minime comparata, restitutionem a canonicis amice primum, iudicialiter deinde petiverunt. At canonici sua non interesse rati in iudicio stare, restitutionem ulterius non detrectarunt, reservato tamen beneplacito Apostolico. Contra haeredes faciebat animadversio, quod Episcopus demortuus inventarium facere omisisset, ex quo praesumebatur ex litera Brevis ipsius ea omnia ex reditibus ecclesiae comparata fuisse. Verumtamen haeredes satis superque comprobabant, ea utensilia ab eorum auctore

acquisita fuisse, antequam ad Feretranam cathedram ascendisset, adeoque ex bonis ad eam ecclesiam minime pertinentibus. Itaque Emi Patres, sive quod praesumptionem cedere veritati debere autumarent, sive quod liti Capitulum exponere nollent, restitutionem factam ratihabendam dixerunt, facto verbo cum SSmo ad cautelam, qui proinde resolutionem confirmavit, unaque haeredibus significari iussit, rem sibi gratam facturos, si certa quaedam paramenta cathedrali Ferentinae remitterent, ut patet ex *Feretrana* Spolii 4. April. 1851.

66. Vetitum est, Episcopos uti paramentis alicuius ecclesiae extra illam: sed pro peragenda visitatione dioecesis paramenta levia et exigui sumptus comparare sibi debent, quae facile huc illuc circumferri possunt: ita nimirum rescripsit S. C. Episc. et Regul. Episcopo Savonensi die 31. Martii 1579., ut ex Regestis S. C. illius anni. Vide etiam *Fulginaten.* Spolii, 27. Martii 1858. *Massen.* Iur. Par. et Spolii, 24. Apr. 1858. *Maceraten. Tolent.* Division. spol., 24. Aug. 1867.

Super utensilibus proxime praeterito saeculo tractatum conscripsit Fabius de Albertis, quem, si quando opus sit, poterit quisque consulere. De spolio potest etiam adiri Ferraris verbo *Spolium*.

Art. II. De erectione praebendae theologalis et poenitentialis.

Summarium. 67. Quid constituerint Tridentini Patres pro erectione praebendae theologalis. – 68. Quid pro erectione praebendae poenitentiariae. – 69. Tridentinae sanctioni pro Italia et insulis adiacentibus accessit Constit. Bened. XIII. *Pastoralis officii.* – 70. In cathedralibus utraque praebenda constitui debet: idque valet etiam pro concathedralibus. In collegiatis sola theologalis ex lege constitui debet, licet quandoque utile sit, ut etiam poenitentialis addatur. – 71. Quomodo hoc in casu beneplacito Apostolico opus sit. Imo si quis de suo theologalem erigere velit, perperam Capitulum cathedralis obsisteret. – 72. Si utraque simul erigi nequeat, non est Episcopo liberum poenitentiariae institutionem theologali anteponere. – 73. Cum theologali coniungi nequeunt beneficia obnoxia oneribus cum eadem incompatibilibus. – 74. 75. Aliud est collegiata insignis, aliud collegiata in oppido insigni. Obligatio theologalis erigendae afficit collegiatas in oppido insigni. Theologalis erectio non est necessaria in collegiatis civitatum, ubi cathedralis adest cum theologali. Sicubi vero ea erigenda sit, nequeunt se cathedralis canonici sine rationabili causa opponere. – 76. Ubi pro theologali ac poenitentiaria stabilem

ac certam praebendam destinare plane non datur, S. C. suadere solet, ut duobus canonicis, in actu collationis, uni munus theologi, alteri poenitentiarii imponatur. – 77. Ut praebenda primo vacatura pro theologo stabilita censeatur, necessaria est deputatio *ad hoc* ab Episcopo per decretum peragenda. – 78. Nonnunquam S. C. suadet, ut huiusmodi deputatio peragatur *nunc pro tunc,* nimirum effectum habitura, cum praebenda ad eum usum destinata vacaverit. – 79. In computanda congrua utriusque praebendae deducenda sunt onera easdem praegravantia. – 80. Congrua (in Italia et insulis adiacentibus) non debet esse minor scutatorum 60., in eamque distributiones computari possunt; quin imo tota congrua constare potest distributionibus. – 81. Praebendae primo vacaturae ex causa resignationis *ad favorem* in usum theologalis, vel poenitentialis erigi nequeunt. – 82. Item nec praebendae vel affectae, vel reservatae, affectione vel reservatione durante. – 83. Limitatur circa loca, ubi servanda est Constitutio Bened. XIII. *Pastoralis officii.* – 84. An praebendae patronatui obnoxiae in usum theologalis vel poenitentialis erigi possint. Si patroni assentiri nolint, ut praebenda in theologalem vel poenitentialem libere erigatur, Sacra Congregatio solet eos per Episcopos hortari, ut saltem assentiant, reservato sibi iure patronatus adinstar parochiarum patronatui ecclesiastico vel laicali subiectarum. Si absolute renuant, satius est S. Congregationem adire. S. C. in huiusmodi casibus pro circumstantiarum varietate modo negativum, modo affirmativum responsum dedit. – 85. In *Cremonen. Erect. theol.* iura patronorum consensum suum denegantium sartum tectumque servavit. – 86. In *S. Miniatis VV. SS. LL.* plura notatu digna prius edoceri se voluit. – 87. In *Asculana Commut. volunt.,* reluctante Capitulo, ad patronatum vocato, canonicatum in theologalem erigi non permisit. Aliter sensit in *Maceraten. Praeb. theol. an. 1804.,* etiamsi municipium obsisteret. – 88. Item in *Amerina Erect. theol.,* in qua, cum familia patrona suum consensum denegaret, S. C. constituit, ut eadem sacerdotem actu idoneum nominare teneretur. – 89. Certa hodie doctrina est, quod solus Pontifex collegiatas possit erigere, post decretum videlicet S. C. Conc. in *Cremonen.* an. 1623. Deperdito decreto erectionis, quae signa collegialitatem portendant, remissive. – 90. Cetera de theologo ac poenitentiario vid. *cap. III.* §. *V.*

67. Tridentina Synodus, ne coelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus sanctus summa liberalitate tradidit hominibus, neglectus iaceret, providentissime *Sess. 5. cap. 1. de Reform.* praebendam theologalem institui decrevit, « in ecclesiis » (ita ibi legitur) metropolitanis vel cathedralibus, si civitas in» signis vel populosa, ac etiam in collegiatis existentibus in aliquo

» insigni oppido, etiam *Nullius dioecesis*, si ibi clerus numerosus
» fuerit, ubi nulla praebenda, aut praestimonium, seu stipendium
» huiusmodi deputatum reperitur, praebenda quomodocumque,
» praeterquam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud
» onus incompatibile iniunctum non sit, ad eum usum ipso facto
» perpetuo constituta et deputata intelligatur. Et quatenus in ipsis
» ecclesiis nulla vel non sufficiens praebenda foret, Metropolitanus,
» vel Episcopus ipse per assignationem fructuum alicuius simplicis
» beneficii, eiusdem tamen debitis supportatis oneribus, vel per
» contributionem beneficiatorum suae civitatis et dioecesis, vel
» alias, prout commodius fieri poterit, de Capituli consilio ita
» provideat, ut ipsa sacrae Scripturae lectio habeatur, ita tamen
» ut quaecumque aliae lectiones vel consuetudine, vel quavis alia
» ratione institutae propter id minime praetermittantur. »

68. Eadem Synodus de praebenda poenitentiaria *Sess. 24. cap. 8. de Reform.* ita decrevit: « In omnibus etiam cathedralibus
» ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, poenitentiarius aliquis
» cum unione praebendae proxime vacaturae ab Episcopo insti-
» tuatur, qui magister sit, vel doctor, aut licentiatus in theologia
» vel iure canonico, et annorum quadraginta, seu alius, qui aptior
» pro loci qualitate reperiatur, qui, dum confessiones in ecclesia
» audiet, interim praesens in choro censeatur. »

69. Super utriusque praebendae erectione s. m. Bened. XIII. Constitutionem edidit die *IV. Kalend. Iun. 1725.* incipien. *Pastoralis officii*, quam legere est in volumine III. sub num. 7., in qua enixe decretum utrumque Tridentinae Synodi exsequendum demandatur. Deinde statuitur, ut in earum collatione concursus forma servetur, ac tandem ampliantur subsidia, quibus praescripta erectio perfici queat. Adnotari debet, quod huiusmodi Constitutio ad Italiam et insulas adiacentes circumscribitur.

70. In cathedralibus tam poenitentiaria, quam theologalis erigenda est. Si autem Episcopus duabus praesit cathedralibus, in unaquaque illarum poenitentiaria erigenda est. S. C. in *Valven.* anni 1650. *Gerund. et Cariaten. Synodi* 2. Octob. 1706. ad VI. et iterum 11. Feb. 1708. *(Thes. Resol. tom. 9. anni 1740. in app. pag. 170.).* At cum decretum mox allatum *Sess. 24. cap. 8.* nullam de collegiatis mentionem faciat, tametsi interdum utile foret, si in eis poenitentiaria erigeretur, veluti perpenditur in folio *Asculanae* mox citandae §. *Pacificum*, nihilominus perpendendae sunt

locorum circumstantiae, aliaque rerum adiuncta. Cum enim Episcopus Asculanus in collegiata Ophidae poenitentiariam fundare statuisset, et S. Congregatio, eo demortuo, hortata esset successorem, ut decessoris sui consilium perficeret, acriter restitere canonici pluribus de causis, quas cum ad examen revocasset sacer Ordo, proposito dubio: « An et quomodo vacans praebenda erigenda sit in poenitentiariam in casu? » in *Asculana Poenit.* die 25. Ian. 1845. rescripsit: « Ex noviter deductis non expedire.»

71. Si tamen pius aliquis homo inveniretur, qui praebendam poenitentialem suo sumptu erigi curaret, congrua in eam rem dote perpetuo adsignata, tum inefficax et vana esset oppositio; namque erectionem poenitentialis hoc in casu sustineri edixit S. C. in *Milevitana* 20. Decemb. 1749., etiamsi poenitentiarius cathedralis eiusdem poenitentialis praebendae in collegiata institutionem oppugnaret. Monendum est, quod cum poenitentiarius ex vi sui muneris confessiones excipere aliasque facultates habeat, non posset Episcopus sine beneplacito Apostolico, saltem facultates poenitentiarii officio inhaerentes, poenitentiario in collegiata statuendo tribuere.

72. Si nec theologalis, nec poenitentialis praebenda adsit, et utraque in cathedrali erigenda sit per praebendam primo vacaturam, aut per unionem beneficii simplicis, non est in arbitrio Episcopi poenitentiariae prius providere, postposita theologali, veluti diserte semel iterumque definivit S. C., nominatim in *Civit. Castell.* 17. Nov. 1629. *(Lib. 14. dec. p. 183. a tergo).* Petra *ad Constit. II. Innoc. VI. n. 17.;* et consonant Garzias, Barbosa, Gallemart, Pax-Iordan. citati in folio *Nucerinae Praeb. theol.* §. *Praeter* 1. Mart. 1738. Sed si maior utilitas aut opportunitas aliter suadere videatur, adeunda est S. C. C. ut poenitentiariam ante theologalem erigi posse concedat. Si vero sine venia S. C. id factum fortasse fuerit, eidem S. Congregationi supplicandum est, ut erectionem istam ratam habeat, quemadmodum egit in praedicta *Civ. Castellan.* et in *Nucerina Pagan.* 1. Mart. 1738.

Quando tamen beneficia simplicia, quae ad supplementum praebendae erectae vel erigendae uniri debeant, adeo pingui censu sint, ut congruae utriusque doti sufficiant, ambae debent institui, medietate redituum cuique assignata, veluti adamussim S. Congregatio Concilii resolvit in *Camerinen.* 3. Decembis 1735. *ad 2. dub.*

73. Ex verbis Conc. Trid., cuius decretum modo attulimus, cum praebenda theologali aliud munus, vel praebenda coniungi non potest, cuius onera cum eadem sint incompatibilia, veluti docet Petra *ad Constit. II. Innoc. VI. n. 43. (tom. IV.)*. Cum itaque Montisfalisci Episcopus S. C. Conc. in sua relatione percontatus esset, an in praebendam theologalem erigere posset in collegiata Cryptarum Castri canonicatum titulo SSm̃ae Conceptionis, cui onus inest parochum una cum aliis duobus canonicis adiuvandi, S. Conc. in literis mensis Iulii 1863. ad eum rescripsit, quaestionem illam facti potius, quam iuris esse, adeoque eidem expendendum relinquebat, an onus memoratum a suo munere adamussim exsequendo theologum abstrahere potuisset, necne.

74. Inter collegiatas aliae sunt simplices, aliae insignes, idest insignitatis titulo decoratae, ceu notum cuique est; ut igitur in collegiatis iuxta Conc. Trid. praebendam theologalem erigi oporteat, necesse non est, ut insignes sint collegiatae ipsae, prout ex errore nonnulli aliquando sentiunt, et notavit etiam Petra *ad Constit. II. Innoc. VI. n. 14. (tom. 4.)*, necnon folium S. Conc. in *Firmana Union. paroch.* 3. Iun. 1784. §. *Observat*, sed satis est, ut oppidum, ubi collegiata, licet simplex, sita est, sit insigne, idest conspicuum et amplum, et clero numeroso refertum; quae tamen oppida dici possint insignia et clero numerosa ad effectum, de quo agitur, non determinavit Conc. Trid., nec S. C. Concilii. Consuli potest Petra *loc. cit.*, qui circa huiusmodi praescriptas conditiones in specie lectorem remittit ad *Gloss. cap.* Statutum *de Rescr. in 6.* et Barbosam de *Can. cap. 2. a. n. 18.* Lotter. *de re benef. l. 1. qu. 15. in princ.* et alios.

Quando in cathedrali vel collegiata civitatis, vel oppidi alicuius theologalis praebenda erecta iam exstet, necessarium non est, ut erigatur etiam in alia, aut aliis collegiatis, quae in ea civitate, aut oppido reperiantur. S. C. C. enim die 24. Ian. 1589. *(lib. 7. lit. p. 34. a tergo)* Archiepiscopo Mediolanen. perscribebat: « Ad 6. » satis est, si Amplitudo tua exsecutioni mandet decretum Con- » cilii, cum huiusmodi lectiones theologicae non sint necessariae » in omnibus ecclesiis collegiatis. » Comprobatur exemplo almae Urbis, ubi collegiatae praebenda theologali destitutae sunt. Si tamen canonici illius collegiatae, quae theologali praebenda careat, eam fundare velint, Sacra Congr. Concilii eorum petitioni annuit, etiamsi canonici cathedralis vel collegiatae, quae theo-

logali iam praedita est, eiusmodi petitioni adversentur, ut in *Theatina* 14. Ianuar. 1747., in qua sacer Ordo cunctis suffragiis exponentium preces excepit, cautione tantum adhibita, ut iuxta votum Archiepiscopi diversis diebus lectio haberetur.

75. Nihilominus dicendum est, id ex peculiaribus circumstantiis pendere. Nam cum vacasset canonicatus liberae collationis in ecclesia collegiata Fabriani, canonici illius collegiatae ab Episcopo petierunt, ut praebenda theologalis, vel poenitentialis cum eo canonicatu erigeretur. At vero canonici cathedralis mordicus obsistebant ex ea causa, quod huiusmodi erectioni nec necessitas, nec utilitas suffragaretur, quin imo damnum collegiatae obventurum videretur. Itaque in *Fabrianen. Praeb. theol. et poenit.* 27. April. 1805. proposito dubio: « An sit locus erectioni prae» bendae theologalis et poenitentialis in ecclesia collegiata S. Ni» colai in casu? » Emi Patres rescripserunt: « Negative in omnibus. »

76. Fieri potest, ut locorum, temporum, aliorumque adiunctorum circumstantiae praebendas theologalem et poenitentialem canonice institui non sinant, prout evenit e. g. in Gallia, in qua canonici certum a gubernio stipendium in pecunia numerata loco praebendae recipiunt. Hoc in casu S. C. solet Episcopos hortari, donec Conc. Trid. decretum adamussim exsequi non detur, ut duobus canonicis, dum canonicatum eisdem conferunt, onus iniungant, alteri gerendi officium theologi, alteri officium poenitentiarii, aut saltem operam dent, ut aliquis nunquam desit, qui sacram Scripturam explanet adinstar theologi, aut confessiones excipiat adinstar poenitentiarii; cuius rei plura passim occurrunt exempla.

77. Quamvis Conc. Trid. praescripserit, ut « praebenda primo » vacatura pro lectore S. Scripturae ipso facto constituta intel» ligatur » nihilominus ad hanc rem requiritur actualis deputatio. Nam S. C. Concilii censuit, adprobante SSmo, « ad erectionem » praebendae theologalis requiri actualem deputationem, et ideo, » si in provisione praebendae non fuerit facta actualis deputatio, » non posse provisum cogi obire munus lecturae. » Ita legitur sine die haec resolutio apud Petram *(loc. cit. n. 18.)*. Fagnanus etiam idipsum docet, atque testatur, ita saepius resolutum fuisse *(Cap. Nonnulli, de magisterio, n. 36.)* ubi speciatim in confirmationem affert resolutionem causae cuiusdam editam die 26. Aprilis 1585. et a Summo Pontifice comprobatam.

78. Non raro solet S. C. Episcopos hac in re adhortari, ut praebendam adhuc rectore praeditam in usum theologi vel poenitentiarii a se prius designatam decreto suo destinent ac instituant, quod effectum suum sortiatur quo primum tempore eadem praebenda vacaverit. Id autem eo consilio praecipitur, ut periculum amoveatur, ne privatorum utilitas, ceu saepe fit, difficultates ingerat.

79. In erectione praebendae theologalis et poenitentiariae pro computanda congrua utriusque dote, deduci debent onera, quibus eaedem praegravantur. Nam in *Camerinen. Praeb. theologal. et poenit.* 3. Decemb. 1735. propositis dubiis: « 1. An congrua favore » praebendarum theologalis et poenitentiariae ecclesiae cathedralis » ad tramites Concil. Rom. *lib. 1. cap. 6.* et Constit. *Pastoralis* » *officii* supplenda usque ad summam scutat. 60. sit computanda, » deductis oneribus dictarum praebendarum et respective bene- » ficiorum uniendorum in casu? 2. An praebendae theologali, seu » potius poenitentiali competat praelatio in unione dictorum be- » neficiorum in casu? » S. C. respondit: « Ad primum affirmative. » Ad secundum, in casu, de quo agitur, unienda esse unicuique » pro medietate et amplius. »

80. Utramque praebendam oportet insuper esse liberam ab omni pensione, ut communiter docent auctores, quos allegat Petra *(loc. cit. n. 19.)*. Haec autem dos iuxta eamdem Constit. *Pastoralis officii* pro Italia et insulis adiacentibus non debet esse minor scut. 60 monetae Romanae. Possunt tamen in dotem computari etiam distributiones quotidianae ex apertis verbis eiusdem Constitutionis. Quin imo si praebendae omnes in distributionibus consistant, cum hoc in casu loco praebendae succedant, non idcirco praebendae theologalis vel poenitentiariae erectio praetermittenda est. Theologalem enim erigendam esse, quamvis omnes Capituli reditus distributionibus quotidianis constent, declaravit S. C. in *Squillacen.* 29. Maii 1601. *(lib. 9. decr. pag. 136.) Casalen.* 12. Novemb. 1661. *(decr. lib. 22. pag. 698.)* et alibi apud Petram *l. c. n. 21.*

81. Ad normam Conc. Trid. praebendam primo vacaturam ex causa resignationis in usum praebendae theologalis vel poenitentiariae deputare prohibitum est: quae prohibitio vim habere intelligenda est in resignatione, quae emittitur *ad favorem,* ut animadvertit cum doctoribus S. C. C. in *Amer. Erect. praeb. th.* 2. Iun. 1860. §. *Quod vero, per Sum. Prec.* (Consule etiam Petram *l. c. n. 22.*).

82. Excipiuntur quoque praebendae vel affectae vel reservatae, donec reservationes non cessaverint. S. C. Conc. in *Gadicen.*, et iterum in *Volaterrana* 19. Iun. 1591. *et Savonen.* 15. Mart. 1601., quae sic sese habet: « theologalis praebendae erectionem ab Epi» scopo factam ad praescriptum Concilii non vindicare sibi locum » in praebendis Sedi Apostolicae reservatis, sed in ea, quae pri» mum vacaverit, cessantibus reservationibus, » *(Lib. 9. decretor. pag. 132.*, apud Petram *l. c. n. 22.)*.

83. In locis tamen, ubi viget Constit. *Pastoralis officii*, praebendae etiam affectae ac reservatae in usum theologalis et poenitentiariae constitui possunt ex disertis eiusdem verbis; exceptio ibidem fit de omnibus beneficiis, « quae pro S. Romanae Ecclesiae » Cardinalibus, Papae familiaribus, Nuntiis Apostolicis, atque » Praelatis Congregationum, quibus iidem S. R. E. Cardinales in» tersunt, Secretariis, in alia Constit. (idest *Creditae nobis*) ad » promovendam Seminariorum erectionem... peculiariter reser» vavimus, perpetuo reservata et excepta sint ac esse intelli» gantur. »

84. Inquisitione nunc dignum videtur, an beneficia iuri patronatus sive ecclesiastico, sive laicali obnoxia in usum praebendae theologalis vel poenitentialis destinari possint. Episcopi enim saepissime in suis relationibus renuntiant, sese difficultatem offendere in earumdem praebendarum institutione, eo quod canonicatus omnes iuris patronatus vinculo afficiantur. S. Congregatio hisce in casibus solemne habet, eosdem hortari, ut exquirant consensum patronorum ad eum finem, ut praebenda patronatui obnoxia in poenitentiariam vel theologalem erigi possit. Et si agatur de Episcopis, qui ex Constit. *Pastoralis officii* concursus formam in collatione servare debent, quo facilius hunc consensum assequantur, eisdem suadet, ut patronis proponant conditionem conferendi praebendam adinstar paroeciarum adsimili patronatui subiectarum, videlicet ut in patronatu ecclesiastico is eligatur, quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicabit; in laicali vero patronus ecclesiasticum virum a se nominatum praesentet, Episcopus eumdem examinet, et si idoneum ac dignum invenerit, ad praebendam eum instituat. *(Sess. 24. cap. 18. de Reform.)*. Si patroni consensum suum praebere renuant, quid agere poterit Episcopus? Hoc in casu tutior erit via, si res ad iudicium S. C. deferatur. Porro negari nequit, quod doctores, ut

plurimum, sentiant, Episcopos posse in theologalem vel poenitentiariam instituere beneficia de iure patronatus laicorum; (Garzia *de Ben. cap. 6. n. 16.*, Moneta *de ult. vol. cap. 2. n. 262.*, Petra *loc. cit. n. 19. in fin.*); quin Barbosa *(ad Conc. Trid. sess. 5. c. 1. de Reform. n. 16.)* ita declaratum fuisse a S. C. refert. Cum tamen post Constit. *Pastoralis officii* forma concursus adhibenda in collatione sit, difficultas oritur ex eo, quod per concursum ipsum iuri patronorum vulnus infligitur, ceu reapse animadvertit S. C. in *S. Miniatis VV. SS. LL.* 14. Mart. 1733. §. *Sed circa*, et alibi in aliis causis, id quod (loquendo generatim de patronorum iure) aequitati minime consentaneum esse aiunt Trid. Patres *Sess. 25. cap. 9. de Reform.* Ceteroquin citati auctores ad illud tempus referuntur, in quo nulla aderat de concursu forma a lege pro hisce praebendis praescripta. Iamvero S. C. C. in hoc rerum statu consulta nunc negativam, nunc affirmativam responsionem praebuit pro circumstantiarum varietate: utque aliquod Episcopis lumen afferatur, causarum huiusmodi facti speciem referemus.

85. In *Cremon. Erect. praeb. theol.* 2. Iul. 1729. Franciscus Biffi suam haeredem instituerat praebendam in ecclesia S. Stephani erigendam, et ius patronatus familiae Biffi reservaverat; sed si ea ecclesia ad collegiatam eveheretur, idem ius ad Capitulum illico spectare voluerat, dummodo praebenda in canonicatum converteretur. Anno 1771. ad municipum petitionem S. Congregatio collegiatam erigi posse permiserat, et canonicatus novae collegiatae ab Ordinario libere conferri edixerat, excepto praeter alios « canonicatu theologali, qui sit iuris patronatus familiae Biffi, et, » ipsa exstincta, transeat ad collegiatam iuxta dispositionem te- » statoris. » Interea, antequam gratia de collegiatae erectione a Summo Pontifice signaretur, vacavit canonicatus, et familia Biffi nominavit clericum de eadem familia. Episcopus nominationem abnuit admittere, et S. C. prima vice respondit: « Beneficium » vacans erigendum esse in canonicatum theologalem, electio » autem personae fiat ab Episcopo, et canonici eidem praesentent » personam ab ipso electam, ut eam instituat. » At contradicente familia Biffi, proposita iterum causa in plenis comitiis, S. C. a sua resolutione resiliens rescripsit: « praesentationem clerici de » familia Biffi factam ad beneficium tamquam simplex esse ad- » mittendam, beneficium posse erigi in simplicem canonicatum, » et ius patronatus continuare debere in familia Biffi. »

86. In *S. Miniatis VV. SS. LL.* 14. Mart. 1733. Episcopus animadvertens omnes canonicatus suae cathedralis iure patronatus esse affectos, petiit, an sibi liceret eosdem in poenitentialem et theologalem distinctas praebendas erigere. S. C. resolutionem distulit, et scribendum Episcopo censuit iuxta instructionem, cuius tenorem in haec, quae sequuntur verba e *Lib. liter. 28. die 14. Martii 1733.* exscripsit Zambon. *Collect. decl. S. C. tom. II.* verbo *Canonicatus* §. *VII. n. 27. p. 66. nota 83.* ibi « Scire cupit S. C., » quot sint in dicta ecclesia canonicatus, an ad laicos spectet » ius patronatus non solum activum sed etiam passivum, quot » sint eorum annui reditus, necnon quot et qualia beneficia sim- » plicia existant in ista dioecesi: item Episcopus agat cum pa- » tronis, an aliqui eorum sint praestituri consensum erectioni » duarum praebendarum in theologalem et poenitentiariam, sine » tamen praeiudicio iuris patronatus, sed cum lege, ut praesentati » non debeant admitti, nisi ab examinatoribus synodalibus exa- » minati et approbati fuerint tamquam idonei, et S. C. certioret » de resultantibus. » Quid ulterius evenerit, nullatenus innuitur.

87. In *Asculana Commut. volunt.* 3. Aug. 1801. Franciscus Fazi suam haereditatem addixerat canonicatui erigendo, cuius patronatum activum Capitulo, passivum presbyteris oppidi reservarat. Episcopus S. C. rogabat, ut praebenda in theologalem erigeretur: at reluctante Capitulo Emi Patres dispositionem Francisci Fazi commutandam non esse responderunt.

In *Maceraten. Praebend. theol.* 14. Ian. 1804. Episcopus ut satisfaceret S. Congregationis literis, theologalem in collegiata Montis Milonis, praebendam vacantem iure patronatus municipio addictam in usum theologalis proposuit, et licet municipium graviter obsisteret, S. Congregatio eam praebendam in theologalem esse erigendam rescripsit, nulla praeterea addita clausula.

88. In *Amerina Erect. praeb. theol.* 2. Iun. 1860. *per Sum. prec.* Episcopus in adsimili casu S. Congregationi proposuit, ut in praebendam theologalem collegiatae Lugnani erigeretur canonicatus vacans, *Aloysii* nuncupatus, de iure patronatus familiae Pagliacci Viterbiensis cum reditu annuo scut. 150 circiter. Rogati patroni consensum denegabant, veriti, ne sibi nominandi libertas interciperetur. At S. C. rescripsit: « erigendam esse praebendam » theologalem ex canonicatu *Aloysii;* ita tamen, ut patroni no- » minare debeant actu idoneum ad munus obeundum. »

89. Non desunt alicubi ecclesiae, de quibus dubitent Episcopi, an vere collegiatae sint, etiamsi hoc nomine vulgo vocentur. Iamvero hodie receptum est, uni Summo Pontifici reservatum esse ius evehendi simplices ecclesias ad collegiatae decus (1). Olim discors erat doctorum opinio, quorum permulti et magni nominis hoc idem ius Episcopis etiam competere tuebantur. At omnem litem diremit S. C. Conc. suo decreto anni 1623., quo firmiter statutum est, ecclesias collegiatae titulo ad illud usque tempus ex Episcoporum auctoritate decoratas utique vere collegiatas agnosci ac haberi; in posterum tamen tempus si aliqua ecclesia hoc honore ab Episcopo tantum eius auctoritate, et nulla intercedente potestate Apostolica augeatur, nulliter plane agi; namque huiusmodi ecclesia non idcirco uti collegiata censeri debebit. Accedit etiam, ut in vetustatis latebris ecclesiarum origo obscurescat; eoque in casu si ecclesia ab immemorabili in huius honoris possessione versetur, et insuper omnes qualitates complectatur, quae ad ecclesiam collegiatae titulo honestandam ex instituto requiruntur, non est ambigendum, quin eo, quod possidet, collegialitatis iure minime exuenda sit. Quae modo scripsimus, probationem habent ex quadam *Montisfalisci Collegiatae* 15. Sept. 1856., in qua iura hic indicata fuse exponuntur, et maius utique robur ab ea declaratione, quae tum prodiit, mirifice accipiunt. Itaque per extensum dabimus in volumine III. sub n. 8. folium eiusdem causae, ex qua non parum luminis circa hoc argumentum, de quo res est, Episcopos mutuaturos esse certo confidimus.

90. Cetera, quae supersunt, de munere canonici sive theologalis, sive poenitentialis, cum proprie ad statum materialem non pertineant, de quo hic iuxta ordinem nostrae Instructionis tantum agimus, resumentur et explicabuntur in statu formali, nempe *cap. III.* §. *5.* in quo eadem Instructio de officio theologi et poenitentiarii appositam quaestionem instituit.

Art. III. De SSmae Eucharistiae asservatione.

Summarium. 91. Ecclesiae parochiales et cathedrales ex iure facultatem habent asservandae SSm̃ae Eucharistiae. Penes cathedralem tabernaculum in capella separata, penes alias ecclesias in altari maiori custodiri

(1) Vide in *Atrien. Collegiatae 17 Sept. 1859.* quando ecclesia reputanda sit *receptitia.*

debet. – 92. Eodem iure gaudent ecclesiae Regularium utriusque sexus; minime vero ecclesiae quarumcumque congregationum, quae vere regulares non sint, secluso speciali Apostolico privilegio. – 93. Penes mulierum monasteria Eucharistia neque in choro, neque intra septa, sed in publica ecclesia conservanda est. – 94. In collegiatis, quae insimul parochiales non sint, absque Apostolico privilegio SS. Eucharistia retineri nequit. – 95. Multo minus in aliis ecclesiis simplicibus. – 96. Consuetudo immemorabilis, quae privilegii Apostolici praesumptioni locum facit, hac in re valet. – 97. Cum SS. Eucharistia in quadam parochiali ecclesia conservari non posset, S. C. approbavit decretum Episcopi, qui eam in simplici ecclesia intra parochiam asservari, ibique sacrum fieri statuerat. – 98. Eucharistiam asservari posse ad tempus ex sola Episcopi licentia in simplici ecclesia, alias non improbavit eadem S. C. – 99. Preces pro retinenda Eucharistia Pontifex S. C. Conc. olim remittebat, modo autem eas licentias concedit S. C. Rit. vel Secretaria Brevium. – 100. In ecclesiis parochialibus parocho privative competit tabernaculi clavem retinere: adeoque laicis etiam patronis competere nullatenus potest, nisi adsit consuetudo immemorabilis. – 101. Affertur *Cap. unicum* de custodia Eucharistiae, necnon synopsis literarum encyclicarum S. C. Episc. et Regul., quae eadem de re editae sunt; ibidem S. C. impensissime inculcat Antistitibus, ut diligenti sacrae Eucharistiae custodiae invigilent. Adeoque praecipit, ut per edicta in sacrariis affigenda poenas pro qualitate culpae constituant in eos, qui ad eiusdem custodiam tenentur. Iisdem poenis obnoxii sunt quilibet sacrilego Eucharistiae furto occasionem dederint. Antistitibus hac de re facultates impertiuntur contra Regulares et exemptos, cumulative tamen cum eorum Superioribus generalibus. – 102. Pro expensis necessariis, ac praesertim pro lampadis nutrimento in subsidium cogi possunt parochiani. Qui plura desiderat, adeat Card. Petram. S. C. Rit. statuit generatim utendum esse oleo olivarum pro lampade ante Eucharistiam alenda: quod si haberi nequit, remittitur prudentiae Episcoporum, ut lampas nutriatur ex aliis oleis quantum fieri potest vegetalibus. Additur synopsis voti, quod in rem ante declarationem elaboraverat Consultor S. Congregationis Rituum. S. C. Rit. in *Firmana* edixit, sacerdotem aedituum ecclesiae cuiusdam ruralis sanctissimam Eucharistiam asservantis ad residentiam et quotidianam inibi Missae celebrationem teneri.

91. In expendendis Episcoporum relationibus pluries comperire contingit, quod Eucharistiae Sacramentum asservetur in aliqua ecclesia, licet ipsa hoc iure ex sacrorum canonum praescripto minime polleat, vel saltem indultum Apostolicum non obtineat. Itaque non erit abs re nonnulla super hoc argumento delibare.

Ratio potissima asservandae Eucharistiae iuxta doctores in eo sita est, ut parochus, quando « *quis infirmatus fuerit* (ita *Can. Pre-* » *sbyter dist. 2. de Cons.*) *statim eum communicet, ne sine Com-* » *munione moriatur.* » Petra ad Constit. *I. Urbani IV. n. 15. et seq. (tom. 3.).* Hinc primo loco iure suo Ven. Sacramentum retinent ecclesiae parochiales, atque adeo cathedrales, quia reputantur primae dioeceseos parochiae. De his adnotatur, quod resolvit S. C. Episc. et Regul. in *Lucen.* 10. Feb. 1579. *Aquilan.* 29. Aug. 1594., *et Caserta.* 28. Novemb. 1594. apud Petram *l. c. n. 16.*, videlicet: « Tabernaculum SSm̃i Sacramenti in cathedralibus (sic ipsa) non » debet esse in altari maiori propter functiones particulares, quae » fiunt versis renibus ad altare: in parochialibus vero et regu- » laribus ecclesiis debet esse in altari maiori regulariter tamquam » digniori (1). » Confirmatur ex causa *Casalen.* 16. Maii 1708. ad dub. 72. resoluta a Congregatione particulari, quam SSm̃us deputavit et eidem assidebat uti Secretarius ipse Petra, qui eam resolutionem exscribit *l. c. n. 16.*

92. Ven. Sacramentum retinere permissum est etiam in ecclesiis Regularium utriusque sexus, sive quia religiosi viri vel foeminae habentur tamquam parochiani, eorumque ecclesiae tamquam parochiae, sive quia regularium domorum erectio cum a Sede Apostolica procedat, tacite hoc privilegium secum ferre dicenda sit. (Petra loc. cit. n. 18. et seq.). At si res sit de domo erecta auctoritate Episcopi, ut evenit peculiariter de mulierum conservatoriis, et huiusmodi monasteriis, in quibus vota simplicia emittuntur, necessarium est indultum Apostolicum. Qua super re Bened. XIV. in Constit. *Quamvis iusto* 30. Apr. 1749. (§. *24.*) resolutionem S. C. super virginibus anglicanis ex omni parte confirmans ultimo loco eisdem virginibus veniam tribuit iuxta votum S. Congregationis, ut SSm̃am Eucharistiam retinere pergant per haec verba: « Quoniam vero alterius huiusmodi gratiae conce- » dendae ius ad nos, et Apostolicam Sedem privative pertinet, » quod innuit decretum superius relatum, et canonica docet di- » sciplina, iuxta quam sacrosancta Eucharistia in ecclesiis, quae » parochiales non sunt, retineri non potest absque praesidio Apo-

(1) Vid. Collectanea Bizzarri pag. 244, ubi S. C. praescripsit Sacramentum in maiori altari non esse custodiendum in Ecclesia Confratrum, sed in altero altari, quando heic decentius asservari poterat. Item vid. Acta vol. II. pag. 296 in nota.

» stolici indulti, vel immemorabilis consuetudinis, quae huiusmodi » indulti praesumptionem inducit, ut late ostenditur in commen- » tariis b. m. Cardinalis Petra *(loc. cit. n. 29. et seq.)*, auctoritate » Apostolica... concedimus et indulgemus, ut Sanctissimum Eu- » charistiae Sacramentum in earum conservatorii ecclesia, sine » praeiudicio tamen ecclesiae parochialis, asservari ac retineri » possit et valeat. »

93. Monendum tamen, quod moniales nequeunt Eucharistiam retinere intra claustra, Conc. Trid. *Sess. 25. cap. 10. de Regul.* ibi: « Quod vero SSm̃um Christi corpus intra chorum, vel septa mo- » nasterii, et non in publica ecclesia conservetur, prohibet S. Sy- » nodus, non obstante quocumque indulto, aut privilegio. »

94. Quod pertinet ad collegiatas, distinguendum est, an eaedem insimul parochiales sint, quod fere fit; quo casu non solum potest, sed imo debet sacra hostia in usum aegrotorum ibidem conservari. Si vero sint ecclesiae vel collegiatae absque titulo parochiali, tunc eam, seclusa venia pontificia, retinere non possunt; sic enim resolutum fuit a S. C. Conc. 7. Sept. 1652. *(lib. 19. dec. fol. 207.)*, et refert etiam Pignat. Cons. 339. tom. 1. Vide Petram *l. c. n. 24.*

95. Multo minus igitur hoc idem permittetur ex iure ceteris ecclesiis confraternitatum; itaque si Episcopus hanc iisdem potestatem faciat, cum permissio nulla sit, nihil ipsi deferendum est, ut expresse declaravit S. C. Conc. pluribus in causis, ac praesertim in *Neapolitana* anni 1609., quam ex integro refert Petra *l. c. n. 31. et seq.* Quae quidem res ut magis magisque comprobetur, adducimus resolutionem S. C. Rit., quam refert Gardellini num. 655. ibi: « Episcopus Nucerinus Paganorum prohibuerat » ecclesiis SSm̃i Sacramenti Nucerinae superioris, et beatae Ma- » riae Virginis de Carmine inferioris, Nucerinae dioecesis, retinere » SSm̃um Sacramentum, eo quod non erant parochiales, et habito » recursu S. C. approbavit decretum Episcopi: qui tamen Epi- » scopus modo scripsit in favorem dictarum ecclesiarum, narrans » se ideo prohibuisse, ut oeconomi dictae ecclesiae recurrerent » pro licentia ad S. C., prout recurrerunt. Et S. C. respondit: » nihil, quia ubique prohibitum est, 12. Sept. 1626.

96. Si tamen accedat consuetudo immemorabilis, per quam indultum Apostolicum praesumi possit, tunc consuetudini inhaerere licet, ceu superius adnotatum est ex Constit. Bened. XIV.

Quamvis iusto, ipsis exscriptis verbis, et late rem omnem enucleat doctissimus Petra *loc. cit. n. 32. et seq.*

97. Adnotandum est, quod S. C. Conc. 18. April. 1795. in *Asculana* respondit, quoddam Episcopi decretum exsequendum esse, in quo *primo* statutum erat, ut parochus diebus Dominicis mane in ecclesia S. Georgii, quae parochialis non erat, sed in ambitu paroeciae reperiebatur, Sacrum faceret, et SSm̃am Eucharistiam publice exponeret, *secundo* veniam dederat, ut Venerabile Sacramentum in eadem asservaretur. Nec praetereundum, quod in folio eiusdem causae referebatur, in ecclesia parochiali S. Sabino dicata ob redituum tenuitatem, et alias causas Eucharistiam non consuevisse custodiri.

98. Item recolenda est alia eiusdem S. C. resolutio in *Cassanen.* 12. Aug. 1747. Ibi quarto loco dubium proponebatur: « An » in eadem confratrum ecclesia de sola Episcopi licentia, et per » tempora ab ipso praefinita liceat publicae venerationi exponere » SSm̃um Sacramentum, illudque tamdiu in tabernaculo retinere? » » Et S. C. respondit: « Affirmative, et Episcopus prudenter con- » cordat. »

99. Preces pro Eucharistia adservanda Summus Pontifex Sacrae Congregationi Concilii olim remittere solitus erat, quae hac in re cautissime agebat, plures conditiones apponens, quarum aliquas enumerat Petra *loc. cit. n. 37. et seq.* Hodie tamen ordinarie adeunda est S. Congregatio Rituum, vel aeque Secretaria Brevium; quamvis etiam Secretaria Memorialium eiusmodi indulta concedat, si quando venia ad breve tempus postuletur.

100. Ius retinendi clavem tabernaculi in ecclesiis parochialibus privative pertinet ad parochum, etiamsi contra obiiceretur statutum aut consuetudo. Vide S. C. C. in *Asculana* 25. Iun. 1689. *(lib. 39. dec. p. 218.)* et *Neapol.* 14. Nov. 1693. *(l. 43. dec. p. 548.)* quas refert laudatus auctor *l. c. n. 41. et seq.* (1). Si agitur de ecclesiis monialium, clavem penes capellanum, minime vero penes

(1) S. Rituum Congregatio die 6. Decemb. 1631. declaravit et omnino in civitate et dioecesi Civitaten. servari mandavit: « SS. Sacramentum feria V. in Coena Domini sub unica tantum clave asservari debere, retinenda per sacerdotem in crastinum celebraturum, et nullo modo apud personas laicas et saeculares cuiuscumque status, gradus et conditionis existant, non obstante quacumque contraria consuetudine, quam abusum esse declaravit. Item praedictum decretum afficere omnes ecclesias tam saeculares quam regulares, quovis modo a iurisdictione Ordinarii exemptas.

ipsas residere debere decrevit S. C. Episc. et Regul., cuius decretum exsequi mandavit S. Congr. Concilii in *Ianuen.* 14. Apr. 1725. ad dubium 2. Consulatur etiam folium ad diem 3. Feb. §. *Haec quoad,* ubi plures in eamdem sententiam allegantur doctores.

101. Ceterum de custodia Eucharistiae, pro qua diligentia omnium maxima debet adhiberi, officii nostri ratio postulare videtur, ut aliqua verba facere non omittamus. Itaque in primis exstat hac super re in *lib. 3. decr. tit. 44. caput unicum,* quod heic per extensum damus. « Statuimus (ait Innoc. III. in Conc. » gen.), ut in cunctis ecclesiis chrisma et Eucharistia sub fideli » custodia clavibus adhibitis conservetur: ne possit ad illa teme- » raria manus extendi ad aliqua horribilia et nefaria exercenda. » Si vero is, ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit, » tribus mensibus ab officio suspendatur: et si per eius incuriam » aliquid nefandum inde contigerit, graviori subiaceat ultioni. »

Hanc dispositionem ad observantiam revocarunt identidem Summi Pontifices, ac praesertim Bened. XIV. per Literas encyclicas S. C. Episc. et Regul. diei 9. Febr. 1751., quarum synopsim paulo diligentius heic opportunum ducimus excerpere e regesto S. C. Episc. et Regul. de anno 1751. (1). Ad nefariam praevertendam (per haec fere verba S. C. Antistites alloquebatur) scelestorum hominum audaciam, qui sacrilegas manus in vasa sacratissimam hostiam continentia furtive iniicere ac rapere non reformidant, Romani Pontifices non solum sacrilegos huius furti reos brachio saeculari tradi iusserunt ultimo supplicio puniendos, sed etiam sacri tabernaculi custodes, quorum incuria tanto flagitio aditus aperitur, debitis poenis affici praescripserunt. Nihilo tamen secius cum non raro acciderit, ut pluries sacrilegum huiusmodi furtum perpetraretur, Pontifex, Innocentii XIII. sui decessoris exemplum secutus, huic S. C. Episc. et Regul. mandatum facit, ut encyclicam cuique ex Ordinariis perscribat epistolam, qua ipsis iniungat, ut gravissimis et efficacissimis quibusque verbis inculcent parochis, rectoribus, aedituis et ceteris omnibus, ad quos sacri tabernaculi custodia pertinet, ne omnino negligant apud se accuratissime eiusdem tabernaculi clavem retinere, aut alio tutissimo loco asservare: necesse enim est, omne tam nefarii facinoris periculum prorsus amovere et avertere. Quod si ex eorumdem cu-

(1) Vid. Collectanea Bizzarri, pag. 34.

stodum incuria aliave culpa scelestissimum sacrae hostiae furtum consequatur sine violenti sacri tabernaculi effractione, ac potissimum si tabernaculum patefactum reperiatur, aut cum clavi ostiolo affixa, aut alio loco relicta, ita ut delinquentes facili negotio scelus suum exsequi potuerint, hoc et similibus in casibus Sanctitas Sua Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Ordinariis et Superioribus Generalibus Ordinum regularium per hanc S. C. praecipit imperatque, ut iuxta censuram *Cap. Statutum de custod. Euchar.* contra parochos, rectores, aedituos, aliasve personas custodiae tanti Sacramenti mancipatas, inexorabiliter et absque iudiciali inquisitione ad carceris poenam irrogandam, et ad alias poenas eorum arbitrio pro culpae qualitate determinandas procedant, praeter perpetuam officii aeditui amissionem, et quoad Regulares privationem vocis utriusque. Quodsi memoratae incuriae locus fiat, quin scelus ullum consequatur, nihilominus custodes, quos dicimus, per tres menses officii sui suspensioni subiiciantur, ceu per Innocentium III. iam cautum est. Neque vero ad hasce poenas declinandas iisdem suffragabitur, si tabernaculum apertum ab alio sacerdote vel sacro administro relinquatur, vel clavis tuto in loco reposita non fuerit: ad ipsos enim fidelis et accurata Venerabilis Sacramenti custodia pertinet, adeoque huiusmodi culpa ipsis est imputanda. Ceterum sacerdos ille vel administer iisdem poenis obnoxius sit, itemque alius quilibet, qui nefando huic sacrilegio dederit occasionem. Subinde ut Ordinarii locales procedere possint iuxta pontificias dispositiones etiam contra Regulares vel alias personas exemptas super eo, de quo agitur, iisdem Ordinariis necessariae quaeque ac opportunae facultates impertiuntur, cumulative tamen cum Superioribus regularibus, quibus iussu Summi Pontificis idem onus impertitur. Denique iisdem Praesulibus gravissime iubetur, ut de novo edictum in sacrario affigendum decernant, in quo vehementissimis quibusque formulis parochos, rectores, aedituos, aliasve personas sanctissimae Eucharistiae custodiae adstrictas ad ea observanda adigant, quae cum hisce in literis, tum iis continentur, quas die 8. Ianuarii anni 1724. s. m. Innocentius XIII. hac eadem de re dari praescripsit.

102. Quod pertinet ad expensas necessarias, ut sanctissima Eucharistia, prouti par est, in sacris aedibus custodiatur, ac potissimum ad lampadem nutriendam, quae ante ipsam perpetuo

colluceat, in subsidium cogi posse etiam parochianos, tradit cum aliis doctoribus Card. Petra *(l. c. n. 26.)*, necnon Crispin. *(Vis. past. P. II. §. 2. n. 13.)*, quos pro re nata consulere praestabit, praesertim cum aliquas declarationes SS. Congregationum adiiciant, quae in usum non infrequenter cadere possunt. Quoniam vero hisce temporibus inductum est, ut lumina nutriantur aliis materiis praeterquam oleo olivarum, optime quadrat, recentissimam ipsis verbis in medium proferre S. C. Rit. dispositionem, ut sequitur:

« Decretum – *Plurium dioecesum* – Nonnulli Rm̃i Galliarum » Antistites, serio perpendentes in multis suarum dioecesum » ecclesiis difficile admodum et nonnisi magnis sumptibus com- » parari posse oleum olivarum ad nutriendam diu noctuque sal- » tem unam lampadem ante sanctissimum Eucharistiae Sacramen- » tum, ab Apostolica Sede declarari petierunt, utrum in casu, » attentis difficultatibus et ecclesiarum paupertate, oleo olivarum » substitui possint alia olea, quae ex vegetalibus habentur, ipso » non excluso petroleo. Sacra porro Rituum Congregatio, etsi » semper sollicita, ut etiam in hac parte quod usque ab Ecclesiae » primordiis circa usum olei ex olivis inductum est, ob mysticas » significationes retineatur; attamen silentio praeterire minime » censuit rationes ab iisdem Episcopis prolatas; ac proinde ex- » quisito prius voto alterius ex Apostolicarum caeremoniarum ma- » gistris, subscriptus Cardinalis Praefectus eiusdem Sacrae Con- » gregationis rem omnem proposuit in ordinariis comitiis ad Va- » ticanum hodierna die habitis. Em̃i autem et Rm̃i Patres sacris » tuendis ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis ac dili- » gentissime examinatis, rescribendum censuerunt: *Generatim* » *utendum esse oleo olivarum; ubi vero haberi nequeat, remitten-* » *dum prudentiae Episcoporum, ut lampades nutriantur ex aliis* » *oleis quantum fieri possit vegetabilibus*. Die 9. Iulii 1864.

» Facta postmodum de praemissis SSm̃o D. N. Pio PP. IX. » per infrascriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua » sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit. » Die 14. iisdem mense et anno. – C. Episcopus Portuen. et San- » ctae Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef. – Loco ✠ sigilli. – » D. Bartolini S. R. C. Secretarius. »

Huiusmodi decretum sacerdos Romanus Petrus Avanzini, optimae spei adolescens, locupletissima iam iurisprudentiae canonicae

supellectile praeter alia praeditus, cuius amicitia gloriamur, publici iuris iam fecit in sacra ephemeride, quae *Acta ex iis decerpta...* inscribitur, editurque typis officinae S. C. de Prop. Fide *(Vol. 1. fasc. 1. pag. 38.)*. Synopsim insuper idem sacerdos adiecit elucubratissimi voti, quod in rem ex officio de more elaboravit unus ex Consultoribus sacri Consilii ritibus tuendis praepositi. Porro animadvertebatur, Ecclesiam utpote retinentissimam antiquae disciplinae in materiis adhibendis, quae ad sacrum usum pertinent, non ita facile recipere et adoptare novas materias contra id, quod *ob reales et mysticas significationes* inductum iam fuerit, ut idem sacer Ordo edixit de *gossypio* decr. 15. Maii 1819., itidemque praestitit circa usum cerae vulgo *stearina*. At usus olei olivarum praescriptus iam fuerat in veteri testamento *Exod. 25. 6.; 27. 20.*, et in novo testamento oleum suavissimi Christi nominis praerogativas exprimit. Vide S. Bern. *Serm. 15. super Cantic.;* adeoque adhibetur in sacris benedictionibus consecrationis, aliisque ritibus. Subinde definitio datur *petrolei*, quod est species bituminis liquidi, quod sub terra progignitur ex decompositione organica substantiae; hic liquor similis oleis volatilibus componitur ex carburetis hydrogenicis varie commixtis, et ideo summe combustibilis. *Petrolei* usus primis temporibus ignotus haud erat; at vero propter tetrum odorem inusitatus: nunc arte expurgatus tetrum odorem aliaque incommoda procul habet. Hisce positis, Consultoris sententia erat, ut oleum olivarum usurpari deberet, excepto casu necessitatis, cum videlicet omnino ipsum oleum olivarum deficiat iuxta ea, quae statuit S. Carolus Borromaeus in *Act. Mediolanen. pag. 4.* « Lumen lampadum oleo olivae » nutriatur, nec vero alterius generis adhibeatur, nisi quibus » locis Archiepiscopus ob eam causam concesserit, quia nullum » eius generis haberi potest. » Iisdem fere verbis adstipulantur Cavalieri et Baruffaldi (1).

Neque vero satis est ante altare sanctissimae Eucharistiae lampadem perpetuo collucentem alere; quod enim singulis diebus Missae celebratio accedere debeat, colligi posse videtur ex ea, qua hunc articulum concludimus, declaratione. « Sacerdos qui-

---

(1) Minime adhiberi posse petroleum vel aliud oleum ex vegetalibus ad illuminandam ecclesiam, sed in casu tantum necessitatis, ex prudentia Ordinariorum, S. R. C. die 20. Martii 1869. in Faventina rescripsit et servari mandavit.

» dam archidioecesis Firmanae, rurali ecclesiae, ubi SS. Eucha-
» ristiae Sacramentum quotidie asservatur, uti aedituus addictus,
» S. C. Rituum supplex rogavit, ut declarare dignaretur dubium,
» quod hisce terminis conceptum proposuit, nimirum: an aedituus
» ruralis ecclesiae, ubi SSmum Eucharistiae Sacramentum semper
» asservatur, teneatur ibi residere, ut sacrosanctum Missae sacri-
» ficium quotidie celebret: vel an possit per quinque vel sex dies
» quolibet mense abscedere, ut aliis obligationibus in alia ecclesia
» vacet? S. C. respondit: teneri ad residentiam et quotidianam
» Missae celebrationem, vel per se vel per alium sacerdotem.
» Die 16. Mart. 1833. Firmana. » (Gardellini num. 4700.).

APPENDIX.

Benedicti XIV. Institutio XXX. De SS. Eucharistiae expositione.

Summarium. De divina Eucharistiae expositione, ac de benedictionibus, quae cum ipsa conclusa in sacra pyxide populo tribuuntur. – De disciplina Ecclesiae pro SS. Sacramenti expositione, ac de processionibus, quibus ea circumfertur, veterique illarum institutione. – Non posse Eucharistiam publice exponi, nisi aliqua causa publica interveniat, quae Ordinarii auctoritate probetur. – De expositionibus SS. Sacramenti, quae singulis diebus aliqua in ecclesia iuxta impressam tabellam per urbem alternatim haberi solent. – De aliis expositionibus, quae diebus per tabellam minime designatis etiam in Regularium ecclesiis absque Ordinarii facultate instituuntur. – Usus expositionis huiusmodi improbatur, cum dies festi Sanctorum celebrantur; et cuinam rationi hoc consilium innitatur. – De privatis expositionibus, et quo pacto fieri debeant. – Quibus caeremoniis publicae expositiones indicendae sint. – De oratione quadraginta horarum; et quis auctor illam induxerit. – De consuetudine, ob quam pluries in diem benedictio cum sacra pyxide populo impertitur, quod sane nullius ritus auctoritate probatur. Qua ratione in posterum id perficiendum sit.

1. Sacrosanctam Eucharistiam in templis exponi posse, cultuque latriae adorandam certissimo dogmate novimus universi. Si quis autem contrarium sentiat, obnoxius est excommunicationi, quam Tridentina Synodus promulgavit. *(Can. 6. sess. 13. de Eucharistia).*

2. Certum quoque est, cum maximo honore atque utilitate coniungi eam catholicae Ecclesiae consuetudinem, seu disciplinam, qua SS. Sacramentum palam populo exhibetur. Qui res ecclesiasticas erudite persequuntur, eamdem consuetudinem inductam testantur, statim ac Sanctissimum Christi Corpus solemni pompa per urbem circumferri coepit. (Van Espen *Iuris ecclesiastici part. 2. tit. 4. de Sacr. Eucharist. cap. 5. numer. 13.*, Merbesius *Summae christianae 3. part. sect. 10.*, Iuenin. *de Sacram. diss. 4. quaest. 4. §. 5. conclus. 2.).*

3. Christianus Lupus *(part. I. tom. II. vet. edit. operum suor., in dissert. de Sac. Process. cap. 9.)* Sacramentum Eucharistiae in templis exponi prius consuevisse, quam in processionibus publice deferri coeperit, plurimum contendit. Id quippe ad Urbani IV. Pontificis tempora referendum est; alterius vero indicia aliqua ex vita Sanctae Clarae virginis, quae anno 1253. vita functa est, deprehenduntur. Traditur enim Sacram Eucharistiam iussu ipsius ad portas monasterii delatam fuisse, cum sub Friderico II. Imperatore Saracenorum armis Assisii civitas obsideretur; quod S. Clara ausa non esset, nisi tunc Eucharistiam palam exponi pia consuetudo permisisset.

4. Cum tamen in actis S. Clarae, quae duobus post eius obitum annis scripta fuerunt iussu Alexandri IV., qui illam inter Sanctos cooptavit, cum, inquam, habeatur, quod S. Clara divinam Eucharistiam praeseferri voluit *capsa argentea intra ebur inclusam*, hinc non sequitur, eam disciplinam tunc fuisse, ut palam colenda populo proponeretur, uti recte Thiersius expendit in suo libro super hac materia *(lib. 2. cap. 2. pag. 233.).*

5. Illud, quod in hac re dubium est, examinari debet, an publice venerandam Eucharistiam frequenter exponere perutile videatur. Qui eiusdem Thiersii bipartitum opus sedulo percurret, id maxime probari intelliget, si Ecclesiae legibus conformetur. Insuper tria constituit: primum haud permittendum unicuique, ut Eucharistiae Sacramentum, cum lubet, exponat, sed Pontificis et Episcoporum in hac re sententiam servandam; secundo iuxta Ecclesiae instituta et sapientum virorum opinionem id concedi rarius debere, quam in plurimis locis fieri consuevit; tertio idipsum per octavam Corporis Christi perfici solum fas esse, vel cum gravissima causa religionis, aut reipublicae id postulat, quae ab Episcopo diiudicanda est. Eiusmodi Thiersii commentarium

tot monumentis, ac rationibus redundat, ut doctissimus Martene *(De antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis Officiis c. 29. num. 6.)* de exponendo Eucharistiae Sacramento verba facere recuset eam ob causam, quod hoc argumentum tam copiose ac luculenter Thiersius pertractaverit, ut nihil superaddi posse videatur. Doctrinam vero auctoris adeo probavit praeclarissimus Cardinalis Bona, ut ad ipsum die 29. Augusti anno 1673. ita scripserit: *Existimo autem, quod ipsam* (hoc est sententiam) *dudum audieris a communi amico Domino Luca Dacherio; librum videlicet optimum esse, et pium, et ab omnibus viris doctis atque eruditis approbatum.*

6. Contrariam vero consuetudinem approbat magnopere Christianus Lupus *(loco citato cap. 12.)*, tum quia populum a vanis, periculosisque negotiis removet, frequentiam pro Eucharistiae adoratione ad Ecclesiam inducit, et obmurmurationes impedit, quae in ipsa fieri consueverunt: tum, quia fideles ad actus virtutum theologalium promendos excitantur, culparum veniam implorant divinamque opem, ut pietatis opera suscipiant.

7. P. Theophilus Raynaudus, qui in reliquis controversiis suum facile iudicium proferre solet, licet pro exponenda frequenter Eucharistia minime assentiat, ab eiusmodi tamen quaestione definienda consulto abstinet, sed rem totam Ecclesiae iudicio relinquendam censet. Sic enim habet tom. 5. suorum operum: *(Heteroclita spiritualia pag. 83.)*: « Haereo sitne inter indecoros » Christi in Eucharistia honores frequens admodum divinae Eu- » charistiae expositio, cuius usus in his oris tantopere invalescit, » ut prope quotidianus evadat etc. Ego in hac parte nihil definio; » et probatas consuetudines non sollicito etc. Timendum est, ne » maiestas mysterii fidei tam crebra, vel etiam assidua eius vul- » gatione deteratur, nec adeo facile percellat contuentium mentes, » quam si infrequentius, et, quod fere consequens est, maiore » cum apparatu et accuratione proponeretur. Viderint ii, ad quos » attinet, quid magis in hac re sit e Dei gloria et bono animarum; » nam meum hic iudicium interponere consultum non foret. » Venerabilis quoque vir Cardinalis Thomasius veterum ac recentiorum Ecclesiae rituum peritissimus, in hac re dubius fuit. Cum enim Archipresbyter Palmae, quod est oppidum eiusdem nobilissimae Familiae tributarium, Cardinalem consuluisset, utrum singulis diebus Dominicis in templo recens excitato sacram Eu-

charistiam exponendam probaret, his verbis die 17. Augusti 1675. ad illum respondit *(In Actis c. 7.)*: « Utrum sacra Mysteria per » singulos Dominicos dies palam exhibenda sint, serio perpendi » debet, antequam deliberetur. Id enim non semper Deo gloriam » affert, populoque utilitatem. » Hanc epistolam Dominicus Berninus inseruit Cardinalis vitae, quam in lucem edidit. Civis autem noster Antonius Albergatus, Sedis Apostolicae Nuntius, cum parochos civitatis ac dioecesis Leodiensis institueret, ita libere scripsit *(In actis visitationis ann. 1613. pag. 29.)*: « Multo melius » est, ut non ita frequenter exponatur, et tunc cum debita reve- » rentia, quam, ut frequentius, et sine debito obsequio et reve- » rentiae significatione id fiat, ut cum nostra animi commotione » multis in locis exponi vidimus et invenimus. »

8. Nos sane hoc negotio implicari nolumus, quo pars utraque nihil aliud contendit, nisi ut cultus divinae Eucharistiae debitus augeatur. Attamen iuri canonico inhaerentes certam nostrae urbi, ac dioecesi in hac re normam constitui posse arbitramur.

9. Universi, qui hoc argumentum pertractarunt, asserunt, Eucharistiae Sacramentum publice exponi non posse, nisi publica causa intercedat, quae per Episcopum probetur, qui solus facultatem impertiri potest non modo in suis ecclesiis, sed in illis etiam, quae ad Regulares pertinent, et quae ab Episcopi iurisdictione penitus immunes iudicantur. Inter Scriptores transalpinos ita sentiunt Iueninus *(de Sacramentis dissertat. 4. quaest. 4. concl. 3.)*, Merbesius *(in Summa christiana tertia part. sect. 10. conclus. 3. et 4.)*, Thiersius *(lib. 5. cap. 10.)*; inter Regulares numerantur Lezana et Gavantus apud Thiersium, Bissus *(in verbo* Expositio Sacramenti *num. 232.* §. *7.)*, Diana *(in editione coordinata, tom. 7. tract. I. resolut. 31. num. I.)*. Denique inter Scriptores practicos Clericatus *(de Sacramento Eucharistiae decis. 60. casu 2. num. 9. et seq.)*, Monacellus *(in Formulario legali part. I. lib. 6. formula 20. num. 1. et 2.)*, et Braschius *(in suo Promptuario Synodali cap. 29. n. 3. et seqq.)*, adscribuntur.

10. Tridentini Concilii auctoritas hanc sententiam magnopere confirmat *(Sess. 21. cap. 8. de reformatione)*, nempe: « Quaecum- » que in dioecesi ad Dei cultum spectant, ab Ordinario diligenter » curari, atque iis, ubi oportet, provideri aequum est.» Van Espen quoque *(Iuris eccles. part. 2. tit. 4. de Sacram. Eucharistiae cap. 5. num. 17.)*, affert Sacrae Congr. Conc. decretum, quod Cardinalis

Grimaldus per Galliam disseminavit, cum Nuntii munere fungeretur; quod pariter ab Aurelianensi Synodo in medium profertur, hisque verbis exaratum dicitur: « Congregatio Concilii censuit, » non licere Regularibus, etiam in eorum ecclesiis, Sanctissimum » Eucharistiae Sacramentum publice venerandum exponere, nisi » ex causa publica, quae probata sit ab Ordinario. »

11. Cum tamen veritatis amicissimi simus, et transalpino viro facile condonari oporteat, si Decretum integrum non evulgaverit, cum Sacrae Congregationis acta nunquam inspexerit, ideo plene ipsum Decretum describendum existimavimus, quemadmodum die 17. Augusti anno 1630. editum fuit, cum de causa Neapolitana ageretur: « Sacra etc. censuit, non licere Regularibus, etiam » in eorum propriis ecclesiis (1), Sanctissimum Eucharistiae Sacra- » mentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica, » quae probata sit ab Ordinario; ex causa autem privata posse, » dummodo Sanctissimum Sacramentum e tabernaculo non extra- » hatur, et sit velatum ita, ut ipsa sacra Hostia videri non possit. »

12. Quamvis hoc decretum pro peculiari causa iudicanda promulgatum sit, tamen pro generali norma deinceps a Sacra Congregatione receptum fuit, ita ut quoties huius generis causae propositae sunt, idem statuendum responderit, quod in causa Neapolitana antea sancitum fuit. Ita contigit die 28. Feb. 1654., *(in causa etc. lib. 19. Decret. pag. 316. sequentibus)*, ac die 14. Apr. anno 1674., *(in causa etc. lib. 28. pag. 72.)*. Idem a Sacra Congregatione Regularium et Episcoporum negotiis praeposita constitutum fuit anno 1692. velut infra explicabitur.

13. Itaque, cum Sacra Eucharistia absque facultate nostra, et publica causa exponi nequeat, et cum Ecclesiae leges, populique cultum erga divinum Eucharistiae Sacramentum integre tueri maxime optemus, ideo summopere commendamus ac probamus, quod in hac civitate singulis diebus Eucharistia publice in aliquo

---

(1) Ad rem faciunt haec S. R. C. decreta: « An praeter consuetas usuque receptas SSmi Sacramenti expositiones, extraordinariae quoque in ecclesiis exemptis fieri possint absque licentia Ordinarii? Respondit Negative. 31. Mart. 1821. » (Gardellini num. 4578. ad 4.). « Utrum servanda sit consuetudo exponendi publicae adorationi SSmum Sacramentum tum in ecclesiis Regularium, tum in iis, in quibus adest indultum Apostolicum asservandi Eucharistiam, sine Ordinarii licentia? Respondit Negative 16. Martii 1861. » (Gardellini num. 5310. dub. 13.).

templo colenda exhibeatur. Omnes quoque vehementer hortamur, ut in eadem templa frequentes conveniant, Deumque pro Ecclesiae utilitate magnopere exorent, in quo nos causae publicae rationem positam iudicamus, ut Eucharistiae Sacramentum fidelium venerationi proponatur; idque satis esse ad nostram facultatem indicandam declaramus, quod ecclesiarum nomina, in quibus exponitur Sacra Eucharistia, nostra auctoritate in lucem proferantur. Caeremoniale Episcoporum approbat *(lib. 2. c. 33.)*, quod « Sacra » Eucharistia in Altari exponitur in singulis ecclesiis collegiatis » ad totam octavam solemnitatis Corporis Christi. » In hac civitate singulae parochiae id facere consueverunt; quod sane impedire nolumus. Illud tantum, quod iam coeptum fuit, ut perficiatur, decernimus, ne scilicet Eucharistia in alio quolibet templo exponatur, licet per octiduum quoque Corporis Christi id superiori tempore in more positum fuerit, cum satis habeatur, si divinissimum Sacramentum in parochiis populo adorandum proferatur. Ad hanc normam redigendam praecipimus, uti iam fieri coepit, tabellam ecclesiarum nomina designantem, in quibus Eucharistia publice adoranda exponi solet.

14. Quod si Regulares, aut Sacculares iis diebus Sacram Eucharistiam exponere velint, qui in eadem tabella minime designantur, pro re regenda facultatem a nobis expostulent, causamque declarent. Qui contrarium audeant, debitis poenis a nobis afficientur: « Quod, si Regulares absque licentia, et forma prae- » fata sanctissimum Sacramentum publicae venerationi exponere » auderent, potest Episcopus contra ipsos ad poenam competen- » tem procedere. » Ita Braschius *(Promptuarium Synodal. cap. 29. num. 3. et seqq.)*, qui Sacrarum Congregationum super hac re Decreta diligenter enumerat. Attamen, ut ius nostrum, simulque officium erga alios servetur, si contraria iampridem consuetudo invaluerit, ut nempe in aliquo templo certis quibusdam diebus in tabella minime descriptis sacra Eucharistia publice exponatur, satis erit, si eiusdem rei causa, et ad ipsam consuetudinem probandam argumenta nobis exhibeantur, quae si a nobis obsignentur, pro necessaria facultate sufficient, donec novum aliquid contra statuatur. Notum tamen esse volumus eamdem facultatem nos minime concessuros, si in ipsis ecclesiis statis iisdem anni diebus effigies Beatae Virginis exponatur, vel festum alicuius Sancti celebretur, licet vetusta huius rei consuetudo nobis producatur.

15. Id enim sacrorum rituum periti scriptores magnopere damnant *(Bauldry in Manual. Sacrar. Caeremoniarum cap. 17. de Missa solemni et privata, quae coram Sanctissimo Sacramento exposito celebratur num. 2.)*. Bissus praesertim haec tradit *(Expositio Sacramenti n. 232. §. 5.)*: « Et libenter adverto, quod in » festivitatibus Sanctorum parum convenit expositio Sacramenti, » quia diversus est cultus exhibendus Sacrae Eucharistiae a cultu » exhibendo Sanctis, et praesente Domino omnium summo debet » cessare cultus Sanctorum. » De hac re copiosius agit Thiersius *(lib. IV. cap. 12.)*, qui Sanctorum cultum reipsa a Deo minime quidem separari recte perpendit; cum tamen sacra Eucharistia populo adoranda proponitur, praecipui charitatis ac religionis actus, uti fas est, ad Deum unice diriguntur; nec de honore Sanctis persolvendo tunc aliquis cogitat; ita ut consilium ac voluntas Ecclesiae minime perficiatur. Nemo enim res ab ipsis praeclare gestas eorumque eximias virtutes in mentem revocat, quae nobis imitandae proponuntur; nemo illorum patrocinium implorat, nec ullae Deo gratiae redduntur, quod ipsos in partem aeternae gloriae vocaverit. Illud etiam praeterire non possumus, quod maxime ad hanc sententiam confert, cum festis Sanctorum diebus publice exponitur. Maxima enim frequentia populus in templum confluit, ubi post preces vanis colloquiis detinetur, utque animum musicorum concentibus intendat, divinissimo Sacramento terga vertere non erubescit.

16. Si tamen sermo sit de exponenda privatim (1) Eucharistia, cum nullis Ecclesiae legibus publica causa et Episcopi facultas necessario requirantur, rem totam ad Praefectum illius Ecclesiae reiicimus, ubi vel pro alicuius aegritudine levanda, vel pro necessitate ac desiderio alicuius religiosi viri sacra Eucharistia debet exponi, in quo hanc normam observandam praescribimus; ut nempe Eucharistiae tabernaculum solum aperiatur, et sacra pyxis clausa, suoque velamine obtecta populi oculis subiiciatur;

---

(1) Expositio SSmi Sacramenti dicitur *privata*, quando SS. Sacramentum clausum in pyxide albo suo velo cooperta, aperto tantummodo tabernaculi ostiolo adorationi fidelium exponitur, quin pyxis extrahatur aut cum eadem populo benedictio impertiatur (Cf. S. R. C. 31. Mart. 1642. et 23. Maii 1835., et Gardellini Commentarium in Instruct. Clementin. §. 36. n. 11. 14. 15.). Expositio dicitur *publica*, quando SSmum in ostensorio in throno adorationi fidelium exponitur.

vel si Eucharistia e tabernaculo proferenda sit, sphaera intra crystallum inclusa sub umbella statuatur, et caetera omnia circumapponantur, de quibus sermonem inferius instituemus. Sphaera tamen velo adoperta ita sit, ut Sacrae Hostiae aspectus impediatur. Primam Eucharistiae exponendae normam decreta scriptoresque superius allati aperte commemorant; altera vero Romanae Urbis consuetudine probatur. Verum penitus interdicitur, sacram pyxidem ob privatam causam extra tabernaculum efferri, ac velatam sub umbella collocari; cum nullum huiusce ritus vestigium apud scriptores, nullaque Sedis Apostolicae consuetudo deprehendatur, quam sequi omnino debemus.

17. At vero, ut sacra Eucharistia, quo par est, honore ac religione publice coram populo exponatur, iuxta ea, quae Romani Pontifices, et Clemens etiam XII. qui Pontificatum nunc gerit, praescripserunt, *primo* decernimus, ut illa in maiori ecclesiae altari collocetur: *secundo,* ut alia quaelibet effigies depicta, vel simulacrum ibi contegatur; *tertio,* ne super altari Sanctorum reliquiae, vel simulacra statuantur; Angelorum tamen effigies non prohibemus, quibus candelabra efformantur; *quarto,* ut duodecim saltem cerei circumardeant; *quinto,* ne lances ad colligendam pecuniam in ecclesia constituantur, nullusque circumeat, ut eleemosynas a fidelibus eliciat, quod etiam egenis interdicitur, qui ad fores stipem postulabunt, hortamurque fideles, ut illis opem, quo poterunt studio, large suppeditent; *sexto,* ut campanulae sonus, qui a saeculo XII. inductus est, *ut sic fidelium mentes ad orationes excitentur,* quemadmodum decreto Guillelmi Parisiensis Episcopi comprobatur *(Card.* Bona *Rerum liturgicar. lib. 2. cap. 12.),* ut is, inquam, sonus, cum in Sacrificio Missae elevatur Hostia, praetermittatur, dum sacra Eucharistia exposita est. Licet tamen exiguo campanulae signo populum monere, cum sacerdotes e sacrario prodeunt Sacrum facturi; *septimo,* ne conciones habeantur, quo tempore divinum Eucharistiae Sacramentum publice expositum a fidelibus adoratur. Si vero brevis oratiuncula recitanda sit, ut populus ad pietatem magis inflammetur, is ecclesiae locus eligatur, ita ut fideles ab Eucharistia palam exposita faciem aversam tenere non cogantur, cultumque ipsi debitum praetermittere; *octavo,* ut quilibet, sive ad aram accedens, in qua sacra Eucharistia publice collocata est, vel absolutis precibus decedens utrumque genu deflectat, uti S. Rit. Congr.

die 19. Augusti anno 1561. edicto sanxit; *nono*, ut sacerdos ad aliud altare Sacrum facturus, cum ante divinam Eucharistiam pertransit, illam flexis genibus apertoque capite adoret; quo deinde tecto, susceptum iter prosequatur, uti eadem Congregatio die 7. Septembris anno 1636. constituit; *decimo*, si Missae Sacrificium super ipso altari celebrandum sit, in quo divinum Sacramentum expositum fuerit, sacerdos ab altari descendat, ut manus abluat, vultumque ad populum convertat, quod aliqui sane negligunt, licet Eucharistiae dignitati, rubricis, Romanaeque Ecclesiae consuetudini omnino conveniat, uti Macrius recte perpendit *(Macri in notitia vocabulorum Ecclesiasticorum ad verbum* Eucharistia); *undecimo*, si in Metropolitana, aut qualibet alia Collegiata exponatur Eucharistia, Canonici et reliqui omnes stantes, nudoque capite divina Officia in choro persolvant; quod si ob longum temporis spatium id efficere nequeant, sedere quidem ipsis, non autem caput tegere Caeremoniale Episcop. permittit *(lib. II. c. 33.)*.

18. Christo Domino, qui sub Eucharistia continetur, Angelorum chorus circum adstare sanctissimi Ecclesiae Patres testantur *(Sanctus Ioannes Chrysostom. lib. 6. de Sacerdotio, et in Hom. 65. ad populum Antiochenum; S. Ambrosius cap. 1. de Evangelio S. Lucae in illis verbis:* Apparuit ei Angelus. *S. Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 58.)*. Quare, ut nos etiam amantissimo Salvatori, cum publice exponitur, omnia pietatis cultusque argumenta, quae possumus, ostendamus, sub poenis voluntate nostra statuendis indicimus, ut praeter frequentiam populi et supplicationem, quam pro adoranda Eucharistia, sodalitia piis vestimentis superinduta de more instituunt, aliqui semper adsint, ut infra dicetur, qui eidem sacrae Eucharistiae flexis genibus cultum exhibeant. Id munus sacrorum rituum scriptores solis sacerdotibus tribuunt (Gavant. *in verbo Eucharistia num. 54.*, Lantusca *eodem verbo num. 2.*, Clericat. *de Sacramento Eucharistiae decis. 70. casu 2. num. 11.*, Merbes. *in Summa christiana 3. part. sect. 10. quaest. 2.*, Thiers. *lib. 5. cap. 3. n. 3.*, Braschius *in Promptuario Synodali cap. 20. num. 7.)*, quibus etiam congruit Franciscus Bonhomus, Vercellensis Episc., iussu Gregorii XIII. Visitator constitutus, *(in ecclesiasticis reformationibus p. 209. impressis Coloniae an. 1585.)* Angelus quoque Rocca, apostolici Sacrarii Praefectus, cum iter a Clemente VIII. Ferrariam susceptum, moremque Romanorum Pontificum describeret, quibus sacra Eucharistia praeferri solet, cum

ex Urbis districtu progrediuntur, illam affirmat, sub vesperam in aliqua ecclesia deponi consuevisse: « Sacrarii autem Praefecti » (inquit *tom. I. pag. 52.*) ecclesiasticos viros in custodiam san- » ctissimi Sacramenti nocturnas vigilias alternatim acturos, cereis » ac lampadibus perpetuo ardentibus illic relictis, destinabant. »

19. Solemnis precatio, quae quadraginta horarum spatium complectitur, P. Iosepho Mediolanensi ex Ordine Capucinorum primo adscribitur, qui anno 1556. ipsam instituit, ut quadraginta horas, quibus Salvator Dominus post mortem in sepulchro delituit, memoria prosequeretur *(Thiers. lib. 4. cap. 17.)* Pontifex Pius IV. sua vigesima secunda Constitutione, quae anno 1560. in lucem edita fuit *(tom. II. Bull. Rom.)*, sodalitium Romae institutum, et ab *Oratione Mortis* nuncupatum approbavit, cui Sorores Fratresque cooptati, aliique ceteri precationes ad quadraginta horas protrahebant, ut ieiunium quadraginta dierum, quod Salvator in solitudine complevit, imitarentur, sanctisque Apostolis et prioribus Ecclesiae Patribus assiduis precibus occupatis se penitus conformarent. De Eucharistia sane nulla fit mentio, sodales tamen ante ultimam Dominicam cuiusvis mensis, vel alio die supplicationem instituere solitos Pontifex commemorat, in qua decenti pompa eamdem Eucharistiam deferebant. Anno autem 1592. cum gravissimis causis urgeretur Ecclesia, implicatis nempe Gallorum rebus, paratisque iam Turcarum bellicis expeditionibus, Clem. VIII. Constitutionem 17. promulgavit *(tom. III. Bull. Rom.)*, in qua plurimas indulgentias illis impertivit, qui Romae convenirent ad ecclesias patriarchales, collegiatas, titulares Cardinalium, et ad ecclesias Regularium ac sodalitatum, in quibus quadraginta horarum spatium piis precationibus impenderent, atque inter se tempora ita partirentur, ut continua precatio videretur. Licet de exponenda publice Eucharistia nullum Pontifex verbum faciat, coniici tamen facile potest, tunc primum morem inductum fuisse vel paulo ante, ut sacra Eucharistia exponeretur, cum quadraginta horarum precatio indicebatur. Baccius enim *(lib. I. cap. 8. de vita S. Philippi Nerii)* ita fieri solitum per singulas primas Dominicas mensium, et per singulos annos in maiori hebdomada testatur Romae in templo sodalium sanctissimae Trinitatis, qui peregrinis et convalescentibus excipiendis, curandisque constituti sunt, et Sanctum Philippum Nerium ad frequentem populum eo tempore pios sermones habuisse. Cum vero scribit res praeclare

sancteque gestas a venerabili viro Iuvenali Ancina, Salutii Episcopo, et S. Philippi comite, commemorat in oppido Dogliani in Liguriae finibus non longe a Tanaro quadraginta horarum precationem edixisse, ad quam nocturno diurnoque tempore ingens populi multitudo confluebat, quae suppliciter ad colendam sacram Eucharistiam, ordinateque procedebat.

20. Romae quadraginta horarum precatio, et Sacra Eucharistia continuo coniunguntur. In hac autem civitate divinum Sacramentum singulis diebus exponitur. In quibusdam etiam ecclesiis ad 40 horas producitur, ut ex tabella, quae in lucem prodibit, liquido confirmabitur. Hanc porro consuetudinem sine ulla mutatione sequemur. Illas tamen muneris nostri partes ducimus, ut debitus sacrae Eucharistiae cultus exsolvatur. Quamobrem praecipimus, ut coram illa, dum in altari populo adoranda proponitur, unus, vel duo sacerdotes, vel duo saltem in sacris Ordinibus constituti, superpelliceo induti, flexisque genibus intersint ante scamnum panno rubei vel alterius coloris, qui conveniens habeatur, ad infimum altaris gradum posito. Id autem decernimus, ut fiat in qualibet ecclesia etiam Regularium, ubi Eucharistia publice exponitur iuxta tabellam, vel etiam ob facultatem peculiarem, sive consuetum horarum spatium servetur, sive horae quadraginta statuantur. Qui non paruerit, arbitrio nostro punietur. Quocumque igitur modo Eucharistiae Sacramentum in nostra Metropolitana exponatur, curent sedulo Canonici, ut tabella ad sacrarium figatur, in qua notetur horarum tempus, eorumque nomina, qui, ut supra dictum est, diu noctuque ante sacram Eucharistiam sua precatione fungi debeant. Idem omnino servetur a Canonicis, qui Collegiatis inserviunt, cum in iisdem sacra Eucharistia publice exponetur. Videant Canonici, ut reliquis exemplo praesint, eorumque nomina in tabellam referantur, neque totum onus in eos sacerdotes reiiciant, qui ad solvendas in choro divinas laudes destinantur. Id omnino servatur Romae in Vaticana praesertim Basilica, ubi per plures annos inter Canonicos adnumerati fuimus. Eamdem consuetudinem tenent Summi Pontificis domestici et familiares, cum in sacello Paulino per horas quadraginta divinum Eucharistiae Sacramentum exponitur. Idem praestandum erit a Regularibus in suis ecclesiis, ut Romae similiter facere consueverunt. Parochi vero, cum sacra Eucharistia in suis ecclesiis exponenda erit, sacerdotes aliosque sacris Ordinibus initiatos, qui

parochiae adsciti sunt, de hac re admonebunt, quorum nomina in tabella ad sacrarium affigenda, certaque hora cuivis adsignabitur, ut eo modo, qui superius declaratus est, ad precationem praesto sint. Quod si tanta illorum copia, quae sufficiat, in ipsa parochia non versetur, tum parochus ad alios confugiet, qui huic muneri satisfaciant. In ecclesiis quoque sodalitatum presbyteros clericosque ad sacros Ordines iam assumptos accersant, qui precationem eodem modo singulis horis alternatim suscipiant. Quod si sodales ipsi in suis, vel etiam in alienis ecclesiis id facere velint, scamnum ab ecclesiasticis seiunctum illis tribuatur, ubi Deum precentur, quemadmodum Romana institutione super hac re praescribitur. Cum aliqua perturbatio in sacra Eucharistia iuxta tabellam exponenda dimanet, eo quod in diversis ecclesiis diversum tempus ad rem perficiendam eligatur, hinc decernimus, ut ecclesiae, quae tabellae legem sequuntur, sacram Eucharistiam publice exponant tribus ante meridiem horis, et ante 23. horam diei benedictione accepta, populus dimittatur; ita ut post campanae sonitum, quo vespere ad salutandam Beatam Virginem populus excitari solet, templi fores obserentur. Magna illorum pars, quae hic exposuimus, in Synodo Cardinalis Boncompagni, continentur, eaque probantur actis Mediolanensis Ecclesiae, quae a S. Carolo Borromaeo coacta fuerunt *(tom. I. pag. 249. editionis Lugdunen.)*: « Dum illud (de sacra Eucharistia sermo est) in » altari propositum est, interim clerici duo superpelliceis induti » capite aperto ad altare semper assistant. »

21. Quae hucusque dicta sunt, ad solemnem ac publicam divini Sacramenti expositionem referuntur: si vero privata ex causa id fiat, quo tempore tabernaculum ita recluditur, ut velata pyxis in ostiolo appareat, vel sacra Hostia intra ostensorii crystallum inclusa, veloque obtecta in altari collocatur, tunc Sacra Congr. Episc. ac Regul. negotiis agendis praeposita, haec decrevit die 6. Decembris anno 1602. « Si quandocumque privata ex causa » sacrosancta Eucharistia exponenda videbitur, a tabernaculo » numquam extrahatur, sed in pyxide velata in aperto eiusdem » tabernaculi ostiolo cum assistentia alicuius sacerdotis stola et » superpelliceo induti, et cum sex saltem luminibus cereis collo- » cetur: quod idem in ecclesiis Regularium servari mandamus. » Ita ex praeclara Synodo Farfensi per Cardinalem Barberinium celebrata deprehenditur *(lib. 9. cap. 17.)*.

22. Si vero privata de causa sacrosancta Hostia inclusa solita sphaera et velo cooperta sub umbella ponatur, tunc praecipimus, ut saltem cerei bis sex accendantur, et sacerdos aliquis stola ac superpelliceo indutus ibi flexis genibus precibus detineatur. Quocumque tamen modo exponatur Eucharistia, qui sibi postulaverint, nanciscantur etiam diligenter presbyteros, qui singulis horis alternatim Christo Domino cultum exhibeant; nisi id cognitum certumque prius habeant, praefecti ecclesiarum facultatem non tribuent, ut sacra mysteria exponantur.

23. Mos obtinuit in hac Bononiensi civitate, ut pluries eodem die benedictio sacra pyxide frequenti populo concedatur. Nullum de hoc ritu monumentum deprehendimus. Indicat solummodo Rituale Romanum *(Tit. de Communione infirmorum)*, quod parochus post traditam aegroto Communionem, si in pyxide particula aliqua supersit: « Accipiens vas cum Sacramento facit cum eo » signum crucis super infirmum nihil dicens. » Postquam in templum rediit: « Cum Sacramento in pyxide velo cooperta faciat » signum crucis super populum nihil dicens; postremo illud in » suo loco reponat. » Ne Romae quidem, quae sacrorum rituum magistra merito appellatur, id fieri consuevit, nisi forte maximae dignitatis vir, quemadmodum Rex, aut Regina pietatis causa eam benedictionem expeterent. Quamquam Nos plusquam viginti annis Sacrae Rituum Congregationi adfuimus, tamen a praecipuo eiusdem Ministro consilium super hac re poscere non praetermisimus, qui hanc consuetudinem omnino interdicendam libere respondit, cum novi ritus inconsulta Sede Apostolica permitti nequeant, licet pietatis aliqua causa adducatur. Verum ne eadem pietas imminuenda sit etiam ob eam rationem, quod idem crebro repetatur, decernimus, ut benedictio solum in illis ecclesiis populo impertiatur, quae veterem huius rei consuetudinem tenent, caveantque, ut semel tantum in eumdem diem id perficiant: delinquentes nostro arbitrio plectemus. Curent quoque omnia decenter fieri, ita ut duo saltem clerici superpelliceo induti, cereos vel intortitia manu praesentent, ardeantque reliqui cerei, qui super altari in candelabris statuuntur.

24. Cum in dioecesi sacra Eucharistia publice, vel privatim exponitur, omnia, quae superius sancita sunt, observanda praecipimus; vicariis autem foraneis mandamus, ut nobis significent, quot numero expositiones in suis vicariatibus institutae sint, et

qua ratione peragantur, ut quid statuendum sit intelligamus. Quoniam vero ad nos pervenit, in quibusdam locis per quadraginta horas divinum Sacramentum exponi, atque ecclesiae fores per integram noctem patere, eoque viros simul ac mulieres confluere, omnino praecipimus, ut post horam diei vigesimam tertiam cum dimidio templum claudatur. Si per noctem sacra Eucharistia super altari posita sit, ardeant duodecim faces, et sacerdos, vel saltem aliquis in sacris Ordinibus constitutus, ut supra declaravimus, precibus intentus assistat.

25. Hoc edictum tunc suam vim obtinebit, cum nova tabella ecclesiarum, in quibus sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publice exponi debet, promulgabitur; idque temporis spatium ob eam causam conceditur, ut omnia, quae proposita sunt, paratis rebus antea necessariis, exsecutioni demandentur.

Art. IV. De privatis oratoriis.

Summarium. 103. Non semel Episcopi in suis relationibus facultatem oratorii privatis concessisse pro sacro faciendo renuntiarunt. – 104. At vero facultas concedendi privata pro sacro faciendo oratoria, quidquid aliqui contra senserint, soli Summo Pontifici reservata est. – 105. Neque pro actu transeunte id Episcopis sine urgenti causa licere edixit S. C. Conc., quamvis licentias ab Episcopis ante elargitas sanandas duxerit. – 106. S. Alphonsus, et alii sentiunt, iusta accedente causa, per modum actus huiusmodi licentiam ab Episcopis concedi posse. – 107. Sed veteres resolutiones S. Congreg. Concilii aliter constituerant. – 108. Nihilominus S. C. Conc. recens Episcopis hanc facultatem adseruit, si magnae et urgentes vere adsint causae, idque per modum actus tantummodo. Bullae Cruciatae privilegium non suffragatur in hac materia. – 109. Excipiuntur oratoria in piis institutis publicis, uti sunt carceres, et domus spiritualium exercitiorum. – 110. S. C. Rit. edixit, parochum in privato oratorio celebrantem posse, etiam absente indultario, deferre Viaticum ad proximam infirmi domum. – 111. Item edixit, festum Titularis aedium sacrarum publicarum et privatarum, quae ad Episcopos, seminaria, regulares, et alios pertinent, celebrari non posse sub ritu duplici 2. classis cum Credo et Octava.

103. Nonnunquam aliquis ex Episcopis, postquam omnes et singulas dioecesis ecclesias recensuerit, oratoria privata dinumerat, quae nempe sunt in privatorum hominum domibus; eaque

occasione non semel cognitum est, alicubi hanc opinionem non sine errore invaluisse, Episcopum sua auctoritate veniam elargiri posse, ut in privatis iisdem oratoriis Missae sacrificium offeratur. Et ita reipsa non infrequenter talem veniam impertitam fuisse constitit, quin Pontificis indultum impetratum fuisset; quod ceteroquin est necessarium. Itaque ne falsa haec opinio errandi occasionem facile praebeat, huiusmodi argumentum breviter enucleandum aggredimur.

104. Tridentini Patres *Sess. 22. dec. de observand. et evitand. in celebrandis Missis* decreverant: « Neve patiantur (Episcopi) » privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad di- » vinum tantum cultum dedicata oratoria ab iisdem Ordinariis » designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a saecularibus, seu Regularibus quibuscumque peragi. » Varia et multiplex hic exarsit inter doctores opinionum dimicatio, an Episcopis sive omnino, sive partim per hoc decretum sublata vel imminuta fuerit potestas indulgendi veniam, ut in privatis sacellis Missae sacrificium perlitari queat. At vero omne dubium amputavit s. m. Paulus V., qui encyclicas Literas edi iussit a S. Cong. Conc. die 10. Mart. 1615., quibus declarabatur, « facultatem huiusmodi » licentias dandi, ipsius Cong. decreto unicuique ademptam esse, » solique beatissimo Romano Pontifici esse reservatam. » Quae profecto declaratio confirmationem accepit ex pluribus, qui subsecuti sunt, Summis Pontificibus, ac ultimo a Bened. XIV. Constit. *Magno cum animi* diei 2. Iun. 1751. ubi doctissime, copiosissimeque materia de privatis oratoriis pertractatur. Vide num. 9. voluminis III.

105. Tametsi satis superque huic rei per hasce Pontificum praescriptiones consultum fuisset, nihilominus identidem aliquibus in locis contraria consuetudo sive avulsa reipsa non fuit, sive temporis lapsu iterum pullulavit. Sic e. g. in dioecesi Monasteriensi opinio invaluerat, et usu receptum erat, ut Episcopi licentiam, de qua sermo est, saltem ad tempus impertiri possent, seu, utpote dici solebat, *pro actu transeunte*, ceu videre est penes S. C. Conc. in *Monaster.* 23. Ian. 1847. *per Sum. Prec.* At vero eadem S. Cong. rescripsit: « Non licere ulli Episcopo huiusmodi » licentias quocumque sub obtentu concedere, ne pro actu qui- » dem transeunte: hanc facultatem esse soli Romano Pontifici » reservatam, eidemque Episcopo literas S. C. a Paulo V. appro-

» batas expediri: et quoad facultates hucusque alias, quam a » Romano Pontifice concessas, consulendum SSmo pro earumdem » sanatione. » Quam resolutionem SSmus ratam habuit. *(Lib. 190. decret. pag. 276.)*.

Insuper Monasteriensis Episcopus anno 1851. dubitavit, an indulta a suis decessoribus elargita, singula ad unum sanata fuissent, et an perpetua forent. At S. C. die 5. April. eiusdem anni rescripsit: « Consulendum SSmo pro sanatione omnium in- » dultorum ad vitam tantum praesentium patrumfamilias, qui » fruuntur indulto. »

106. Non multis post annis Episcopus Calatayeronensis S. Congregationi exponebat, in sua dioecesi consuetudinem invectam fuisse, ut Episcopi, iusta aliqua accedente causa, in privatis oratoriis Missae celebrationem permitterent, quae permissio (talis ibi praevalebat opinio) tamdiu durabat, quamdiu causa ipsa superesset, imo insuper perpetua evadebat, etiam deficiente causa, in vim Bullae Cruciatae. Ad primum quod attinet, allegabatur sententia S. Alphonsi de Ligorio in *Theol. mor. lib. 6. t. 3. n. 359. dub. 2.* quaerentis. « An Episcopi possint dispensare, ut aliquando » celebretur in oratorio domus privatae? Negant Mazotta et..., » sed probabilius, et communissime alii affirmant, modo accedat » rationabilis causa, et licentia celebrandi non detur permanen- » ter, et per modum habitus, sed per modum actus, nempe tali » iusta causa interveniente. »

107. Quae S. Alphonsi sententia adstipulatores habet plerosque tum e theologiae tum e iuris canonici coetu doctores, quos plena manu congerit folium in casu *Calatayeronen.* diei 7. Iunii 1855., et die 20. Dec. 1856.

Contra facere videbantur binae resolutiones S. Cong. Conc., una in *Syracusana* 27. Maii 1617. quae huiusce tenoris erat: *(lib. XI. decr. fol. 197.)*: « An Ordinarii possint concedere licentias « celebrandi in oratoriis privatis, quando aliqua causa necessaria » subest, ut cum persona titularis insignis, rerumque publicarum » publicus minister, nobiles item cum aegrotant, aut senio con- » fecti ad ecclesiam accedere multifariam prohibentur? S. C. cen- » suit, non posse Episcopum ex quavis causa cuique concedere, » ut Sacrum fiat in privatis oratoriis. » Altera sine titulo a Fagnano refertur ad *Cap.* In his *de priv. n. 13.* per haec verba: « Cum Cardinalis Paleottus olim petiisset, ut posset licentiam

» concedere domi celebrandi, cum infirmus deberet pro Viatico » communicari, S. C. respondit: *Non posse*. Quin imo cum Car- » dinalis legatus Portugalliae petiisset, ut posset concedere licen- » tiam celebrandi in domo privata decenter accommodata, cum » infirmus aliquis debet per Viaticum communicari, et hoc quia » in illis regionibus sunt multa loca adeo dispersa et remota a » parochiis, ut non sine maximo incommodo possit Eucharistiae » Sacramentum circumferri; S. C. respondit: Non esse conceden- » dum. » Vide *Calatayeronen.* die 7. Iun. 1855. §. *Et ad.*

108. At vero in memorata *Calatayeronen. Oratorii priv.* propositis dubiis « 1. An Episcopus possit, iusta interveniente causa, » facultatem concedere celebrandi in oratoriis privatis in casu? » 2. An cessante causa episcopalis indulti perseveret nihilominus » facultas in vim Bullae Cruciatae in casu? » Die 7. Ian. 1855. causa dilata est, iterumque proposita, plurimis hinc inde prolatis auctoritatibus, responsio prodiit die 20. Decembris eiusdem anni: « Ad 1. Negative, nisi tamen magnae et urgentes adsint causae, » et per modum actus tantum. Ad 2. Negative. » Porro circa secundum dubium pro parte affirmativa animadvertebatur, oratoria haberi debere tamquam interdicta; et in vim Bullae Cruciatae (1) etiam interdicti tempore Missam ibidem celebrare licitum esse. Contra tamen potissimum replicabatur, casum interdicti, quippe quod censuram et poenam importet, praesenti themati non posse accommodari, in quo nulla nec censura, nec poena intercedit. Praeter indulta in forma ordinaria et communi concessa, aliquando inveniuntur indulta sine clausulis consuetis elargita, quae extraordinaria dici possunt, quale est e. g. illud, de quo agit folium in *Placentina Orat. priv.* 27. Febr. 1864., in quo consuetae clausulae omni fere ex parte exulabant. Maiori explanatione videtur haec causa indigere, ut melius intelligatur.

109. Cum oratoriis privatis confundi non debent oratoria, seu capellae erectae in domibus piorum locorum publicorum, scilicet hospitalium, orphanotrophiorum, carcerum, spiritualium exercitiorum et similium. Haec enim oratoria minime comprehensa censentur in prohibitione Concilii Tridentini. Et sane in *Vigle-*

---

(1) Circa Bullam Cruciatam dignissima est, quae referatur, *Santanderien. Dubia super Bulla Cruciata* 15. Iulii 1797. cum *Toletana,* quae legitur in fine Folii *Santanderien.*

vanen. Oratorii 27. Mart. 1847. penes S. C. Conc. articulo plenissime discusso, dubia proposita sunt: « 1. An oratoria in ho- » spitalibus ceterisque piis locis absque Episcopi auctoritate ere- » ctis constituta in prohibitione Concilii Trid. comprehendantur? » 2. An sub eadem prohibitione contineantur orphanotrophia? » S. C. ad utrumque negative respondit. Porro orphanotrophium omnimodae iurisdictioni Episcopi suberat, et semper uti locus religiosus habitus fuerat. Nominatim etiam de capella publicorum carcerum S. C. Conc. die 14. Novemb. 1618. in *Calaritana* pronuntiavit, eam in Conc. Trid. prohibitione non contineri. *(lib. 18. decretor. fol. 543.)* « An sub prohibitione (decreti Pauli V.) com- » prehendatur capella carcerum publicorum, et petenda sit eadem » licentia a Sede Apostolica, vel sufficiat licentia Ordinarii, si » huiusmodi capella sit in loco decenti ornata? » et responsum » fuit « Non comprehendi capellam carcerum publicorum. » Idem etiam de capella domus spiritualibus exercitiis addictae resolvit in *Monasterien.* 5. Apr. 1851. *per Summ. Prec. (lib. 194. p. 356.)* « Quoad loca pia et religiosas domos, vel pro spiritualibus exer- » citiis erectas cum approbatione Ordinarii, vel publica sine ea » approbatione, Episcopum non indigere facultatibus pro conce- » denda licentia Sacrum in iis peragendi. »

110. Ad hoc argumentum, quod modo versamus, attinent duae, quae sequuntur, declarationes S. Congr. Rituum: « Parochus » novit, sacrum Viaticum difficillime porrigi posse infirmo morti » proximo, nisi celebret in oratorio domestico indulto Apostolico » erecto domui infirmi proximo: quaeritur, utrum possit a pri- » vato oratorio SS. Sacramentum deferre? Et quatenus affirma- » tive, utrum in tali casu celebrare possit etiam indultario pre- » cario absente? S. Rituum Cong. respondit. Affirmative, etiam » absente indultario.» Die 27. Augusti 1836. *Veronen.* ad 8. (Gardellini, num. 4783.).

111. « An festum Titularis capellarum publicarum et orato- » riorum, quae existunt in aedibus episcopalibus, seminariis, ho- » spitalibus, domibus Regularium, domibusque privatis celebrari » debeant sub ritu duplici secundae classis cum Credo et Octava? » S. R. C. respondit « Negative » 12. Nov. 1831. Marsor. ad 34. *(l. c. n.* 4669.*)*.

VIII. Numerus monasteriorum tam virorum quam mulierum, » exprimendo, an aliqua ex monasteriis virorum sint subiecta

» suae iurisdictioni; et an et quae mulierum monasteria sibi sub-
» iecta sint, vel praelatis regularibus! »

(Quod pertinet ad praesens capitulum, lectorem precamur, ut *cap. IV. de Regularibus* §. *III.*, necnon *c. V. de Monialibus* §. *VI. et seq.* adire ne gravetur: ibi siquidem omni ex parte argumentum hoc fuse pertractatum reperiet).

« IX. An adsit in dioecesi seminarium clericorum, quot clerici
» in eodem alantur, an fuerit statuta taxa, et in qua quantitate,
» et an aliqua beneficia fuerint eidem unita, et in universum
» quinam, et quot sint reditus praedicti seminarii? »

Art. I. De seminariorum necessitate et utilitate, eorumque erectione.

Summarium. 112. Gravissimum de seminariis argumentum paulo fusius pertractandum sumitur. Qui auctores de seminariis recens scripserunt. – 113. Seminariorum utilitas atque necessitas ostenditur ex eo, quod Episcopi adolescentulos suis sub oculis subcrescere conspiciunt. – 114. Item ex eo, quod a teneris bonitatem, scientiam et doctrinam doceantur. – 115. Praeclara ad rem Barbosae verba. – 116. Teste S. Carolo Borromaeo huiusmodi collegiorum iuvenilium intermissio maximo fuit ecclesiae detrimento. – 117. Concilium Aquileiense Ecclesiam hodie vix posse sine seminariis prospere consistere existimavit. Hinc secretae moderni aevi societates acerrime seminaria oppugnant. – 118. Nonnulli e Patribus Tridentinis autumabant, tantam esse utilitatem decreti circa seminaria, ut labores omnes hoc unum compensare dicerent. – 119. Refertur principalis huius decreti pars. – 120. Quam impense pro eiusdem exsecutione elaborarunt Summi Pontifices, praesertim Bened. XIII. in sua Constit. *Creditae nobis.* – 121. Praecipuam SSmi D. N. curam erga seminaria esse ostendunt seminarium Senogalliense, ac seminarium Pium ex eius munificentia sumptuque funditus erectum; aliaque multa eodem auspice fundata. – 122. Neque minore studio usa est, utiturque S. C. Conc. – 123. Locus excitandi seminarii aptior est ille, qui prope cathedralem situs sit. – 124. In duabus dioecesibus aeque principaliter unitis, duplex est seminarium erigendum. – 125. Si tamen subsidia desint, adolescentuli dioecesis seminario carentis ad seminarium alterius ecclesiae mittantur. Seminarium erigi debet etiam in ecclesiis abbatialibus. – 126. Si in singulis ecclesiis seminarium erigi nequeat, erigatur unum, et etiam alterum commune in provincia. – 127. In *Melphictana,* ubi propter redituum tenuitatem seminarium erigi non poterat, S. C. decrevit, constituendum magistrum unum grammaticae et alterum musicae. – 128. Beneficiorum taxationes pro schola non sunt permittendae, nisi in eo casu, de quo

agit Conc. Trid. – 129. Ratio supplendi seminarii a Bened. XIV. proposita. – 130. Solent aliqui Episcopi suos clericos ad aliena seminaria mittere, quando proprium non habent. Quid facere ipsi debeant hoc in casu ex consilio S. C. Conc. – 131. S. C. Conc. in suis ad relationes responsis Episcopos seminario carentes hortatur, ne animo deficiant, nihilque inausum relinquant, ut illud erigere queant. – 132. Experientia docet, complures Episcopos subsidia ibi nactos esse, ubi difficultates praetimebant. – 133. Seminarium formaliter erectum censetur, quando alumni collegialiter vivunt etiam in domo conducta. – 134. Emptio domus et deputatorum electio seminarii erectio non est. – 135. Seminarium erigi nequit in aedibus canonicalibus absque canonicorum consensu, et aliis cautionibus. – 136. Seminarium non deficit per temporaneam suspensionem. – 137. Non ita facile procurrendum est ad extremum seminarii obserandi remedium, tametsi ad tempus. – 138. S. C. Conc. seminariorum paupertati quandoque succurrit per Missarum reductionem, vel translationem. – 139. Commutatio voluntatis defunctorum in utilitatem seminarii facilius conceditur, cum agitur de legato studiorum. – 140. Translatio seminarii ab urbe principe ad urbem residentiae Episcopi, probata fuit a S. C. C. in *Milevitana*. Salvis seminarii dioecesani iuribus ac privilegiis, potest Episcopus in dioecesi collegium insuper aedificare, quamvis clerus et municipes adversentur.

112. Cum in hoc articulo de re agatur omnium gravissima, atque adeo tanti momenti, ut S. C. in suis ad Episcopos literis singularem et exquisitam prae ceteris rebus diligentiam ponere soleat, hinc eiusdem sacri ordinis menti quodammodo nos obsequi arbitramur, si hoc argumentum paulo fusiore calamo ac studio accuratiore pertractemus. Monemus interim, nos hic de materiali solummodo seminariorum statu verba facturos, reliquam de formali in capite sexto lucubrationem reservantes. Quae fuerit in Ecclesia Dei seminariorum origo et progressus a primis eiusdem saeculis ad usque tempora Tridentini Concilii, ea, quam nobis proposuimus, dicendi brevitas pluribus hic prosequi non sinit. Qui in hanc eruditionis provinciam excurrere exoptaverit, adeat opus inscriptum *Storia de' Semin. cleric. racc. da Giovanni di Giovanni. Roma, Pagliarini 1747. (cap. 1. 2. ac 3.)*. Item aliud: *Il Seminario Eccles., o gli otto giorni a S. Eusebio, del dott. Agostino Theiner. Roma nel Collegio Urbano 1834.* (1). Quod quidem opus clarissimus auctor ita dividit, ut in primo capite de semina-

(1) Geschichte der geistlichen Bildungsanstalten, Mainz 1835.

riis agat ab ortu Ecclesiae ad tempora Caroli Magni; in secundo a Carolo Magno ad Conc. Trid.; in tertio, quo finis operi ponitur, non sine magna doctrina a Conc. Trid. ad hoc usque tempus multa fuse disserit. Adeatur itidem Thomassini opus *de vet. et nov. discip. Eccles. part. I. lib. 3. c. 2. et 6. p. 353. 361. Ven. 1773.* Nonnulla sapienter attigit etiam Benedictus XIV. *de Synod. dioec. lib. V. cap. 11. n. 1. 2. 3.*, ac *lib. XI. cap. 2. n. 3. et seq.*

113. Sed enimvero pro rei gravitate facere non possumus, quin pauca de eorum utilitate ac necessitate proferamus. Nulla in re tanta cautio Episcopis praescribitur, quam ut ne cito alicui manus imponant, eo nempe consilio, ut neminem ad sacros Ordines admittant, cuius virtutem et idoneitatem iamdiu cognitam et perspectam non habuerint. Iamvero tum solum Episcopi rem hanc facilius ac tutius assequi poterunt, cum ecclesiasticos adolescentes suis sub oculis subcrevisse viderint *tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo* (Ps. 1. 4.). Et sane, « *Qui* (profani auctoris » verba mutuari liceat) *vineam vel arbustum constituere vult,* » *seminaria prius facere debet; sic enim sciat, cuius generis vitem* » *positurus sit.* » (Columella *lib. de arbor. cap. 1.*).

114. Huc accedit, quod, cum « *adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit, non recedet ab ea* » (Prov. 22.), mirum quantum interest, ut exquisitissimo studio ab unguiculis clerici *bonitatem, disciplinam ac scientiam* doceantur. Neque profecto alia ratio ad seminaria in omnibus catholici orbis dioecesibus instituenda Tridentinos Patres impulit, quam ea, quam diximus: ita enim providentissimo illi decreto *sess. 23. cap. 18. de Reform.* initium fecerunt. « *Cum adolescentium aetas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, et, nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfecte, ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseveret, sancta Synodus statuit, ut singulae cathedrales... certum puerorum... numerum in collegio... instituere teneantur.* »

115. Hinc merito in haec verba erumpit Barbosa *De Can. et Dign. cap. 1. n. 2.* « *Quam felices clerici intra ecclesiae septa habitantes, nec ullam periculosarum discursationum, mundanarum occupationum, celebrandarum compotationum, agitandarum comessationum conveniendarum muliercularum, exercendarum gras-*

sationum, libidinum, turpitudinum occasionem habentes, sed divinis tantum contemplationibus, laudibus, precibus, concionibus, officiis, cantibus, sacrificiis vacantes, et tamquam Angeli quidam terrestres, in paupertate, castitate et obedientia degentes, et solum Dei gloriam et suam aliorumque salutem procurantes! »

116. Post haec nemo demirabitur, si seminariorum erectio, nedum utilissima, sed etiam propemodum necessaria iudicata fuerit. S. Carolus Borromaeus cum in omni disciplinae ecclesiasticae capite reformationem a Concilio Tridentino praescriptam promovit et exsecutione praestitit, tum in hoc, quod seminarii institutionem respicit, singularem curam ac diligentiam ostendit, Patrumque Tridentinorum menti ante omnia penitus se conformavit. Iamvero tantus iste vir in *Conc. Mediolanen. V. p. 3. de Sem.* ad rem ita observabat: « *Seminarii institutio quam utilis sit ac necessaria ad cleri disciplinam in singulis ecclesiis propagandam, cum ex Concilii Tridentini decreto facile intelligi potest, tum ex eo etiam, quod rei illius salutaris ratio aliquando intermissa, damna et detrimenta non mediocria rei ecclesiasticae attulit.* » Hanc assertionem fuse docteque, historicis ad rem allatis monumentis, demonstrat et comprobat laudatus Ioannes de Ioanne *Histor. Sem. cap. 2. ac 3.*

117. Quin etiam Concilium Aquileiense anni 1596. celebratum existimat, sine seminario clericorum hoc tempore consistere Ecclesiam vix posse. Proclamat enim apud Pignatell. *Cons. 81. n. 162. (tom. 9.)* esse « seminariorum institutionem, conservationem et » promotionem in Dei ecclesia summe fructuosam, quo clericalis » militiae propagatur ordo, et progressio tantopere necessaria, ut » stare ecclesiastica disciplina sine illorum subsidio et adminiculo » vix possit. » Viderant hanc rem secretarum recentioris temporis societatum antesignani, qui nihil intentatum reliquerunt, ut seminaria oppugnarent, ac de medio tollere adniterentur, prout legere est apud Theiner *l. c. cap. 3. versus finem.*

118. Quae cum ita sint, haud inconsulto dictum accipiendum est id, quod narrat Pallavicinus *Hist. Conc. Trid. lib. 22. cap. 8. num. 3.* apud Crispin. in paragrapho de seminarii visitatione *(Visit. Past. P. II. §. 31. n. 1.)*, videlicet multos ex Patribus Tridentinis, dimisso Concilio, ita pronuntiasse mentem suam, ut quando etiam nullus alius utilitatis fructus ex Concilii celebratione perceptus fuisset, quam unus hic est de seminariis cleri-

corum ubique terrarum instituendis, tantum profecto inde emolumentum extitisset, quantum tot laboribus ac incommodis ibidem toleratis satis digne respondere plane dicendum foret.

119. Cum igitur sapientissima Patrum Tridentinorum mens optime praevidisset, quantae utilitati ac propemodum necessitati futura esset collegiorum institutio, in quibus clerici ad spem ecclesiae succrescentes sedulo in scientiis ac bonis moribus educarentur, decretum mox allegatum *Sess. 23. cap. 18. de reform.* sancitum voluere hisce, quae sequuntur, verbis.

« Sancta Synodus statuit, ut singulae cathedrales, metropolita-
» nae, atque his maiores ecclesiae, pro modo facultatum, et dioe-
» cesis amplitudine, certum puerorum ipsius civitatis et dioecesis,
» vel eius provinciae, si ibi non reperiantur, numerum in collegio
» ad hoc prope ipsas ecclesias, vel alio in loco convenienti ab
» Episcopo eligendo alere ac religiose educare et ecclesiasticis di-
» sciplinis instituere teneantur. In hoc vero collegio recipiantur,
» qui ad minimum duodecim annos, et ex legitimo matrimonio
» nati sint, ac legere et scribere competenter noverint, et quo-
» rum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis mini-
» steriis perpetuo inservituros. Pauperum autem filios praecipue
» eligi vult, nec tamen ditiorum excludit, modo suo sumptu alan-
» tur, et studium prae se ferant Deo et Ecclesiae inserviendi. »

120. Nihil est, in quo magis elaborarint Summi Pontifices, quam ut saluberrimum hoc decretum omnibus modis promoverent et excitarent. Silentio tamen praeteriri nequit s. m. Clemens VIII., qui suis Apostolicis Literis incipien. *Ea semper fuit* die 23. Iunii 1592., relatis a Theiner in appendice sui operis superius allegati *(pag. 29.)*, exsecutionem illius decreti in memoriam Episcoporum revocavit, et impensissime inculcavit; neque item silendus est s. m. Benedictus XIII., qui in Concilio Romano anni 1725. ad omnes Episcopos Italiae et insularum adiacentium gravissimam dedit Constitutionem, qua ipsis acrius incitamentum ad seminarium erigendum adiecit, ubi nondum ipsum fuisset institutum. Insuper faciliorem reddidit viam, qua subsidia ad id necessaria Episcopis suppeterent, atque adeo Congregationem seminariorum nuncupatam deputavit, cuius munus esset recto illorum regimini et administrationi praesidere. Haec Constit. incipit *Creditae nobis* data VII. Id. Maii 1725., et integraa legitur in volumine III. sub num. 10.

121. Inter praecipuas curas, quibus Pius PP. IX. fel. rec. pro singulari suo studio erga ecclesiasticae disciplinae conservationem et sacrarum scientiarum cultum continue premebatur, seminaria non ultimum habebant locum, uti complura, identidem edita eiusdem acta testantur. Potissimum vero aere suo gymnasium erexit, atque fundavit Senogalliae, quae tanto cive gloriatur, idemque sodalibus e Societate Iesu, viris optime de republica literaria et Ecclesia meritis moderandum demandavit, ac Summis Pontificibus immediate subiectum esse voluit suis Literis Apostolicis incip. *Senogalliae* 1. Sept. 1853. *(Acta Pii IX. Vol. I. p. 523.)*. Dolendum tamen quod infando ausu Subalpinum gubernium cum in hoc seminarium tum in alia instituta a SSmo D. N. Senogalliae erecta sacrilegas manus immittere non reformidaverit: quapropter Sanctitas Sua eo redactam se comperiit, ut Apostolicas Literas ederet, quibus omnia iam antea munificentissime constituta abrogaret. Vide Apostolicas Literas incipien. *Maioris Senogalliensis* II. Kal. Decem. 1862. *(Acta Pii IX. Pars. I. vol. III. pag. 533.)* Seminarium etiam *Pium* a suo nomine nuncupatum in alma Urbe fundavit ad Aedes S. Apollinaris, quo electissima singulorum totius pontificiae ditionis ingenia ad studiorum curriculum accuratius perficiendum recipiuntur, sancitis sapientissimis ad bonum eius regimen constitutionibus, additaque iurisiurandi lege, ut, studiorum curriculo expleto, ad suas quisque dioeceses redeant, ibique perpetuo maneant, ceu colligitur ex Apostolicis Literis incipien. *Cum Romani* datis die 27. Iun. 1853. *(l. c. vol. I. p. 473.)*. Insuper aliis Literis diei 3. Oct. eiusdem anni incip. *Ad piam (l. c. p. 533.)* rationem studiorum in scholis Pontificii Seminarii Romani ad S. Apollinaris constituit, eo praesertim consilio, ut servaretur ab alumnis seminarii Pii et aliis, qui S. Apollinaris gymnasia celebrant. Eodem auspice ac patrono, seminaria etiam in Urbe excitata sunt pro alumnis gentium exterarum. Inter quae silentio praeterire non possumus neque collegium Pio-Latinum Americanum anno 1858. eius sapientia Romae constitutum, aedibus coemptis, bibliotheca lectissimis voluminibus ditata, rusticationis domo attributa, et censibus addictis: neque Gallicum seminarium item Alma in Urbe erectum, Congregationi S. Spiritus et SSmae Cord. B. M. V. sub tutela Card. Vicarii commissum, veluti colligitur ex Apostolicis Literis incip. *In sublimi* Prid. Id. Iul. 1859. (Vide *Acta Pii IX. P. I. Vol. III. pag. 90.*).

122. Neque aliter unquam se gerere destitit S. C. Concilii; sicubi enim seminarii defectum deprehendit, pro constanti disciplina Episcoporum sollicitudinem excitavit et accendit, ut nullum lapidem non moveant, nihil inausum relinquant, quo tantum in ecclesiam suam bonum importandum provideant. Id testantur de tempore suo Card. de Luca *Diss. 25. n. 2. adn. Conc. Trid.*, et Crisp. *De Vis. Past. p. II.* §. *31. n. 1.*, qui addit, cuidam Episcopo comminatum fuisse, ut, nisi obtemperaret, auditor Camerae in eum procederet, ipsumque severius compesceret. De praesenti etiam tempore eadem S. C. in suis responsionibus illud accuratissime praestat (ceu quotidiana comprobat experientia), ut seminaria, ubi desint, omnimode iuxta Patrum Tridentinorum mentem constituenda praecipiant.

123. Hisce de summa seminariorum utilitate praestitutis, gradum facimus ad peculiaria quaedam exponenda, quae in eorum erectione debent attendi. Itaque in primis praescribit Tridentina Synodus, ut seminarium prope ecclesiam collocetur, aut in eo loco, quem Episcopus designaverit *(Sess. 23. cap. 18. de reform.)* Patres Concilii Aquileiensis, quod anno 1596. habitum fuisse diximus, haec tradunt: « Locus seminarii si apud ecclesiam cathedralem » fieri possit, non alibi optandum, ut fiat: quo enim propius » adsunt clerici, eo facilius et minori temporis dispendio in eccle- » siam se conferunt. » Hisce auctoritatibus adductus Bened. XIV., cum ecclesiam Bononiensem regeret, ac novum seminarii aedificium condere statuisset, prope metropolitanam illud situm esse voluit, veluti narrat *Inst. ecc. 59. n. 13.*

124. Si unus Episcopus duabus cathedralibus aeque principaliter unitis praepositus est, in utrisque seminarium aperiendum curet oportet. Nam S. C. rescripsit: « Si Episcopus duabus civi- » tatibus praeest, in utraque erigatur seminarium, et si reditus » non sufficiunt, conducantur magistri. » Quam resolutionem referunt Gallemart aliique passim doctores. Nam « verbum illud » *singulae* (sic S. C. C. in fol. *Privern.* 16. Mart. 1771. §. *Conc.* » *Trid.*), quo utitur Concilium, distributive refert dispositionem » decreti ad unamquamque ecclesiam, ita ut tot debeant esse » seminaria, quot sunt cathedrales. »

125. Si tamen non suppleat ulla via, qua eiusdem erigendi opus suscipiatur, adolescentes ecclesiae, quae seminario caret, mittantur ad seminarium ecclesiae unitae, in qua ipsum erectum

reperitur; quin etiam ecclesia eodem carens, siquid habet bonorum ac proventuum, alterius ecclesiae seminario conferat, ut tot ibi sui clerici alantur, quot vires emolumenti seminario collati ferent. Ita factum est ex. gr. in seminario dioecesis Setin. ac Terracinen., cui Privernenses cives (tres hasce dioeceses unitas insimul quisque novit) in expositam causam bona quaedam cesserant, quae cum posthaec iidem repeterent, ut seminarium Priverni aperirent, S. C. respondit, ex hactenus deductis non esse locum aperitioni seminarii Privernensis (Vid. cit. *Privern.* resolutam 20. April. 1771.). Item cum SSmus D. N. ecclesiam Cornetanam ab ecclesia Montisfalisci disiunxisset, ac Centumcellarum ecclesiae copulasset, oborta est inter Cornetanos et Centumcellenses controversia, in utra earumdem civitatum aperiri seminarium deberet. Libratis utrimque deductionibus S. C. Episc. et Regul. in comitiis diei 18. April. 1856. rem indefinitam reliquit, iniungens utrisque, ut docerent, quae subsidia cuique ad opus inchoandum ac perficiendum praesto essent.

Seminaria erigenda sunt etiam in ecclesiis abbatialibus, quae separato territorio potiuntur, et tertiae speciei vulgo nuncupantur. Sic declarasse S. Cong. Conc. testatur ex aliis Ventriglia *P. II. Adnot. 29.* §. *unic. n. 2.* apud Ferrar. verbo *Seminarium n. 1.*

126. Si non possit erigi seminarium in omni cathedrali, debent erigi duo, vel unum in provincia per Synodum provincialem, et aliae ecclesiae concurrere tenentur ad expensas *(Conc. Trid. cap. 18., sess. 23. de reform.)*. Ita nimirum ex. gr. praestitum est in Synodo Aquileiensi an. 1536. *cap. 12.* §. *Qui Episcopi,* et §. *Quod si.* Etiam hodie in his regionibus Aquileiensi provinciae quondam subiectis provisum est per duo seminaria in ecclesia metropolitana Iadren. et in Spalatina constituta, veluti eruitur ex decreto S. C. Consist. diei 17. Maii 1828. §. 20., quod suis Literis incip. *Beati Petri* diei 30. Iun. eiusdem anni confirmavit s. m. Leo XII.

127. S. C. Conc. in *Melphictana* penes Ferrarium *(l. c. n. 104.)* hanc edidit declarationem: « In ecclesia, ubi sunt adeo tenues » reditus, ut seminarium erigi non possit, provideatur saltem » expensis beneficia obtinentium de duobus magistris, altero » grammaticae, et altero musicae, a quibus instruantur pueri » civitatis et dioecesis, in eorumque sumptus totus clerus con- » tribuat, proinde ac si contribueret ad seminarium fundatum. »

Et Episcopus, dummodo pro rata contribuat, potest ad contributionem capitulum cogere. (Eadem S. Cong. in *Andrien. Ferrar. loc. cit. n. 158.)*.

128. Circa huiusmodi scholam notandum tamen, quod cum plures Episcopi, qui seminarium erigere minime poterant, scholam instituissent, ac certam portionem a beneficiis propterea detraxissent, animadversum fuit in Congregatione Concilii, quod eiusmodi facultas tributa esset Episcopis a Concilio, cum non posset institui lectio theologiae, non autem cum non posset institui seminarium, ut habetur *Sess. 1. cap. 5. de Reform.* ideoque Congregatio iussit, ea de re agi cum SSmo, ad quem Card. Matthaeus die 16. Febr. 1598. cum in Consistorio retulisset, Sanctitas Sua mandavit, has beneficiorum taxationes de cetero pro schola in alio casu, quam in eo, de quo agitur in Conc. Trident., non esse permittendas, sed hactenus constitutas confirmavit. *(Ferrar. loc. cit. num. 159.)*.

129. Si tamen prorsus abest omne subsidium, quo seminarium rite aperiri queat, praeter ea, quae Concilii Tridentini Patres *(Cap. 18. sess. 23. de Reform.)* sapientissime providerunt, potest seminariorum defectui suppleri per ea, quae tradit Benedictus XIV. *de Syn. dioec. lib. XI. c. 2. n. 12.* videlicet « ut aliqua in » civitate, ac respective in dioecesi designetur ecclesia, sive orato- » rium, quo omnibus saltem diebus dominicis convenire teneantur » omnes et singuli, qui in clerum adscribi, aut ad minores maio- » resque Ordines promoveri cupiunt, ibique duabus ad minus in » singulos menses vicibus, sacramentali confessione praemissa, sa- » cram Eucharistiam sumere debeant; huiusmodi autem conven- » tuum, sive congregationum moderatores, et directores constituan- » tur idonei et probi sacerdotes », qui iuvenum curam habeant, eosque excolant iuxta normam ab eodem Pontifice ibidem traditam.

130. Solent quoque Episcopi seminario destituti clericos suos edocendos ad seminaria viciniora mittere: quo in casu S. C. hortatur Antistites, ut in eorumdem vitam, mores ac progressus in studiis sollicitius inquirant, ac ne subinde quis sacris Ordinibus initietur, nisi probatissimae vitae, scientiaeque specimina dederit, prout iisdem verbis S. C. rescribebat Emo Abbati Trium Fontium die 22. Mart. 1839.

131. Aedificatio novi seminarii opus certe est magni momenti, quod ingentem pecuniarum curarumque molem importat. Nihi-

lominus solet S. C. Episcopos admonere, quando eos seminario carere videt, ne animo despondeant, neve sese difficultatibus ab opere hoc aggrediendo deterreri sinant. Deus enim, ut eadem animadvertendum de more proponit, eorum conatus ita adiuvabit, ut operi fastigium ponere se posse sperare valeant. Neque immerito, nam, ait Bened. XIV. *(Inst. eccl. 59. n. 13.)* « ipsa » rerum experientia edocti sumus, magna alacritate suscipienda » esse, quae ad Dei cultum pertineant, ipsiusque arcanae pro- » videntiae fidendum. » Idque idem Pontifex exemplo suo comprobat; pergit enim inquiens: « Nam coeptum opus (seminarii » videlicet ab eo exstructi) devenisse in eum locum vidimus, quem » minime sperabamus: et novi semper aditus patefacti sunt, ut » gravissimas expensas sustineremus, quae vires nostras ac tenui- » tatem seminarii longe superabant. Etenim Dei beneficio quae- » dam vitae commoda ac remissiones libenter dimisimus, easque » difficultates, quibus humanae naturae conditio valde contraria » est, alacriter subire non dubitavimus. »

132. Quod autem sibi accidisse narrabat magnus ille Pontifex, non paucis aliis evenisse Episcopis confirmare possemus, qui vel ultro, vel S. Congregationis hortamentis excitati seminarii aedificationem suscipere non haesitarunt. Quin imo aliqui inventi sunt, qui subsidium ad hanc rem inde consequerentur, unde difficultates et impedimenta metuebant. Id nos porro colligimus ex pluribus Episcoporum relationibus, quae in diuturna hac nostra earumdem relationum perlegendarum exercitatione ad manus pervenerunt.

133. Seminarium censetur vere et formaliter erectum, quoties alumni in aliqua etiam domo conducta collegialiter consistunt, et iuxta formam Conc. Trid. inibi vivunt. Rota coram Coccino, decis. 1361. n. 1.; et passim concordant magnae notae doctores apud Ferraris *l. c. n. 4.*

134. Emptio domus aut electio deputatorum non est erectio seminarii (Rota 15. April. 1622. apud Ferrar. *l. c. n. 129.*).

135. Seminarium erigi non potest in aedibus canonicalibus, nisi de consensu canonicorum, et ita separatum, ut presbyteri vel clerici nullam communicationem habeant cum alumnis seminarii (S. C. Episc. et Regul. 3. Febr. 1604. Ferrar. *l. c. n. 132.*).

136. Seminarium non deficit per temporaneam eiusdem suspensionem (S. C. Conc. in *Ferentina Benefic.* 16. Ianuar. 1762. §. *Verum,* et *Spoletan. Seminar.* 11. Iulii 1840. §. *Denique*).

137. Cum tamen remedium seminarii, licet ad breve tempus, claudendi, reputetur prorsus extremum et extraordinarium, hinc non ita facile Episcopi seminario obserando sese accommodent. Nam S. C., quoties ex eorum relationibus ad hoc remedium eos confugisse comperit, id aegre se ferre ostendit, si non explicitis verbis, at saltem aliquo signo, ac peculiariter iis rescribendo, ut quamprimum fieri possit, iterum seminarium rite aperiatur. Quin imo cum Spoletanus Archiepiscopus una cum seminarii deputatis S. C. proposuisset, ut hoc ephebeum aliquo tempore occluderetur, donec grave aes alienum a loco pio contractum dissolveretur, in citata *Spoletana Seminarii* 11. Iulii 1840. propositis dubiis: « 1. An et quomodo sit permittenda suspensio seminarii in casu? » et quatenus negative, « Quomodo sit providendum in casu? » S. C. respondit ad 1.: « Negative »; ad 2.: « Affirmative, adhibitis me- » diis a Trid. Conc. et Constit. s. m. Bened. XIII. *Creditae nobis* » anni 1725. propositis, et ad mentem; et mens est, ut Archiepi- » scopus, audito capitulo, certioret de resultantibus ex taxa im- » ponenda iuxta S. C. Trid. et enuntiatam Constitutionem, ac » proponat alia media iuxta literas seorsim rescribendas. »

138. Quandoque S. C. indulget, ut seminariorum paupertati et aeris alieni dimissioni consulatur per Missarum reductionem, itemque translationem absolutionemque, veluti exemplum habetur in *Montis Alti* 21. Iulii 1832.

139. Commutatio voluntatis testatorum in alumnorum seminarii educationem eo magis concedebatur, quando agebatur de legato studiorum, cum praesertim testatoris voluntas adamussim aliter adimpleri nequiret. Id enimvero erui posse videtur ex eo, quod sequitur, exemplo causae Brictinorien. Porro scutatorum 35 summam pro subdiacono in aliqua universitate edocendo reliquerat suo testamento Caligari Episcopus: cum tamen lapsu temporis impar ea summa congruae unius subdiaconi tuitioni in aliqua insigni urbe evasisset, ubi universitatis studium perficeretur, S. C. C., Episcopo pro tempore exorante, indulsit, ut Caligari voluntas immutaretur ita, ut eadem summa in educationem unius adolescentuli penes dioecesanum seminarium posset impendi ac perpetuo destinari (*Brictinorien.* Commut. vol. et applic. 24. Ianuar. 1824.).

140. Translationem seminarii ab urbe, ubi cathedralis ecclesia erat, ad urbem, ubi Episcopus residebat, quo melius Episcopus illud invigilare ac gubernare posset, addito etiam, quod locus

hic magis amoenus esset, ac meliores scholas necnon ecclesiam collegiatam haberet, petente Episcopo Milevitano, concesserat S. C. Concilii. Contra id acerrime insurrexit capitulum ecclesiae cathedralis, penes hanc seminarium retinendum valide insistens. At S. C. iustas atque probandas existimans translationis peractae causas, stetit *in decisis et amplius* (*Milevitan.* 9. Iulii 1725.).

141. Posse ab Episcopo in dioecesi collegium erigi, etiamsi adsit seminarium dioecesanum, et clerus ac municipium civitatis, ubi hoc situm est, totis viribus collegii erectioni obsistant, idque eo magis, si Episcopus dioecesani seminarii bona, iura, privilegiaque suo decreto reservaverit, colligere te posse existimem ex nuperrima causa penes S. C. Conc. in *Sutrina* 22. Nov. 1823., in qua casus videlicet huius generis agebatur, in eamque sententiam a sacro Ordine definitus fuit. Facit huc etiam id, quod de Collegio S. Iacobi de Chile statuit S. C. Ep. et Reg. anno 1840. apud Collectan. Bizzarri *(pag. 585.)*. Non potest Episcopus Seminarium supprimere, et eidem scholam surrogare sine consensu deputatorum. Quod cum fecisset quidam Episcopus, recursus habitus est ad S. C. C. *Sarnen.* (Analecta, Mar. Avr. 1867. col. 612.), ubi citatur resolutio S. C. Episcopor. et Regul., quod non possit Episcopus.

Art. II. De taxa seminarii et unione beneficiorum simplicium.

Summarium. 142. Ex Conc. Trid. constituenda est deputatio duorum de capitulo, totidemque de clero, unus a capitulo, alter ab Episcopo, itemque unus a clero, alter ab Episcopo eligendi, quae porro deputatio taxationem conficiat a mensa, capitulo, aliisque beneficiis, locisque piis etiam exemptis exsolvendam. Excipiuntur collegia iuxta modum. Item mendicantes et fratres S. Ioannis Hierosolymitani. Beneficia simplicia, etiam affecta ac reservata seminario uniri possunt; nec unio isthaec retardari potest. Episcopos negligentes in hisce sanctionibus exsequendis eorum superiores acriter corripiant, et ad praedicta cogant. – 143. Tridentinum Conc. sanctiones de taxa seminarii et unione beneficiorum simplicium confirmavit Bened. XIII. sua Constit. *Creditae nobis.* – 144. Instructio pro confectione taxae Constitutioni addita resolutionibus S. C. innititur, adeoque propter hasce ab Episcopis totius catholici orbis perinde attendenda est, ac aliae S. C. resolutiones; a ceteris, quae S. C. declarationibus innixa non sunt, extra Italiam et insulas adiacentes normam saltem sumere fas est. – 145. Super taxa adest consultissimum votum in *Massen.* apud S. C. Conc. – 146. Circa beneficiorum unionem affertur

doctrina Ferraris. Pro unione facienda primo requiritur, ut seminarium sit erectum et formiter institutum. Et quando id locum habeat. – 147. Secundo requiritur vera ac praecisa necessitas et adhibitum deputatorum consilium. Tertio ut praecesserit praedicta taxatio. Beneficia iuris patronatus sive ecclesiastici, sive laici quaeque ad inferiores collatores pertinent, uniri non possunt. – 148. Item nec beneficia reservata post vacationem. – 149. Nec canonicatus collegiatarum, nec beneficia curata vel regularia. – 150. Nec abbatiae, prioratus et monasteria ac beneficia consistorialia. – 151. Nec valet omnium universim beneficiorum simplicium unio. – 152. Super beneficiorum unione adeatur Bened. XIV. *de Syn. dioec.* – 153. Cetera de seminario *in capite VI.* explicabuntur.

142. Nihil egissent, aut parum certe profecissent Tridentini Patres, cum seminaria ubique excitari iusserunt, nisi modum expeditum, efficacemque suppeditassent, quo tantum opus ab omnibus inchoari ac perfici posset. Sed enimvero huic necessitati providerunt per contributionem pecuniae ab ecclesiasticis beneficiis rite colligendae, ac deinde per unionem beneficiorum simplicium favore seminarii peragendam. Nam *Sess. 23. cap. 18. de Reformatione* decreverunt « et quia ad collegii fabricam instituen-
» dam, et ad mercedem praeceptoribus et ministris solvendam,
» et ad alendam iuventutem, et ad alios sumptus certi reditus
» erunt necessarii, ultra ea, quae ad instituendos vel alendos
» pueros sunt in aliquibus ecclesiis et locis destinata, quae eo
» ipso huic seminario sub eadem Episcopi cura applicata cen-
» seantur, iidem Episcopi cum consilio duorum de capitulo, quo-
» rum alter ab Episcopo, alter ab ipso capitulo eligatur, itemque
» duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio simi-
» liter ad Episcopum, alterius vero ad clerum pertineat, ex fru-
» ctibus integris mensae episcopalis et capituli et quarumcumque
» dignitatum, personatuum, officiorum, praebendarum, portio-
» num, abbatiarum et prioratuum, cuiuscumque ordinis, etiam
» regularis, aut qualitatis, vel conditionis fuerint, et hospitalium,
» quae dantur in titulum vel administrationem, iuxta Constitut.
» Concilii Viennensis, quae incipit: *Quia contingit,* et beneficiorum
» quorumcumque etiam regularium, etiam si iuris patronatus cu-
» iuscumque fuerint, etiamsi exempta, etiamsi *Nullius dioecesis,*
» vel aliis ecclesiis, monasteriis, et hospitalibus, et aliis quibusvis
» locis piis, etiam exemptis, annexa et ex fabricis ecclesiarum,
» et aliorum locorum, etiam ex quibuscumque aliis ecclesiasticis

» reditibus, seu proventibus etiam aliorum collegiorum, in quibus
» tamen seminaria discentium vel docentium ad commune ecclesiae
» bonum promovendum, actu non habentur (haec enim exempta
» esse voluit) praeterquam ratione redituum, qui superflui essent
» ultra convenientem ipsorum seminariorum sustentationem, seu
» corporum, vel confraternitatum, quae in nonnullis locis scholae
» appellantur, et omnium monasteriorum, non tamen mendican-
» tium, etiam ex decimis quacumque ratione ad laicos, ex quibus
» subsidia ecclesiastica solvi solent, et milites cuiuscumque mi-
» litiae aut ordinis pertinentibus (fratribus S. Ioannis Hierosoly-
» mitani dumtaxat exceptis), partem aliquam vel portionem detra-
» hent, et eam portionem sic detractam, necnon beneficia aliquot
» simplicia, cuiuscumque qualitatis et dignitatis fuerint, vel etiam
» praestimonia vel praestimoniales portiones nuncupatas, etiam
» ante vacationem, sine cultus divini, et illa obtinentium prae-
» iudicio, huic collegio applicabunt et incorporabunt. Quod locum
» habeat, etiamsi beneficia sint reservata vel affecta; nec per
» resignationem ipsorum beneficiorum, uniones et applicationes
» suspendi vel ullo modo impediri possint, sed omnino quacumque
» vacatione, etiamsi in curia effectum suum sortiantur, et qua-
» cumque Constitutione non obstante. Ad hanc autem portionem
» solvendam... possessores... ab Episcopo loci per censuras ec-
» clesiasticas ac alia iuris remedia compellantur, etiam vocato
» ad hoc, si videbitur auxilio brachii saecularis. » Si vero semi-
narii reditus auctus fuerit, tantumdem imminuetur de portione
a beneficiis detrahenda. Quando inferior ex. gr. Episcopus negli-
gens in exsequendis huiusmodi sanctionibus fuerit, eumdem super-
ior, idest Archiepiscopus, acriter corripiat et ad praedicta cogat,
uti ibidem videre licet.

143. Quae a Synodo Tridentina sive de taxa, sive de bene-
ficiorum simplicium unione praescripta sunt, a memorata Constit.
Bened. XIII. *Creditae nobis* nedum confirmata, sed et ampliata
declarataque sunt. Insuper una cum encyclicis Literis ad Epi-
scopos Italiae et insularum adiacentium missa fuit quaedam in-
structio confecta praesertim ex declarationibus a S. C. Concilii
superiore tempore emissis, in qua speciatim determinantur per-
sonae ad taxam persolvendam adstrictae.

144. Itaque opportunissimum duximus, hanc etiam totam dare
in volumine III. sub num. 11. Ita enim tota huiusce feracissimi

argumenti provincia oculis lectorum per se obversabitur, quin eam per omnes partes nos ipsi percurrere adigamur. Adnotamus interim ea, quae ibidem sancita sunt, fulciri, ut plurimum, peculiaribus S. Congregationis Conc. declarationibus, adeoque harum causa in toto catholico orbe vim exserere, prouti fit de omnibus aliis S. C. declarationibus et decretis. Quidquid vero ibidem speciali aliqua declaratione innixum minime comperiatur, Episcopis extra Italiam et insulas adiacentes si praeceptum formale non facit, attamen normam potest afferre, quam in casibus peculiaribus tuto sequi possint. Si enim doctorum sententiam in rebus dubiis sequi res prudens agnoscitur, nonne prudentius existimandum est auctoritatem et exemplum sequi Ecclesiae Romanae? (1).

145. Super taxa adest consultissimum votum cl. m. Card. Sala in causa *Massen. Taxae* 17. Dec. 1836. penes S. C. Conc., in quo diluuntur difficultates, quae ex magna parte a contributoribus ad eam declinandam in medium afferri solent. Praeterea proponuntur quamplura dubia ad personas taxae obnoxias, et alios articulos ad hanc rem pertinentes, de quibus agit in voto singulatim docta disceptatio solidis fundamentis firmata, quae de more praecedit. Itaque operae pretium ducimus, integrum illud votum dare in volumine III. sub n. 12.

146. De beneficiorum unione ad rem facit doctrina Ferraris verbo *Seminarium* num. 57. et seq., quam ipse confirmat S. Rotae decisionibus, declarationibus S. C. Concilii, et doctorum melioris notae auctoritate. « Pro huius unionis forma tamen (ita idem) » requiritur primo, quod seminarium sit iam erectum et forma- » liter institutum. Sic auctoritate Rotae et S. C. Conc. probat » Garcias *de Benef.* p. 12. c. 2. n. 193., Lotter *de re benef.* lib. I. » qu. 30. n. 47. et seq., p. 3. resol. 415. n. 3. Ad hoc autem ut » seminarium ad hunc effectum censeatur iam erectum, sufficit, » quod domus iam sit conducta, seu empta, et pueri sint intro- » ducti, et sint duo de Capitulo et totidem de clero ad prae- » scriptum Conc. Trid. cit. cap. 18. vere electi et deputati. »

147. « Secundo requiritur, quod concurrat vera et praecisa » necessitas seminarii faciendi ei talem unionem cum consilio di-

---

(1) Contra Constit. *Creditae nobis* non valet consuetudo etiam immemorabilis. *Aesina Tax. Sem. et Cath. 28. Mart. 1857. fol. p. 4. §. Quod onus.* Pensionarii tenentur tamen solvere, nisi expresse exempti fuerint. *Massan. seu Popul. Taxa Sem. 29. Aug. 1857. per Summaria Precum.*

» ctorum deputatorum, nec sufficit pro facienda tali unione causa
» commodioris sustentationis, vel amoenitatis et recreationis gra-
» tia. Sic Rota in una *Mediolanen. Praetensae unionis,* 16. No-
» vembris 1594. coram D. Orano; Lotter loc. cit. n. 60., Caesar
» de Grassis decis. 132. per totum, Ventriglia et alii.

» Tertio requiritur, quod praecesserit detractio fructuum de
» mensa episcopali, et de aliis beneficiis iuxta formam Concilii
» in dicto cap. 18. Sic respondit S. C. Conc., et tenuit Rota in
» *Aversana Benefic.* 3. Iul. 1606. coram D. Sacrato, et in recen-
» tioribus part. 2. decis. 361. n. 7.; decis. 361. n. 16., Lotter,
» *l. c.* n. 60. Ventriglia et alii. Quamvis autem possit, imo tenea-
» tur Episcopus unire seminario beneficia aliquot simplicia, non
» potest tamen unire beneficia simplicia iurispatronatus sive lai-
» calis, sive ecclesiastici, vel alia pertinentia ad inferiorem col-
» latorem et electorem sine consensu patronorum. *Clement. unic.*
» *de statu monach.* Conc. Trid. *Sess. 24. cap. 15. de Reform.* Et
» sic expresse decisum fuisse referunt Franciscus Leo in *Thesaur.*
» *for. eccl.* part. 2. c. 16. n. 33., Molfesius in *Sum. theol. moral.*
» tract. 6. c. 14. a num. 62. et alii.

148. « Neque seminario uniri possunt beneficia reservata post
» vacationem (qua super re vide Constitutionem *Creditae nobis,*
» §. *Quodsi*). Quamvis enim uniones beneficiorum factae, servata
» forma a Concilio Tridentino praescripta, validae sint, si fiant
» ante vacationem; sunt tamen invalidae et nullae, si fiant post
» vacationem; et provisi a Sede Apostolica mitti debent in pos-
» sessionem. S. C. Conc. apud Garciam *de Ben.* part. 12. cap. 1.
» n. 102., et Barbosa *in Sum. Apost. decis.* verbo *Unio* n. 6. et 7.

149. « Neque seminario uniri possunt canonicatus collegiata-
» rum ecclesiarum, quamvis ex consuetudine non obligent ad re-
» sidentiam, quia Conc. Trid. citato cap. 18. non loquitur de his
» beneficiis simplicibus. S. C. Episc. in *Aquilana* 27. Mart. 1590.
» apud Sellium in *Select. Canon.* cap. 10. num. 21. et Barbosa
» in Conc. Trid., cap. 18. n. 36. Item neque seminario uniri pos-
» sunt beneficia curata nequidem in habitu tantum. S. C. Conc.
» 12. Febr. 1622. apud Pignat. tom. 9. Consult. 81. num. 141.

« Neque Seminario uniri possunt beneficia regularia, sive den-
» tur in titulum, sive in commendam; secus tamen si statum
» mutaverint. Sic S. C. Conc. in *Caputaquen.* 26. Iul. 1586. apud
» Sellium l. c. n. 23., Barbos. l. c. n. 39.

150. « Neque seminario uniri possunt abbatiae, prioratus et » monasteria consistorialia, seu beneficia quovis modo commen- » data et obtenta seu obtinenda per S. R. E. Cardinales, seu » veros et proprios Papae familiares, Nuntios Apostolicos et Se- » cretarios Congregationum, quibus iidem S. R. Ecclesiae Cardi- » nales intersunt. Sic Benedictus XIII. Constitutio *Creditae nobis*, » §. 5. *Ceterum.* »

151. « Neque valet unio facta seminario omnium beneficiorum » simplicium. Sic decisum fuisse referunt Molfes. l. c. cap. 14. » n. 60., Barbos. l. c. n. 35. »

152. Quod pertinet ad hanc materiam de beneficiis seminario coniungendis, consulendus est Bened. XIV. *de Syn. dioec.* lib. IX. c. 7. *per tot.*, ubi ea, quae modo attulimus, magna ex parte doctissime explicat, et allatis S. C. declarationibus egregie confirmat.

153. Cetera de seminariis (prout in principio huius articuli praemonuimus) afferemus capite VI.; cum enim statum formalem respiciant, illic proprie locus est, ut pertractentur.

« X. Numerus hospitalium, collegiorum, confraternitatum, et » aliorum locorum piorum, quae sunt in episcopatu, archiepisco- » patu, aut patriarchatu, et quinam sint eorum reditus. »

154. Quae ad hunc articulum pertinent, in capite VII. fusius exponentur; neque enim quod huc pertineat, aliud ultra enuntiationem eiusdem addendum occurrit.

« XI. An adsint montes pietatis, et quot sint, una cum aliis » consimilibus ad statum materialem ecclesiae spectantibus; cum » advertentia tamen, ut plena status materialis relatio in prima » relatione tantum, quae fit ab Episcopo, Archiepiscopo, aut Pa- » triarcha, exhibeatur; in subsequentibus etenim relationibus » satis erit, quod ipsi se referant ad primam, nisi aliquid novi, » pertinens ad dictum statum materialem contigisset, quod refe- » rens notificandum Sacrae Congregationi existimaret. »

155. In hoc articulo undecimo praeter argumentum montium pietatis (de quibus vide cap. VII. §. 4.) adnotatur, posse ibidem renuntiari quasvis alias res ad arbitrium, quas Episcopus recensendas existimat. Sic ex. gr. si ecclesia aliqua insigni reliquia ditata sit, si aliquod sit sanctuarium antiqua fidelium pietate venerandum, si templum architecturae, sculpturae ac picturae laude percelebre, si quid gloriosum ac pulchrum in historia praesertim ecclesiastica ibidem acciderit, aliaque id genus.

156. Praeterea circa totum hoc primum caput, quod statum materialem continet, admonetur, necessarium non esse, ut quae in prima cuiusvis novelli Episcopi relatione descripta fuerint, in posterioribus relationibus repetantur. Tunc enim sufficit, quin etiam necesse est, ut subiiciatur quidquid novi eo temporis intervallo acciderit, quod memoratu dignum videtur. Quocirca, cum non raro contingat, ut Episcopi relationem prima vice missam iterum ad verbum vel quasi posthac exscribant, S. C. solet eosdem admonere, ut ab inutili hoc labore se liberent; nam ceteroquin singulae relationes in actis S. C. fideliter ac diligenter asservantur, neque unquam novis relationibus responsio redditur, quin superiores relationes ac responsa resumantur et simul conferantur. Id autem ad unam status materialis partem spectat; nam quod statum formalem respicit, toties articulatim Benedictinae quaestionibus respondendum est, quoties relatio exaranda est. Cum enim agatur de rebus, quae in dies mutationibus esse possunt obnoxiae, necessario fit, ut semper plene et cumulate, licet breviter, adamussim renuntiari debeant. Hinc S.C. solemne habet, in hanc sententiam illis Episcopis rescribere, qui in sequioribus relationibus, ut saepe contingit, nonnihil in hac re desiderandum relinquunt.

CAPUT II.

De secundo relationis capite, pertinente ad ipsum Episcopum, Archiepiscopum, Primatem et Patriarcham.

« I. An residentiae praeceptum, a sacris canonibus, Concilio » Tridentino et Constitutione Urbana praescriptum, adimpleverit, » et an aliquo, et quo tempore abfuerit, et an ultra menses con- » ciliares, et an cum vel sine Sedis Apostolicae licentia. »

Summarium. – 1. Concilii Tridentini ac Summorum Pontificum sanctiones innuuntur, ex quibus obligatio residentiae Episcopis iniungitur. Peculiariter autem innuitur summa Constit. Bened. XIV. incipien. *Ad universae.* – 2. Eadem, utpote materiam de residentia plenissime conficiens, a longiore pertractatione excusat et affertur per extensum in tertio volumine. – 3. Locus Constit. Urbani VIII. A poenis contra non residentes constitutis non excusant servitia pro regnis saecularibus praestanda. Neque temporis angustia, quae Pontificis veniam exorare non sinit. Excipitur casus, quo Episcopi ob munus episcopatus vel ecclesiae

adiunctum publicis comitiis, seu assembleis certo tempore intersunt. – 4. Quaeri potest an Episcopis abesse liceat, ut conciliis regnorum, vulgo *rappresentativi e costituzionali* intersint. Si munus episcopatui sit adnexum, affirmative respondendum videtur· Si vero munus hoc a principe, vel populo personae, non episcopatui datum sit, aliter dicendum esse videtur. – Sed Apostolica Sedes id non declaravit. In praxi tutius videtur, si eadem adeatur. – 6. 7. 8. Residentiae legem non violat Episcopus, si in aliquo dioecesis oppido commoretur, dummodo praescriptis temporibus penes cathedralem resideat. – 9. Si tamen neque praescriptis temporibus in cathedrali resideat, etiamsi suo officio desit, poenis supra praedictis minime subiacere dicendus est. – 10. Idem dici nequit, si in oppido licet proximo alienae dioecesis resideat. – 11. Cum unus Episcopus pluribus dioecesibus praeest, ibi residere debet, ubi literae Apostolicae residentiam facere praescribunt, aut consuetudo legitima induxerit. In hoc casu laudabiliter idem se geret, si aliquoties in aliam dioecesim, ubi non residet, ad pontificalia peragenda se conferat. – 12. Si nulla consuetudo adsit, ubilibet residere potest. Decet vero, ut interdum in alia, in qua non residet, pontificalia agat. – 13. De residentia tractatum edidit Rosa.

1. Primum et praecipuum Episcoporum officium est inter oves sibi concreditas assidue commorari. Itaque Instructio nostra de Episcopi persona agere suscipiens, a residentiae praecepto, quo ipsi obstringuntur, merito sumit exordium. Notissima et obvia cuique sunt, quae super hac re gravissime statuerunt sacri canones et Trident. Synodus Sess. 23. cap. 1. *de reform.* Sed et accesserunt plures Summorum Pontificum Constitutiones, nominatim s. m. Pii IV., Gregorii XIII., Clementis VIII., et Urbani VIII. in Constit. *Sancta Synodus* diei 12. Dec. 1634., quae legitur in Bullario magno, et etiam apud Barbos. *De offic. et pot. Episc.*, part. 3. in app. n. 64. Haec Constitutio utpote novissima eo tempore, quo Instructio prodibat in lucem, disertis verbis in ipsa Instructione prae ceteris allegatur. Sed cum eam postmodum subsecuta fuerit Constit. Bened. XIV. incip. *Ad universae christianae* diei 3. Sept. 1746., hisce temporibus huic inhaerendum est. In ea porro Bened. XIV. sacrorum canonum Tridentini Concilii, et decessorum suorum Constitutiones in omnibus partibus omnino confirmat; insuper declarationes omnes super hoc articulo a Sacris Congregationibus usque eo editas eadem confirmatione complectitur. Subinde singulas poenas ibidem constitutas renovat, additque privationem indultorum, quae forsan ipsis Episcopis

utpote Pontificio solio adsistentibus competunt. Specialem quoque Congregationem de *Residentia Episcoporum* nuncupatam, quae ab Urbano VIII. erecta pene desueverat, instaurat, eique perpetuo praeficit Emum in Alma Urbe Vicarium et Secretarium S. C. Conc. eorumque successores. Haec Congregatio exstat adhuc, ut videre est in opere, quod singulis annis editur inscriptum *Annuario Pontificio* (1). Praeterea pro singulis causis, quae communiter ab Episcopis afferri solent, ut a residentiae lege solvantur, formam suggerit, qua rescripta concinnanda sunt, et clausulas assignat, quibus eadem communiri debeant. Denique statuit, quid pro celebrandis conciliis, vel assembleis, et quid pro constituendis processibus Apostolicis canonizationum causa servari ab Antistitibus oporteat. Singula haec cursim exposita, facilius cognosci possunt ex ipsa Constitutione.

2. Cum enim argumentum hoc de residentia Episcoporum tam docte ac plane omni fere ex parte Summus ille Pontifex pertractet, ut potius tractatum de residentia suppeditare, quam Constitutionem edere quodammodo videatur, idcirco eam totam dare non omittemus in volumine III. sub n. 13., simulque ne acta retexere existimemur, consulto ab iis, quae ab eodem declarata sunt, abstinemus, eaque pauca recolligimus, quae ibidem reperire lectori datum non est.

3. Itaque ad Constit. Urbani VIII. quod pertinet, non inutile putamus locum, qui sequitur, exscribere, quippe qui usui facillime esse poterit, ac ceteroquin in Benedictina Constitutione non evolvitur, nec exhibetur suis verbis, prouti horum temporum ratio exposcere videtur. « A quarum poenarum incursu nolumus posse » aliquem se excusare praetextu et ratione cuiuscumque servitii » quomodolibet praestiti et praestandi, pro gerendis et tractandis » negotiis quorumcumque principum, etiam imperatoris et regum » aut rerumpublicarum, regnorum ac provinciarum; nec ratione » cuiuslibet iussionis, vel mandati eorum, vel earum quandocum- » que facti vel faciendi, nec etiam ratione prosecutionis, seu de- » fensionis quarumcumque litium, seu controversiarum etiam ec- » clesiasticarum, vel ineundi foederis, aut cuiuscumque alterius » negotii, etiam gravissimi et speciali mentione digni tractandi,

(1) Nunc inscribitur: *La Gerarchia Cattolica, la Cappella e la Famiglia Pontificia.*

» vel distantiae locorum, aut brevitatis temporis, ob quam non
» videatur exspectanda Sedis Apostolicae licentia praefata, ante-
» quam a suis ecclesiis et dioecesibus discedant, aut ratione cu-
» iuscumque alterius causae, vel occasionis, etiam publicae, vel
» alias favorabilis et aeque piae, etiam cuiuslibet utilitatis, sive
» necessitatis ecclesiarum, et personarum, praeterquam personalis
» interessentiae in Synodis provincialibus, vel congregationibus
» seu assembleis generalibus, in quibus ecclesiastici intervenire
» solent; vel ratione muneris, aut reipublicae officii, episcopati-
» bus, vel ecclesiis maioribus praefatis adiuncti, cuius ratione
» ad certum tempus occupari solent, et tunc pro tempore, quo
» illae synodi, congregationes et assembleae, exercitiumque mu-
» neris seu officii publici ipsis ecclesiis adiuncti actu duraverint,
» quibus finitis, recto tramite ad ecclesias praefatas sibi com-
» missas se conferre debeant. »

4. Quae sub exitum huiusce loci allata sunt, occasionem dubitandi offerunt, an Episcopi Pontificia licentia indigeant, ut possint interesse publicis comitiis, quae haberi solent in regnis, ubi monarchici regiminis forma temperatur cum aristocratica vulgo *regni rappresentativi e costituzionali*, quae hac nostra aetate ubique fere invaluerunt. Iamvero ante omnia inspiciendum esse videtur, utrum ius hisce comitiis interveniendi certo episcopatui adiunctum sit, an Episcopus aliquis, nulla habita suae cathedrae ratione, a principe vel populo ad eum finem legitime electus sit. Namque in primo casu verba a s. m. Urbano VIII. adhibita et modo relata, quae fere eadem sunt, ac illa a Patribus Tridentinis usurpata, argumentum suppeditare videntur, ex quo veniam Pontificis necessariam non esse inferatur. At vero huiusce momenti ratio alterum casum non videtur afficere; imo Urbanus VIII. contrariam sententiam prae se ferre dicendus est; quandoquidem disertis verbis in poenas contra non residentes latas eos Episcopos incidere statuit, qui principum iussu a dioecesi absunt, ut civilibus negotiis operam navent.

5. Quidquid vero sit, quoniam, quod sciamus, nulla, quae acu controversiam tangat, ab Apostolica Sede declaratio prodivit, tutius consilium illud esse videtur, ut Episcopi ad maiorem cautionem Apostolicam Sedem adire ne graventur, prout re ipsa in hanc sententiam non semel Episcopis, qui hoc in casu versabantur, responsum fuisse a S. C. confirmare possum. Adnotandum

etiam, quod pro varietate locorum ac temporum potest aliquando summopere prodesse Ecclesiae utilitatibus, si Episcopi publicis istis generalibus coetibus intersint; e contra alias fieri potest, ut Ecclesiae obsit, si Episcopi iisdem coetibus adsint, quando ex. gr. Ecclesiae iura pessumdari infauste contingat; quocirca eo magis praestat in casibus particularibus Apostolicam Sedem adire.

6. Episcopus extra civitatem, ubi cathedralis sita est, si sedem suam statuat, et nihilominus in aliquo suae dioecesis oppido resideat, violatae residentiae reus non est habendus. Tridentini enim Patres et Summi Pontifices huiusmodi praeceptum non ad ecclesiam cathedralem, seu civitatem dioeceseos principem coercent, sed ad dioecesim, adeoque ad totum eiusdem ambitum extendere dicendi sunt. Hinc S. C. Conc. in *Civit. Castell. et Hortan.* 18. Iun. 1624. (lib. 12. decr. pag. 173.) ad 1. dubium respondit: « Episcopum in aliqua parte alterius ex dictis dioecesibus *(Civ.* » *Castell. et Hortan.)* residentem suae obligationi utique satis- » facere, dum tamen in aliqua ex suis cathedralibus resideat » temporibus ab eodem Concilio praescriptis Cap. 1. §. *Eosdem* » *interim admonet* sess. 23. » Idem decisum est in *Acernen.* 17. Maii 1636. dub. 5. (apud Zamboni *Coll. decl. S. C. Conc.* tom. 3. verbo *Episcopus,* §. XXI. n. 3. pag. 346.), ubi additum fuit, Episcopo hac de causa non deberi procurationem.

7. Nihilominus, prouti cavetur in dicta *Civit. Castell. et Hort.* apud cathedralem Episcopus certis temporibus residere omnino tenetur iuxta Concilium Trident. Sess. 23. cap. 1. *de reform.,* in quo Tridentini Patres Episcopos hortantur « ne per illius » temporis spatium, Dominici Adventus, Quadragesimae, Nati- » vitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item et Corporis » Christi diebus, quibus refici maxime et in Domino gaudere pa- » storis praesentia oves debeant, ipsi ab ecclesia sua cathedrali » ullo pacto absint, nisi episcopalia munia in sua dioecesi eos » alio vocent. »

8. Idipsum pluries alibi declaravit S. C. Conc., praesertim in *Valven.* 13. Augusti 1650. ad 1. dubium (lib. 19. decret. p. 71.) « Posito decreto Conc. Trid. Cap. 1. sess. 23., an Episcopi tem- » poribus praescriptis in dicto Cap. 1. sess. 2. §. *Eodem,* in ec- » clesia sua residere teneantur, an vero satis sit, ut in dioecesi » resideant? S. C., articulo huiusmodi accurate discusso, censuit, » Episcopos temporibus, ut supra, praescriptis teneri in ecclesia

» sua cathedrali residere; nec satis esse, ut in dioecesi resideant, » nisi episcopalia munera in sua dioecesi eos alio avocent. »

9. Si tamen praescriptis illis diebus Episcopus non resideat, poenas contra non residentes non videtur incurrere. Porro doctores, nominatim Fagnanus, Pignatellius, et Scarfantonius negativam sententiam sequuntur apud S. C. Conc. *Calat. et Calceat. Resid.* 18. Ianuar. 1740. §. *Verum;* (ubi hae omnes declarationes leguntur) et ipsa S. C. rem noluit definire, ut in *Urgellen. Resid.* 5. Septemb. 1705. dubio: « An in casu, quo Episcopus resideat » in cathedrali temporibus praescriptis a sacro Concilio Triden- » tino, veniat puniendus, qua poena, et a quibus in casu? » eadem respondit: « Dilata et ad mentem. » Iamvero ex Scarfantonio animadvertit *Folium* in *Calag. et Calceat. Resident.* 16. Ianuarii 1740. §. *Verum* in fine, mentem S. Congregationis probabiliter hanc fuisse, videlicet: « Episcopum monendum esse per » literas de sua obligatione ad formam eiusdem Concilii, non » vero alicui poenae esse obnoxium. » Confirmatur ex eadem *Calag. et Calceat.* resoluta die 3. Sept. eiusdem anni. Namque his propositis dubiis: « 1. An Episcopus teneatur saltem diebus » praescriptis a S. Conc. Trid. Sess. 23. cap. 1. residere in alter- » utra ex cathedralibus, ibique sacras functiones explere? » Et quatenus affirmative « 2. An, et quibus poenis subiiciendus sit » in casu non residentiae? 3. An et quomodo sit concedendum » novum indultum, saltem ad cautelam in casu? » S. Congregatio respondit: « Teneri, et concedendum esse indultum ad biennium » iuxta mentem. » Quae vero mens fuerit, refert Zambonius tom. 3. verbo *Episcopus* §. 21. n. 10. in nota: « Neque per biennium, si » tamdiu duraverint expositae infirmitates, residere valeat in dicta » civitate Lucronii etiam pro tempore Adventus, Nativitatis Do- » mini, Quadragesimae, adiecta tamen expressa conditione, ut » nimirum pro hebdomada maiori, Paschate Resurrectionis et » Pentecoste, necnon SS. Corporis Christi festo ad alterutram ex » suis cathedralibus omnino accedat, neque ab huiusmodi obli- » gatione se eximere possit, nisi ex causa verae impotentiae, vel » ob manifestum vitae discrimen, stricte desuper onerata eius con- » scientia. » Ex *Reg. liter.* lib. 29. diei 3. Sept. 1740.

10. Non desunt doctores, qui putent, Episcopos in oppidis suae dioecesi conterminis posse residere, licet extra dioecesim suam positis, ad exemplum Cardinalium Episcoporum suburbi-

cariorum, ut monet Girald. ad *Ius Pont.* P. II. ad c. 1. sess. 23. Conc. Trid. sec. 86. §. *Quod etiam.* Hanc autem opinionem certam non esse ostendit S. C. C. in folio *Gurcen.* 19. Febr. 1718. Confirmatur insuper ea declaratione, quae ea in causa prodivit. Ibi enim plures circumstantiae et adiuncta commemorantur, quae impertiri posse suadebant petitam facultatem commorandi per tres menses quotannis, ultra totidem a iure canonico permissos in oppido extra dioecesim commodiore, nec valde longinquo. Nihilominus proposito dubio: « An et quomodo oratoris precibus » sit annuendum in casu? » S. C. respondit: « Non esse locum, » et ad mentem; et mens est, ut recurrat ad SSm̃um in casibus » particularibus. » Praeterea a parochis exemplum licet arripere, qui domum in ambitu parochiali habere omnino tenentur, quin prosit, quod ex brevissima distantia in aliena parochia domus illa sita sit: veluti suo loco demonstrabimus. Speciatim confirmatur exemplo cuiusdam parochi Cornetanae civitatis, cui domus paterna erat paucis passibus a suae paroeciae termino distans: attamen, ut posset in paterna domo habitare, speciali venia a S. C. donatus est, quae plures per annos prorogata fuit, donec ultimo in rescripti forma additum est *ad annum tantum sine spe ulterioris prorogationis.*

11. Si unus Episcopus pluribus dioecesibus una coniunctis praesideat, quaeri potest, in utra earum residere debeat. In primis standum est iis, quae in bullaribus Literis a Summo Pontifice praescripta fuerint, veluti per se patet; si nihil ibidem expressum fuerit, et adsit consuetudo legitime praescripta, solitum servari debet; ea siquidem legem facit, ceu nemo nescit. Nihilominus in hoc casu laudabiliter sè gerere Episcopum cum Petra ad *Constit. V. Innoc. IV.* n. 14. ac 15. tom. 3. advertit *folium* in mox alleganda *Viterb. et Tuscan.* §. *Sustinet,* quod extat ad diem 14. Sept. 1782., si aliquando in alterutra ex suis ecclesiis unitis pontificalia peragat idem Antistes.

12. Quando autem consuetudo nulla plane adsit, curare debet Episcopus, ut ad civitatem, ubi habitualiter sedem non habet, saltem in solemnioribus diebus sese conferat; nam in *Gerundina et Cariaten.* proposito *IV. dubio:* « An et quomodo Episcopus » teneatur residere in cathedrali Gerundina? » die 2. Octob. 1706. rescripsit: « Negative, et iniungendum censuit Episcopo, ut curet » residere etiam in ecclesia Gerundina saltem diebus solemniori-

» bus, » (*Lib. 56. dec.* p. 332.) ipsamque resolutionem confirmavit 11. Februar. 1708. (*lib. 58. decis.* pag. 53.). Et in *Viterb. seu Tuscanen.* 11. Ian. 1783. proposito dub. IV.: « An Episcopus re» sidere teneatur in civitate Tuscanen. per aliquod temporis spa» tium singulis annis in casu? » respondit: « Arbitrio et pru» dentiae Episcopi et ad mentem; et mens est, ut in praecedenti » dubio » videlicet « quod scribatur Episcopo, decere interdum » aliquas functiones Pontificales peragere in ecclesia cathedrali » Tuscanensi. »

13. De residentia tractatum perscripsit Rosa, cui titulus *de residentia episcoporum.*

APPENDIX.

SSmi D. N. Leonis PP. XIII. Litterae Apostolicae de Missae Sacrificio in singulos dies festos pro populo ab omnibus catholici orbis Episcopis celebrando.

Leo Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. In suprema rei christianae procuratione, beato Petro Apostolorum principi eiusque successoribus divinitus data, illud Romanos Pontifices summa vigilantia providere necesse est, ut omnes sacrorum ministri curam animarum gerentes sui muneris officia, ex quibus commune Ecclesiae bonum magnopere pendet, studiose et accurate exerceant. – In iis autem eminet sacrosanctum Missae sacrificium, pro salute populi, cui quisque praeest, nominatim faciendum: cuius vim officii Patres Tridentini ex praecepto divino proficisci tradiderunt Sess. XXIV. cap. 1. *de Reform.* Quapropter ne quis in ea re delinqueret, Benedictus XIV. Decessor Noster, editis Apostolicis Litteris *Cum semper oblatas* die 19. Augusti anno 1744., edixit omnes et singulos, qui in aliqua parochiali ecclesia quocumque titulo animarum curam gererent, in singulis Dominicis aliisque diebus festis « non modo sacrifi» cium Missae celebrare, sed etiam illius fructum medium pro » populo sibi commisso applicare debere: nec illud pro aliis ap» plicare, aut pro huiusmodi applicatione eleemosynam percipere » posse. » – Quibus quidem in Litteris aperta Episcoporum mentio nulla est: nihilominus dubitari non potest, quin Pontifex sapientissimus, quod de parochis tam graviter praecipiebat, idem de maioribus animarum pastoribus intelligi tacite saltem et oblique

voluerit. Idque multo verisimilius apparet ex eo, quod proximus eius successor Clemens XIII. in hoc eodem genere exposuit et declaravit. Is enim in Litteris Encyclicis *A quo die* post. Id. Sept. anno 1748. datis, cum multa de episcopalium munerum perfunctione dixisset, illud etiam adiecit, sacrum pro populo peragere *crebro* Episcopos oportere, de se deque Venerabilibus Fratribus suis in hanc sententiam locutus : « Cum non nostras tantummodo » curare debeamus infirmitates, sed etiam putare aliorum mala » ad nos pertinere et ea aeque habere ac nostra, vehementius » diutiusque intendenda nobis ad Dominum nostra est oratio, » qua, tamquam Ecclesiae fidelium interpretes, omnium fidem, » spem et charitatem ante oculos Domini statuentes, quod omni- » bus in universum, quodque cuique fidelium opus est, a Domino » impetremus. Dei autem exorandi viam nobis muniet, et quidvis » adipiscendi etiam aperiet augustissimum Eucharistiae sacrifi- » cium. Idcirco vel maximis nostri muneris occupationibus etiam » implicati, sacrosanctum Iesu Christi Corpus et Sanguinem non » recusabimus quominus frequenter Deo offeramus, nullumque » maius putemus nobis datum esse negotium, quam crebro pla- » cationis hostiam pro nostris populique peccatis Deo Patri im- » molare. »

Haec Decessor ille Noster non minus sapienter quam pie. – Verum quibus Episcopi diebus perlitare pro populo debeant, nihil ille constituit ; ex quo factum est, ut inter doctores catholicos atque etiam inter ipsos Episcopos de officio conveniret, de diebus discreparet. Cumque hanc opinionum varietatem Romanae Congregationes Nostrae ad hanc diem minime sustulerint, non eadem ubique extitit disciplina, sed varia in locis variis consuetudo. Nunc vero Episcopi plures, omnem haesitationis causam sibi penitus eximi cupientes, significarunt, avere se et orare, ut de ipsis diebus Sedis Apostolicae auctoritate decernatur, lata lege, cui omnes in reliquum tempus obtemperent. – Igitur cum nihil Nobis tam curae sit, quam publica christianorum utilitas et rerum sacrarum aequabilis in omnibus locis disciplina, simulque velimus Venerabilibus Fratribus Nostris Episcopis, praesertim tam aequa postulantibus, satisfacere, nihil differendum ducimus, quin de ea re pro potestate Nostra statuamus ac iudicemus.

Generatim vero et universe officium istud episcopale, de quo loquimur, non est difficile cognoscere, quam sit sacris litteris con-

sentaneum, et praeteritorum temporum memoria testatum. Quae enim loca causas rationesque suppeditant, cur generatim quotquot sunt animarum pastores fundere preces sacrumque facere debeant pro populo, quem regunt, ex iisdem locis efficitur, idem plane esse officium Episcoporum: sunt enim Episcopi in munere pastorali principes. Sic a primo Ecclesiae ortu rerum externarum administrationem deponere Apostoli properaverunt, quo sibi commodius *orationi et ministerio verbi* insistere liceret. (Act. VI, 4. et seq.). Et Paulus ad Colossenses de se ipse: *Non cessamus*, inquit, *pro vobis orantes et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia et intellectu spiritali* (Ad Coloss. I. 9.) Et ad Philippenses: *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens* (Ad Philipp. I, 3–4.). Et ad hanc deprecationem, in qua Paulus cum gaudio et gratias agens Deo semper haerebat, non est dubium, quin sacrificium Eucharisticum adhiberet, quod est praestantissimum precationis genus, et cuius ille potissimum causa Pontifices christianos testabatur esse constitutos. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis* (Ad Hebr. V, 1.).

Quemadmodum vero ex his locis perspicuum est, omnino Episcopos debere rem divinam pro salute populi saepe facere, ita facile intelligitur, quam deceat, immo quam oporteat, in diebus festis singulis facere. – Etenim festi dies singulari quadam ratione religioni addicti et consecrati sunt: per eosque, assueti intermissione laboris, christianis praecipitur plus operae iis rebus tribuere, quae ad excolendum expiandumque animum pertinent; maxime vero augustissimo sacrificio interesse, quo creatori et gubernatori rerum omnium Deo debitum latriae cultum adhibeant. Quamobrem ipsa videtur dierum festorum sanctitas postulare, ut Episcopi, Ecclesiae sibi commissae custodes et principes, sanctissimum Missae sacrificium pro populo offerant Deo, « quo tamquam » Ecclesiae fidelium interpretes, omnium fidem, spem et carita- » tem ante oculos Domini statuentes, quod omnibus in univer- » sum, quodque cuique fidelium opus est, a Domino impetrent. »

Huius disciplinae probe opportunitatem utilitatemque viderant Episcopi veteres, qui summa cum religione sacrificandi munus per dies festos semper usurpaverunt. Quod sane complura chri-

stianarum antiquitatum monumenta confirmant: et in iis commemorandum videtur S. Iustini M. testimonium ex Apologia I. ad Antoninum Pium (In edit. Maurin. pag. 83, n. 61.): in qua posteaquam nitide declarasset, consecratum in Eucharistico Sacrificio panem et vinum « non ut communem cibum et potum sumi » a christianis, sed ut « incarnati Iesu carnem et sanguinem » quemadmodum « Apostoli in commentariis suis, quae vocantur Evange- » lia, tradiderunt », mox graphice describit rationem totam, unde ab initio Ecclesia catholica, per oblationem huius Eucharistici Sacrificii, solemnem cultum Deo optimo maximo exhibere consuevit Dominico quoque die, quem gentiles *diem solis* appellabant, ethnicum Imperatorem his verbis allocutus: « Ac solis, ut dicitur, » die omnium sive urbes sive agros incolentium in eumdem lo- » cum fit conventus, et commentaria Apostolorum, aut scripta » Prophetarum leguntur, quoad licet per tempus. Deinde, ubi » lector desiit, is qui praeest admonitionem verbis et adhortatio- » nem ad res tam praeclaras imitandas suscipit. Postea omnes » simul consurgimus et preces emittimus; atque, ut iam diximus, » ubi desiimus precari, panis affertur et vinum et aqua: et qui » praeest, preces et gratiarum actiones totis viribus emittit, et » populus acclamat, *Amen*, et eorum, in quibus gratiae actae » sunt, distributio fit et communicatio unicuique praesentium, et » absentibus per Diaconos mittitur. » Quod vero S. Iustinus per ea verba *qui praeest* non semel prolata designet hoc loco praesertim Episcopos, in ambiguo esse non sinunt tot illae, quae supersunt sanctorum Ecclesiae Patrum orationes seu Homiliae, quas *inter Missarum solemnia* constat esse pro concione recitatas. Sic S. Gregorius M. (Hom. VIII. in Evang.) « quia, inquit, Missarum » solemnia ter hodie celebraturi sumus, loqui diu de evangelica » lectione non possumus. » Immo in hac re tam constans disciplina tenuerat, ut si forte diebus festis a christianorum conventu abfuisset Episcopus; item si concionem habere aut divinam hostiam litare praetermisisset, novitatem et insolentiam rei haud secus mirarentur omnes (S. Io. Chrysostomus Hom. I. *de incomprehensibili Dei natura*), quam si diebus iuri dicundo statutis vacuum tribunal, vacua iudicum subsellia cernerentur. Sacris autem in dies festos operante Episcopo, *communis sacrificii* oblatio fieri dicebatur (Concil. I. Prov. Mechlinien. Tit. *de Epis.*): cuius appellationis ea profecto vis est, ut satis significet, praesente po-

pulo et pro populo Sacrificium fieri consuevisse. – Huc aliud etiam spectat, quod erat in more positum Pontificum Romanorum: ii quippe dominicis diebus, peracto Sacrificio, quidpiam *consecratorum munerum* mittere ad singulos Urbis Titulos, seu curialia templa solebant, quibus in locis una cum inferioribus animarum pastoribus multitudo adesset, quae adesse Pontifici maximo sacrificanti non potuisset. Quae quidem consecratorum munerum pars communi sermone *fermentum* appellata ob hanc causam censetur, quod sicut modicum fermentum totam, cui iniicitur, farinae massam conglutinat atque attollit, ita mystico illo quasi fermento populus Urbanus universus in unum veluti corpus coalesceret, ut singuli se cum Pontifice maximo fide et charitate coniunctos, et sacrificii, quod ille faceret, participes esse sentirent (Cfr. B. Ios. M. Thomasii Card. Opusc. VI. in edit. Rom. Omnium Opp. Tom. VII, p. 51. seqq. Cfr. etiam Augustini Orsi Card. Hist. Eccl. Lib. XXXI, num. 58.).

Quodsi mutata hodie consuetudine, nequaquam singulis diebus festis coram multitudine Episcopi sacrum faciunt, facere tamen pro populo necesse est. Revera Patres Tridentini, qui hoc officium ex praecepto divino repetunt (Sess. XXIII. *de Reform.* c. 1.), cum deinceps (Ead. Sess. c. 14.) iubent Episcopos curare, ut omnes presbyteri « saltem diebus dominicis et festis solemnibus, si autem » curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri sa- » tisfaciant, Missas celebrent », eos profecto tacite monuerunt, ne officio iusto ac debito, quod ab inferioribus animarum pastoribus exigerent, ipsi deessent. Quapropter in Concilio Provinciali Mediolanensi I., cui maxime proposita erat decretorum Tridentinorum promulgatio, praesentibus et suffragia ferentibus iis ipsis Episcopis, qui paulo ante ad sedes suas Tridento reverterant (Cfr. Orationem a S. Carolo Borromaeo habitam), constitutum est: « Cum Pontifices, ut inquit Apostolus, ex hominibus assumpti » pro hominibus constituantur in iis, quae sunt ad Deum, ut offe- » rant dona et sacrificia pro peccatis, Episcopus dominicis et aliis » festis diebus, nisi iure impediatur, Missam celebret (Tit. *de frequenti divini officii oblatione*).

Quapropter mirum videri non debet, si Theologiae moralis et iuris pontificii doctorum una fere sententia est, officium celebrandi Missam pro populo maiore ratione ad Episcopos, quam ad parochos pertinere. Omnium loco sit S. Alphonsi de Ligorio, Ecclesiae

Doctoris, auctoritas: « Si autem parochi, et omnes, quibus cura » animarum commissa est, tenentur in dominicis et festis de prae- » cepto Missam celebrare et applicare pro populo, tanto magis » ad id tenentur Episcopi tamquam principaliores animarum pa- » stores (Theol. Moral. Lib. VI., num. 326.). » Cuius doctrinae ratio in eo maxime consistit, quod cum parochi auctoritate ecclesiastica instituti sint, eorum officium ex iure divino, quod *mediatum* et *hypotheticum* vocant, proficiscitur. Contra vero ad Episcopos pastorale munus *immediate* pertinet, quippe quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei: pertinet etiam *principaliter,* quia inest in eis perfecta et plena cura pastoralis, cuius partem dumtaxat parochi exercent, Ecclesiae auctoritate sibi demandatam. Quod sane praeclare S. Thomas his verbis complectitur: « Episcopi principaliter habent curam ovium suae dioecesis, » presbyteri autem curati habent aliquas subministrationes sub » Episcopis, » id est « secundum quod eis ab Episcopo committi- » tur (2.2. q. 184., art. 6. ad 2. et 3. Vide etiam opusc. XIX. c.4.).»

His itaque omnibus diu multumque consideratis, auditisque Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Conc. Tridentini Interpretum sententiis, decernimus et declaramus, omnes et singulos Episcopos, quacumque dignitate, etiam Cardinalitia, auctos, item Abbates iurisdictionem quasi episcopalem in Clerum et populum cum territorio separato habentes, in Dominicis aliisque festis diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, et qui ex dierum de praecepto festorum numero sublati sunt, omni exiguitatis redituum excusatione aut alia quavis exceptione remota, ad Missam pro populo sibi commisso celebrandam et applicandam teneri.

Et ne cui dubitationi aditus pateat, declaramus, eosdem Episcopos et Abbates huic officio satis esse facturos per celebrationem et applicationem unius Missae pro universo populo sibi commisso, etiamsi duas vel plures Dioeceses et Abbatias aeque principaliter unitas regant. – Novimus quidem Romanas Congregationes Nostras aliud decrevisse de parochis duas vel plures parochiales ecclesias aeque principaliter unitas gerentibus; in quibus singulis singulae per dies festos Missae celebrentur et pro populo applicentur necesse est. Sed alia est parochorum, alia Episcoporum ratio. Etenim cum cuique parocho specialis in unaquaque paroecia ac definita populi cura cummissa sit, festis diebus pa-

rochus non modo celebrare pro populo debet, sed etiam in parochiale templum populum admittere, ut sacrosancto Missae sacrificio intersit, et audiat verbum Dei, et Sacramenta pro opportunitate recipiat, et iis omnibus officiis excolatur, quae diebus praesertim Dominicis aliisque festis praestanda sunt. At non haec valere possunt pro Episcopis, qui dissimili in conditione et causa versantur, cum nulla lege hodie iubeantur omnibus diebus festis sanctum Sacrificium in Cathedrali templo peragere.

Quamquam vero minime necessarium, opportunum tamen ducimus declarare, ea quae supra constituta sunt, ad Episcopos non spectare, qui *Titulares* dicuntur, quique ad dignitatem episcopalem promoti, ideo a Romano Pontifice titulo decorantur Ecclesiarum Cathedralium, quae olim florentes, nunc Clero populoque catholico destituuntur, ne scilicet antiqua earum dignitas et memoria penitus deleatur. Cum enim ipsi sedium suarum possessionem non capiant, qua dumtaxat suscepta munus, de quo diximus, Episcopi implere tenentur (S. C. Rit. in *Marsor*. 12. Novembris 1831.), cumque nullus neque Clerus neque populus eorum regimini tradatur, satis constat, eos, uti carent usu atque exercitio potestatis ex episcopali consecratione acceptae, ita etiam haud esse officiis atque oneribus curae episcopalis obnoxios. Sed tamen si aequitatis caritatisque episcopalis ratio habeatur, non potest non consentaneum videri, eos etiam interdum sacrificium offerre, ut respiciat Deus miseram Ecclesiarum illarum conditionem, quarum titulo et nomine ipsi honestantur. Huic rei optime congruunt, quae a Pio VI. Decessore Nostro in consecratione Episcopi Cyrenensis die 4. Octobris anno 1778. in Basilica Ostiensi dicta sunt: cum scilicet enumerans causas, ob quas Apostolica Sedes Ecclesias etiam ab infidelibus occupatas conferre solet, « oportere, inquit, aliquem existere, cui singulariter incumbat, si » non regere captivam illam miseri gregis portionem, preces sal- » tem ac lacrymas pro eadem ad misericordiarum Patrem assidue » effundere. »

Volumus autem praesentes Litteras, omniaque et singula in iis contenta inviolabiliter observari, et de subreptionis, obreptionis, aut cuiuscumque invaliditatis vitio intentionisque Nostrae et quocumque alio defectu a quoquam notari, impugnari, vel in controversiam vocari nullo unquam tempore posse; sublata cuilibet aliter de his iudicandi et definiendi potestate: et quidquid

secus super his contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, etiam in generalibus Conciliis editis, necnon Cancellariae Apostolicae regulis, statutis quoque etiam iuratis, consuetudinibus etiam immemorabilibus, atque indultis etiam Apostolicis quomodolibet hactenus concessis, ceterisque contrariis quibuscumque. Atque hae Litterae Romae publicatae perinde habeantur ac si unicuique eorum, quos concernunt, personaliter intimatae et notificatae fuissent.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrarum Ordinationum et Constitutionum infringere, seu eidem ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octuagesimo secundo, IV. Id. Iunii, Pontificatus Nostri anno V.

« II. An, et quoties dioecesis, sibi commissae, visitationem » expleverit. »

Summarium. 14. Ne zizania cum bono frumento succrescere sinatur, sacrae visitationis lex inducta est. Praeclarum testimonium Benedicti XIV. de scopo sacrae visitationis. – 15. Quod confirmatur synodi Tridentini verbis. – 16. S. visitationis materia latissime patet: peculiaria quaedam agenda seliguntur. – 17. De s. visitationis utilitate. Laudatur Crispini tractatus de *Vis. Past.* – 18. Qui auctores de hoc argumento egerint, tradit Barbosa. Quibus addendus est Gaudentius a Ianua de *visitatione Praelator.* itidem de Aste *Visitatione Apostolica.* – 19. Episcopi cuiuscumque sint gradus, huic legi obstringuntur. Non excipiuntur praelati inferiores tertiae speciei. – 20. Anno ab episcopi obitu elapso potest vicarius capitularis s. visitationem peragere. – 21. Quem ritum servare debeat, docet S. C. Rit. – 22. An vero idem visitationem ex praecepto obire teneatur. – 23. Vicarii generales sine speciali episcopi mandato visitationem suscipere nequeunt. – 24. Hodie metropolitani dioeceses suorum Suffraganeorum visitare nequeunt, nisi causa in Concilio probata. – 25. Stricte loquendo non tenetur Episcopus convisitatores assumere. Convisitatorum qualitates quaenam esse debeant. – 26. Casus specialis in *Pisana Visit.* 28. Mart. 1839. – 27. Nulla poena in externo Ecclesiae foro statuta est contra Episcopos, qui singulis annis, vel bienniis visitationem non obeunt. Affertur laudaturque methodus a S. Carolo Borromaeo servata, ut legem Tridentinam posset adamussim explere. –

28. Describitur alia methodus, quam sequitur S. C. Vis. in alma Urbe stabiliter constituta. – 29. Omnia diocceseos loca personaeque Episcopi visitationi subiacent, dummodo exemptione non gaudeant. Loca et personae exemptae certis in casibus possunt subesse visitationi Episcopi, tamquam delegato Apostolicae Sedis. – 30. 31. Qui vero speciatim hi casus sint, alibi dicitur suis locis. – 32. De Capitulis exemptis visitandis cum adiunctis, remissive. – 33. Quid facere debeat Episcopus, antequam visitationem inchoet. Quid parochi, et reliquus clerus, postquam moniti fuerint? – 34. Non licet fideles cogere ad crimina detegenda, multoque minus sub poena excommunicationis. – 35. Tempus visitationis inchoandae relictum est arbitrio Episcopi. – 36. Idem dicendum de loco, nisi quod a cathedrali eam incipere congruentius est. – 37. Circa coercitionis remedia contra personas, visitationem subire renuentes, quidquid utrimque dicatur, prudentiae Episcopi relinquendum videtur. – 38. Expedit maxime, ut episcopalem visitationem sacrae missiones praecedant. – 39. Sive per se Episcopus, sive per alios verbum Dei in visitatione praedicet. Nominantur doctores, qui commonstrant, quid Episcopus de cetero in visitatione facere debeat. – 40. Decreta sacrae visitationis promulgari debent; modus vero promulgationis Episcopi arbitrio relinquitur. – 41. Circa appellationes a decretis s. visitationis standum est Constit. Bened. XIV. Eiusdem dispositiones innuuntur. – 42. Quid facere debeat Episcopus post expletam s. visitationem, ut decreta exsecutioni mandentur, docet Benedictus XIV. Constit. *Ubi primum.*

14. Ne dominici agri custodibus somnum agentibus veniat inimicus homo, et superseminet zizaniam, qua boni frumenti semen oppressum et labefactatum spem ac vota Ecclesiae decipiat, sapientissima lege cautum est per sacros canones, et praesertim per Synodum Tridentinam, ut sacrorum Antistites singulas dioeceseos sibi concreditae partes identidem suis ipsis oculis perlustrent, matureque malorum initiis idonea et efficacia remedia suppeditent. « Multa quidem (ita Bened. XIV. Constit. *Ubi primum* diei » 3. Dec. 1740. §. 8.) ignorabit Episcopus, multa eum latebunt, » vel saltem serius, quam oporteret, intelliget, nisi ad omnes » suae dioeceseos partes se conferat, et nisi per seipsum ubique » videat, ubique audiat, ubique exploret, quibus malis medicina » facienda sit, et quaenam fuerint eorum causae, quave ratione » occurri etiam providenter queat, ne sublata reviviscant. Prae» terea cum ea sit humanae imbecillitatis conditio, ut in agro » dominico, cuius cultura commissa Episcopo est, sensim vepres » et spinae, et noxiae inutilesque herbae succrescant, certe nisi

» ad eas amputandas cultor crebro redeat, ille ipse nitor vigiliis » eius laboribusque partus progressu temporis deflorescet. »

15. Et sane; huc proprie spectat finis, quem Tridentini Patres in sacrae visitationis lege sancienda sibi proposuerunt. Solemniter enim Sess. 24. cap. 3. *de Ref.* professi sunt, quod visitationis « praecipuus sit scopus sanam orthodoxamque doctrinam, » expulsis haeresibus inducere, bonos mores tueri, pravos corri- » gere, populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, » pacem innocentiamque accendere: cetera prout locus, tempus » et occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum » constituere. »

16. Latissime pateret huiusce argumenti provincia, si ab omni parte, uti par esset, expendi et explicari deberet. Cum tamen instituti nostri ratio intra breviores, quam fieri potest, limites nos continere suadeat, hinc nos, quae potissima sunt, obiter saltem innuere studebimus. Itaque agemus de obligatione visitationis obeundae, qua Episcopi et Praelati *Nullius* tertiae speciei tenentur; dein de personis sive exemptis, sive non, quae visitationi subsunt, subinde de iis rebus, quae visitationem praecedere, comitari, vel consequi debent. Tandem seiunctim *Appendicem* apponemus de procuratione, quam exigendi ius habent Episcopi; ubi ea, quae in usum saepius cadunt, breviter consectabimur.

17. Quanta sit necessitas obeundae sacrae visitationis, et quantus ex eadem sedulo et graviter obita existat spiritualium utilitatum fructus, praeter ea, quae modo innuimus, diligenter prae ceteris ostendit Crispinus in principio sui operis, quod inscribitur *Tractatus de Visit. Pastor.*, permultaque in rem sapientissimorum sanctissimorumque Antistitum, ac nominatim S. Caroli Borromaei affert exempla, qui in hoc sacro itinere peragendo primas curas ac studia, veluti de re omnium gravissima, posuerunt. Quoniam vero de hoc auctore incidit sermo, non abs re fore ducimus opus hoc (quod ipse, hortante s. m. Bened. XIII., dum adhuc in minoribus esset, studiose elaboravit perfecitque) Episcopis et visitatoribus valde commendare: quippe non parvo in pretio apud canonicarum rerum tractatores habetur, et non levi usui ac utilitati in singulis visitationis actis explendis esse cognoscitur. Pluries idem opus typis editum est, et non ita pridem Romae anno 1844. ex typographia camerali.

18. Praeter Crispinum etiam Barbosa *De Officio et Potestate Episcopi* p. 3. Alleg. 75. n. 65. alios auctores recenset, qui specialem de visitatione tractatum ediderunt, inter quos Fuscum *de Visit.* et Annibalem Rocca *de Vis.* Consuli potest inter recentiores Gaudentius de Ianua *de Vis. Praelat.*, necnon *Visit. Apostolica* Archiepiscopi de Aste, Hydrunti per Thomam Mazzei.

19. Episcopi, cuiuscumque sint gradus, qui dioecesis alicuius regimen gerunt, ad sacram visitationem obeundam ex decreto Conc. Trid. *l. c.* adstringuntur: idem est etiam de Praelatis inferioribus, qui dicuntur tertiae speciei iuxta ea, quae posuimus supra c. I. §. 3. (pag. 61.): ipsi siquidem veniunt nomine ordinarii; habent enim dioecesim cum territorio separato. Non desunt quidem doctores, qui putant, eorumdem Praelatorum dioecesim visitandi ius pertinere ad Episcopos viciniores, quia Conc. Trid. Sess. 24. cap. 9. *de Ref.* Episcopis tamquam Sedis Apostolicae delegatis ius disertis verbis attribuit invisendi saeculares ecclesias etiam *Nullius* nuncupatas, quibus proximiores sint. Nihilominus certum est, verbum illud *Nullius* a Tridentinis Patribus improprie usurpari, scilicet de Praelatis primae et secundae speciei, minime vero de Praelatis, qui proprie iuxta hodiernum loquendi morem vocantur *Nullius*. Et sane; testis est ipse Cardinalis de Luca in Adnot. ad Concil. Trid. disc. 5. n. 22., quem sequitur Ferraris verbo *Visitare* in Add. n. 7. et 8., quod S. C. Episc. et Regul. necnon S. C. Conc. speciali mandato committere quandoque soleant Episcopo viciniori, ut loca vere ac proprie *Nullius* visitet, in quibus Praelatus inferior absolutam iurisdictionem obtinet. At vero, ut quisque videt, hoc speciali mandato opus certe non esset, si Episcopi viciniores ex Concilii Tridentini lege ius proprium haberent. Hanc sententiam tenent etiam Fagnan. *Cap.* Grave *de off. ord.* n. 23., Crispin. *de Vis. Past.* P. I. §. 13. n. 40., ubi id constanter a S. Rota definitum refert. Vide etiam Ferraris *l. c.* Denique accedit experientia: namque huiusmodi Praelati in referendo statu suarum dioeceseon ex Constit. Bened. XIV. renuntiare iubentur, an dioecesim perlustraverint; et reapse communiter id renuntiari solere, quotidie ex eorumdem relationibus compertum haberi potest. Iamvero si visitationis ius non proprie ad Praelatos *Nullius*, sed ad Episcopos viciniores pertineret, S. C. non exigeret a dictis Praelatis, ut referant, an s. visitationem peregerint.

20. Vicarius Capitularis post elapsum annum, ex quo Episcopus praemortuus visitationem explevit, potestatem habet visitandi civitatem et dioecesim, itemque peragendi visitationem personalem capitularium ; id enim pluries definivit S. C. Conc., et praesertim die 13. Septemb. anni 1721. *Dubium Visitationis*, in quo aliae similes declarationes referuntur. Dubium vero in S. Congr. propositum verbis hisce conceptum erat : « 1. An Vicarius Capi-
» tularis Scardonen. facere possit visitationem civitatis ac dioe-
» cesis ? An facere possit visitationem personalem capitularium ? »
Emi Patres dicta die responderunt : « Ad primum et secundum,
» affirmative, dummodo elapsus sit annus a die ultimae visita-
» tionis factae ab Ordinario. » Vide Bened. XIV. *de Syn. dioec.* lib. II. cap. 9. n. 6.

21. Quando vero Vicarius Capitularis visitationem dioeceseos aggrediatur, hanc methodum ex declaratione S. C. Rit. reservabit, videlicet : « Vicarius Capitularis procedat ad ecclesiam cathe-
» dralem veste talari indutus, ubi intra portam recipietur ab uni-
» verso Capitulo. Quum eo pervenerit, assumet superpelliceum,
» vel alia insignia canonicalia, si sit canonicus, eidemque bire-
» tum presbyterale manu tenenti dignior ex Capitulo stans asper-
» sorium per contactum exhibebit. Praecedente cruce capitulari,
» ceterisque de clero, recta statim inter duos digniores ex capitulo
» pergit ad sacellum, ubi SSmum Sacramentum asservatur, atque
» paratis super genuflexorio pulvinaribus una cum praedictis di-
» gnioribus in genua provolutus orabit. Assurgens inde principem
» petet aram, et, brevi oratione super infimo gradu peracta, se-
» debit in camerali sede ante latus Epistolae super altaris sup-
» pedaneum praeparata, ceterisque in propriis subselliis consi-
» dentibus, et caput bireto cooperiens, tradet, si moris est, Can-
» cellario visitationis edictum legendum, et deinde proponet cau-
» sas adventus sui, uti habetur in Pontificali Romano *(Ordo ad*
» *visitandas parochias)*. His absolutis, ab altari descendet, et in
» plano extra latus Epistolae stans, supra superpelliceum, vel
» rochetum, si eo utatur, amictum, stolam et pluviale nigrum
» induat, eique duo sacerdotes assistent. Interim sedes ab altari
» amovebitur, cuius frons pallio itidem nigro obtegetur. Visitator
» autem adhuc stans iuxta altare in cornu Epistolae versus ad
» populum incipiet Antiphonam *Si iniquitates*. Cetera peragentur,
» ut in Pontificali Romano loco citato. Quam methodum Sanctitas

» Sua firmitate sua communivit. 8. Novemb. 1843. *Abellinen.* » (Apud Gardellin. num. 4974.).

22. An vero post elapsum annum Vicarius Capitularis visitationis explendae obligationem habeat, quaestio est, quam nec doctores, nec S. C. communiter expendere solent: (aliud enim est habere potestatem alicuius rei faciendae, aliud ad eam faciendam ex vi obligationis adstringi), nam vacationem cathedrae episcopalis ultra congruum tempus, nonnisi extraordinariis ex causis, protrahi contingit, quibus leges haud prospicere solent.

23. Vicarii Generales nequeunt sine Episcopi mandato sacram visitationem explere; ex eo enim quod Tridentini Patres, accedente legitimo Episcopi impedimento, eidem inculcant, ut hanc sui ministerii partem per Vicarium Generalem suppleant, manifesto demonstrare videntur, Vicariis iisdem propriam non inesse potestatem visitandae dioeceseos, quemadmodum communis sententia et disciplina docet. Ferraris verbo *Visitare* num. 19. et Barbos. *de Offic. et Pot. Ep.* Alleg. 75. n. 28.

24. Olim Metropolitani, postquam dioecesim suam omni ex parte rite perlustraverant, ius obtinebant Suffraganeorum suorum dioeceses visitandi; nunc vero ex dispositione Concilii Tridentini Sess. 24. cap. 3. *de Ref.* huiusmodi ius coercitum est ita, ut eodem uti nequeant, nisi ex causa cognita et probata in Concilio provinciali (Vide Sac. Cong. Episc. et Regular. *Caiazzo et Theano* 22. Apr. 1603. Nicol. *Flosc.* verbo *Visitatio ordin.* n. 2., Ferrar. loco cit. n. 20.). Id confirmatur ex eo, quod, petente Episcopo Laonen Hibern., S. C. declaravit die 13. Maii 1631., Metropolitano non esse permissum visitare dioecesim Episcopi suffraganei, nisi ad praescriptum Cap. 3. sess. 24. *de Ref.* Quod decretum Urbanus VIII. per literas diei 6. Iunii eiusdem anni datas approbavit (*Bull. Magn.* tom. VI. P. I. pag. 277.).

Quin, dubio proposito: « An ceteris Episcopis suffraganeis in » provinciali Synodo consentientibus, quod eorum Metropolitanus » cunctas provinciae dioeceses visitet, et, uno dumtaxat Suffra- » ganeo dissentiente in eo, quod nulla adsit necessitas huiusmodi » visitationis faciendae, nihilominus possit Metropolitanus visitare » dioecesim Suffraganei dissentientis? » S. Congreg. respondit: « Negative » *Hiberniae* 29. Novemb. 1687. apud Zambon. *Coll. decl. S. Congreg. Concilii* verbo *Archiepisc.* Vol. 1. §. 1. n. 2. pag. 154.

25. Synodus Tridentina praecipit, ut Praesules sacra visitatione dioecesim per seipsos perlustrent, et, prout modo diximus, si legitime impediti fuerint, potestatem eidem facit, ut opera uti possint Vicarii Generalis et Visitatorum. Quibus ex verbis luculentissime patet, eosdem Antistites ex rigore iuris non teneri in visitatione sibi adsciscere Visitatores, dummodo ipsi pares sint ad omnia et singula visitationis munera absolvenda iuxta sententiam, quam communem esse testatur Ferraris verbo *Visitare* n. 87. et seq. Attamen nonnisi raro contingit, ut Episcopus Visitatorum opera non indigeat, quotiescumque hoc sacrum iter aggrediatur. Quin etiam eorum auxilii necessitas eo maior est, quo limites dioecesis, ut plerumque accidit, latius patent. Debent autem ad hoc negotium assumi viri cum honestate morum spectabiles, tum scientia rerum sacrarum ornati, et usu ac experientia negotiorum periti. Insuper S. Cong. passim in literis ad Episcoporum relationes remitti solitis perscribit, ut viri probatissimi e coetu ecclesiastico eligantur. Imo hi possunt esse e coetu regulari, si qualitatibus necessariis pollere dignoscantur (Crisp. *Vis. Past.* P. I. §. 17. num. 47. et seq.). Hi presbyteri, aut saltem diaconi esse debent ex textu Cap. *Episcopus* 11. Caus. 10. quae 1. Ferrar. *l. c.* n. 18.

26. Haud alienus locus hic esse videtur referendi causam *Pisanen. Visit.* 28. Mart. 1835. In metropolitana Pisana ecclesia ab antiquissimo tempore consuetudo invaluerat, ut bini canonici alternis vicibus Episcopum in s. visitatione gerenda comitarentur, eamque cum eo simul absolverent. Cum Archiepiscopus utroque lumine captus visitationem per se obire non posset, adeoque eamdem per viros a se deputatos obire cogeretur, Capitulum existimavit, sibi esse ius hoc etiam in casu duos canonicos adsciscendi viris ab Archiepiscopo deputandis. Insuper Capitulum id sibi arrogabat, ut canonicos sine praecedenti Archiepiscopi approbatione ad illud munus eligeret, tametsi per Conc. Trid. Sess. 24. c. 3. *de Ref.* diserte statuatur « ut Visitatores a Capitulo deputandi, » ubi capitulum ius visitandi habet, prius ab Episcopo appro- » bentur. » Denique cum canonici in s. visitatione obeunda occupati capitulare quodammodo negotium peragerent, usu obtinuerat, ut distributiones interim perciperent, et S. C. per speciale Rescriptum 3. Septemb. 1832., attentis circumstantiis in facto occurrentibus, canonicis eumdem usum comprobari petentibus benigne adnuerat.

Super tribus hisce capitibus cum orta quaestio fuisset, rem Archiepiscopus ad S. C. Conc. detulit, penes quam tria, quae sequuntur, dubia discussa sunt: « 1. An constet de iure Capituli » metropolitanae ecclesiae Pisanae visitandi dioecesim una cum » Archiepiscopo vel eius delegato in casu? Et quatenus affir- » mative, 2. Num canonici Pisani ad visitationem explendam a » Capitulo deputati, ab Archiepiscopo primum sint approbandi » in casu? Quatenus negative, 3. Num in suo robore consistere » debeat gratia choralium distributionum canonicis visitantem » Archiepiscopum sociantibus concessa die 1. Septemb. 1832. in » casu? » S. C. respondit: « Ad 1. affirmative, citra tamen actus » iurisdictionales ad Archiepiscopum seu Visitatores ab ipso de- » legatos privative spectantes. Ad 2. affirmative ad formam Conc. » Trid. Sess. 24. c. 3. Ad 3. affirmative. »

27. Sacram visitationem quolibet anno, aut saltem biennio renovandam esse, manifesta est Tridentinae Synodi lex. Nulla tamen in externo ecclesiae foro certa poena legitur statuta in eos, qui eam stato tempore praetermittant. Dioeceseos amplitudo legitimam non praebet visitationis omittendae causam: disertissime enim Tridentini Patres, hac interveniente causa, providerunt, facta Praesulibus potestate sibi adsciscendi Visitatores, nullo praefinito numero. De hac re fuse eloquitur Crispin. l. c. n 47. et n. 53. et ad rem exemplum affert S. Caroli Borromaei, de quo apud Giussan. *Vita S. Car. Borr.* lib. 2. cap. 4. traditur, quod praeter Vicarium Generalem duos Visitatores generales elegerat, quorum uni civitas Mediolanensis, alteri dioecesis visitanda commissa erat. Insuper sex sacerdotes praefectorum titulo decoratos nominaverat, quorum singulis certa civitatis portio adsignata erat. Idem praestitit in dioecesi, quam in sex provincias dispertivit, quarum singulis unum ex iisdem praefecit. Hi omnes diversa sacrae visitationis munera absolvebant, et qualibet hebdomada coram Cardinali conveniebant, ut de eorum morbis et idoneis remediis adhibendis consilia simul conferrent, qui conventus *congregatio disciplinae* nuncupabatur.

28. Aliud idem Crispinus numero sequenti exemplum affert ex alma Urbe, in qua instituta extat *Congregatio a S. Visitatione* nuncupata, quae ex Cardinalibus, Praelatis, et simplicibus sacerdotibus coalescit. Ibi in more positum est, ubicumque et quoties opportunitas expostulet, unum Cardinalem cum uno Praelato et

aliis idoneis viris ecclesiasticis deputare, qui super certis locis piis ac personis sacram visitationem agant, et in scriptis de singulis rebus relationem faciant, unaque remedia proponant, quae ad rem magis conducere videantur. Ex hisce duobus exemplis apprime colligitur, legem de visitatione quolibet anno, vel biennio instauranda non esse tantopere difficilem, ut exsecutioni mandetur, prout communiter fere creditur: neque enim opus est, ut Episcopi singula per se, nullius ope adscita, perficiant. In hunc itaque sensum, data opportunitate, non semel S. C. C. Episcopis respondendum censuit.

29. Quod pertinet ad personas (inter quas corpora moralia complectimur, quippe personam a lege mutuatam induunt), quae visitationi obnoxiae sunt, in primis veluti certus immotusque canon stabiliendus est, omnes et singulas sacras personas et loca pia intra dioeceseon ambitum consistentia ab Episcopo visitari posse, nisi manifesta exemptione potiantur. Supra enim (pag. 54. n. 13.) vidimus, Episcopum super iis fundatam, ut aiunt, habere iurisdictionem. Barbosa *de off. et pot. Ep.* p. 3. Alleg. 74. n. 11. cum auctoribus ibidem allegatis. Itaque si huiusmodi personae exemptae non sunt, Episcopus ex propria auctoritate easdem visitationi suae subiicit. Si vero sunt exemptae, non idcirco ab Episcopi, utpote S. Sedis Delegati, visitatione semper et ubique subtrahuntur, praesertim ex Cap. 8. sess. 7. *de Ref.*, ubi statuitur, Episcopos, tamquam Apostolicae Sedis Delegatos, visitationi suae posse subiicere ecclesias exemptas saeculares, non obstantibus privilegiis et consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore derivantibus. Quod extenditur ad ecclesias saeculares, licet ad Regulares pertineant, dummodo tamen per saeculares eisdem deserviatur, ut pluries declaratum fuisse a S. C. Conc. refert Ferraris verbo *Visitare* n. 23. et alibi pressius explicabimus.

30. In specie vero lectorem monemus, in aliis Benedictinae Instructionis paragraphis singulatim de exemptis nos agere, ac praesertim in tribus appendicibus, quas ex Giraldio integre exscriptas in ultimo articulo capitis quarti de Regularibus afferemus. Insuper praeter Crispinum, in opere *de Vis. Past.* Part. I. §. 13. consuli potest Barbosa *De off. et pot. Ep.* P. III. Alleg. 74., ubi docet, quando Episcopis integrum sit, in exemptos visitationem obire.

31. Dein de ecclesiis parochialibus, quae monasteriis Regularibus uniuntur, agetur in dicto quarto capite Benedictinae

Instructionis ad articulum primum. Item de conventibus parvis, vulgo *conventini* res erit in eodem capite ad articulum tertium. De sanctimonialibus, quae Praelatis regularibus subiectae sunt, deque earumdem monasteriorum clausura rem omnem expediemus in capite quinto, praesertim ad articulum sextum, septimum et octavum. Tandem de visitatione hospitalium, collegiorum et sodalitatum singulatim loquendum erit in capite septimo. Consuli etiam potest Crispinus *de Visitatione Past.* part. I. §. 13. 14. 15., Barbosa l. c. Alleg. 75.

32. De Capitulis exemptis, quando Episcopus per se solum et absque adiunctis eadem visitare possit, agit accurate Bened. XIV. *de Syn. dioec.* lib. XIII. cap. 9. a num. 1. ad num. 9., ibique conciliat duo Trident. Synodi capita, nempe Cap. 4. sess. 6. *de Ref.* et Cap. 6. sess. 25. *de Reform.* Ne ultra, quam instituti nostri ratio postulat, hanc elucubrationem protrahamus, ad doctissimum eum Pontificem lectores nostros remittimus.

33. Antequam Episcopus sacram visitationem aperiat, opus est, ut per edictum enuntiet diem, quo eam inchoare sibi proponat: neque enim fas est, personas visitandas inscias, et non praeparatas quodammodo adoriri, nisi iusta eaque gravissima causa aliter facere suadeat. Contra, si dies inchoandae visitationis iam cognitus perspectusque fuerit, parochus una cum clero et populo Episcopum ea, qua decet, honorificentia recipiet, et cuncta paratu necessaria comparabit. Ita Fuscus, Ventriglia, aliique passim penes Ferrarium loc. cit. n. 81. Fusius et enucleatius rem hanc evolvit et appositis documentis exornat Crispinus *de Visit. Past.* part. I. a §. 7. et sequent.

34. Non licet Episcopo visitationem aggredienti edicta proponere, quibus fideles in virtute obedientiae crimina detegere adigantur, multoque minus addita poena excommunicationis: poterit vero tantummodo ad id enixe eosdem hortari. Vide S. C. Conc. apud Barbosam *de off. et pot. Ep.* p. 3. Alleg. 75. n. 29., Ferrar. loc. cit. num. 82.

35. Tempus visitationis inchoandae non est a iure determinatum; itaque prudenti Episcopi arbitrio relictum est. Ita Fuscus et Ventriglia apud Ferrar. l. c. n. 83.

Quod pertinet ad tempus, quo visitationem Episcopus obire possit, recolenda est sequens declaratio. Proposito scilicet apud S. C. C. huiusmodi dubio: « An Episcopus, qui, si commode fieri

» possit, dioecesim suam quotannis visitare tenetur, possit huius-
» modi visitationem facere per mensem, vel circiter, antequam
» labatur integer annus a die peractae ultimae visitationis, vel
» potius debeat exspectare, quod anni circulus expleatur, ante-
» quam denuo visitet, ita ut intra singuli cuiusque anni cursum
» una tantum visitatio fiat? » S. C. respondit: « Affirmative, sed
» non posse percipere procurationem, neque victualia, nisi semel
» in anno » ita 19. Sept. 1682. apud Bened. XIV. *de Syn. dioec.* lib. X. cap. 10. n. 6. Idem S. C. respondit in *S. Marci* 16. Iunii 1723. ad 1. dub., et Polic. 1. Iun. 1737. apud Bened. XIV. l. c.

36. Item arbitrio Episcopi relinquitur praefinire, a qua ecclesia visitationis initium faciendum sit, quamvis magis expediat, et congruum sit, eamdem a cathedrali, omnium dioeceseos ecclesiarum principe, inchoare, prout communiter usitatum est. S. C. Rit., Ventriglia, Barbosa, Monacell. apud Ferrar. loc. cit. n. 85. Congruit eadem S. C. Rit. in *Abellinen.* 8. Novemb. 1843., quam paulo ante (n. 21.) attulimus, ubi, quamvis de Vicario Capitulari visitationem aggrediente proprie res sit, nihilominus etiam Episcopo idem opus inchoanti eam declarationem accommodandam esse quisque per se videt.

37. An vero contra eos, qui visitationem subire renuunt, vim inferre liceat, aut dumtaxat poenis spiritualibus animadvertere, ac nominatim excommunicatione statuta in *Clementin.* Attendentes 2. de stat. Mon. in fin., meum non est hoc loco diiudicare; satius erit, si consulatur Ferraris loc. cit. n. 98., ubi pro utraque parte auctoritates plena manu congerit. Quidquid vero hac de re sit, pro data sibi prudentia videant Episcopi, quid magis in Domino expediat, si quando in hac tristi conditione sese versari conspiciant.

38. Ad exemplum Christi Domini Luc. 16., *qui misit binos illos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus,* expedit maiorem in modum, ut in singula oppida, quae visitari debent, sacri praecones praemittantur missiones populo exhibituri, prout docet Crispinus loc. cit. §. 17. n. 43. et seq., et communiter solemne habent cordatiores et maioris zeli Episcopi.

39. Episcopi dum sacram peragunt visitationem, per se, vel saltem per alios verbum Dei praedicare tenentur, praesertim si populo sacrae missiones in antecessum praebitae non fuerint: quod ita graviter inculcatur, ut plures rerum moralium tracta-

tores, ipsos mortaliter peccare doceant, nisi legitima causa excusentur (Caietanus Genuensis, Gavantus, Piasecius, Monacellus apud Ferrar. l. c. n. 92.).

Quae vero advertenda sint speciatim ab Episcopo et visitatoribus, tradit Crispinus passim in suo tractatu persaepe memorato. Insuper consuli et prae oculis haberi possunt, quae singulatim adnotat Monac. *Form. leg.* App. in fin. t. 4. supp. ad t. 1. post n. 267. apud Ferrar. n. 121., qui Monacellum integre exscribit. Etiam Barbosa *de Off. et Pot. Ep.* p. III. Alleg. 73. a num. 58. et seq. ea recenset, quae ab Episcopo observari debent, quandocumque visitationem aperire velit, necnon et ea, quae praestare debet eo tempore et actu, quo visitationem obit. Quo in loco ad fin. n. 79. haec, quae sequuntur, relatu digna videntur: « Denique visitans si quos criminosos invenerit, corrigit singulos pro » qualitate delicti: potest enim Episcopus visitans etiam contra » laicos de quocumque crimine inquirere, et notorios criminosos » per seipsum corrigere, non tamen ut iudex in omnibus, sed » ut pastor; quia ubi ad poenam ordinariam deveniendum esset, » non indistincte potest procedere Episcopus, quia fructus visi» tationis est potius commendatio, quam punitio, ut notatur in » Cap. *Inquisitionibus, de Accus.* » In eamdem fere sententiam loquitur idem Auctor loc. cit. n. 31.

40. Decreta, quae in actu s. visitationis ab Episcopo, vel visitatoribus edita fuerint, necessario promulgari debent, ut exsecutioni mandari queant. Quae ratio in huiusmodi promulgatione servanda sit, prudenti Episcopi arbitrio relinquitur; sunt enim, qui eam effici iubeant, postquam a loco visitationis abscesserint, et sunt, qui antequam abeant, id fieri curent, prout observat Crispinus *Vis. Past.* P. III. §. 18., ubi itidem advertit, aliquando toto adstante clero sine populo, aliquando coram populo, aliquando privatim coram iis, quorum interest, decreta promulgari satius esse.

41. Circa appellationem a decretis ab Episcopo in actu visitationis emanatis standum est Constit. Bened. XIV. incip. *Ad militantis Ecclesiae* 3. Kal. Apr. 1742. Ibidem Summus ille Pontifex casus omnes enumerat, in quibus appellatio conceditur in *devolutivo* dumtaxat, minime vero in *suspensivo*, ut aiunt forenses, idque tum accidit, quando sententiae exsecutio interim non retardatur, etiamsi iterum disceptari causam non interdicitur. Constitutionem hanc integram dabimus in vol. III. sub num. 14.

42. At non omni ex parte visitans Episcopus suo munere functus sibi videbitur, si post haec nullum ulterius de rebus, quas in visitatione providerit, negotium sibi facessat. Qua in re audiat Bened. XIV. in Constit. *Ubi primum* diei 3. Dec. 1840. §. 8. in fin., ubi Episcopos ita alloquitur: « Sed neque etiam satis est » lustrari a vobis dioeceses, et opportunis praeceptionibus vestris » curationi earum esse prospectum: restat et illud enixe perfi- » ciendum a vobis, ut, quae in visitationibus constituta fuerunt, » vere in effectum perducantur: nam legum etsi optimarum uti- » litas nulla erit, nisi, quod sancitum verbis est, re ipsa ab eis, » ad quos pertinet, studiose praestetur: Quapropter postquam ad » animarum morbos expellendos, sive avertendos salutaria para- » vistis medicamenta, non ideo, sollicitudo vestra conquiescat » oportet; sed traditorum a vobis praeceptorum exsecutio omnium » virium contentione urgenda est: idque potissimum per iteratas » visitationes estis assecuturi. » Itaque penes plurimos Antistites illud institutum pro more servatur, ut post sex menses ab expleta visitatione dedita opera inquisitio fiat, an singula decreta in actu visitationis edita rite exsecutioni mandata fuerint: quae inquisitio *contro-visita* nuncupatur (Consulatur Crispin. loc. cit. §. 18.).

Appendix de procuratione.

Summarium. 43. Affertur decretum Conc. Trid. circa procurationem. Nihil aliud exigant Episcopi praeter victualia. Si tamen consuetudo est, ne victualia quidem exigantur, gratis omnia facienda sunt. – 44. Non licet pecuniam et victualia simul accipere, ne tunc quidem, si pauper mensa foret. – 45. Etiamsi pecuniae taxatio stabilita fuerit, semper tamen est in optione eorum, qui visitantur, victualia loco pecuniae subministrare. – 46. Ad visitationis expensas tenentur parochi pro rata temporis, quo parochiae eorum visitantur. – 47. Item possessores beneficiorum simplicium et capellaniarum, quae conferuntur in titulum. – 48. Item sodalitates aliaque pia loca, ecclesiae et monasteria. – 49. Item Regulares visitationi obnoxii sine speciali privilegio et ipsi tenentur. – 50. De municipiis nunc affirmative, nunc negative respondit S. C. Conc. – 51. Pro vecturis et ferraturis equorum visitati non tenentur. – 52. Quo anno Episcopus non visitat, procurationem non capit. Etsi pluries in anno visitet, unam capit procurationem. – 53. Praeter procurationem nullum aliud munus Episcopus potest accipere. – 54. Quando Episcopus per se non visitat, procuratio non debetur, si ita consuetudo fert. – 55. Nec

debetur Episcopo visitanti cathedralem aliaque civitatis residentialis loca.– 56. Nec Episcopo visitanti monialium ecclesiam, si ibi non adsit beneficium. – 57. Consuetudo universalis non solvendi procurationem sustinetur. Non sustinetur autem consuetudo peculiaris, ut aliqua loca teneantur, aliqua non. – 58. Episcopus aliquod oppidum petiturus ad Confirmationem administrandam olim, accedente consuetudine, procurationem exigere poterat; nunc vero ex sanctione taxae Innocentianae non potest. – 59. Petra excipit casum, quo Episcopus a populo fuit accersitus.–60. Vicariis Capitularibus solum dimidium procurationis exigere licet.

43. Superest modo, ut aliqua de procuratione, sicut adpromisimus, paulo diligentius afferamus. Conc. Trid. cit. Sess. 24. c. 3. *de Ref.* haec habet: « Monentur praedicti omnes et singuli, » ad quos visitatio spectat, ut paterna charitate, christianoque » zelo omnes amplectantur; ideoque modesto contenti equitatu » famulatuque studeant quam celerrime, debita tamen cum dili- » gentia, visitationem ipsam absolvere; interimque caveant, ne » inutilibus sumptibus cuiquam graves, onerosive sint, neve ipsi, » aut quisquam suorum quidquam procurationis causa pro visi- » tatione, etiam testamentorum ad pios usus, praeter id, quod ex » relictis piis iure debetur, aut alio quovis nomine, nec pecuniam, » nec munus, quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, » accipiant, non obstante quacumque consuetudine etiam imme- » morabili, exceptis tamen victualibus, quae sibi, ac suis fruga- » liter moderateque pro temporis tantum necessitate, et non ultra, » erunt ministranda. Sit tamen in optione eorum, qui visitantur, » si malint solvere id, quod erat ab ipsis antea solvi certa pe- » cunia taxata consuetum, an vero praedicta victualia submini- » strare; salvo item iure conventionum antiquarum cum mona- » steriis, aliisve piis locis, aut ecclesiis non parochialibus inito, » quod illaesum permaneat. In iis vero locis, seu provinciis, ubi » consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam » aliud a visitatoribus accipiatur, sed omnino gratis fiant, ibi id » observetur. » Tandem contra huiusce legis violatores poenas eadem S. Synodus confirmat in *Cap.* Exigit *de Cens.* constitutas, nempe ut duplum restituatur, et, si restitutio negligitur, censura incurratur. Insuper alias etiam poenas a Synodo provinciali infligendas adiungit.

44. Circa hoc decretum multae identidem ab Apostolica Sede declarationes prodierunt. In primis non licet insimul ex titulo

procurationis pecuniam et victualia recipere, ne tum quidem, cum mensa episcopalis pauperiori censu laborat. Nam Episcopus Aquinatensis, cum ex dioeceseos more quolibet mense Novembri a clero scutata septuaginta reciperet procurationis intuitu, et ob mensae tenuitatem praeterea visitationis expensas exigere vellet, oraculum s. m. Gregorii XIII. percontatus, responsum Literis in forma Brevis accepit, quod suis verbis referebat Episcopus ipse apud Crisp. *Visit. Past.* P. I. §. 16. n. 6. (uti videre est in antiquo tomo signato: *A. Relat. Stat. Eccl.* circa annum 1592. existente in Archiv. Cong.) « nempe mihi, meisque successoribus » licere, si vellemus, solitam summam accipere, et nostris sum- » ptibus dioecesim visitare, aut accipere necessaria ad victum, et » pecuniam non accipere. »

45. Etiamsi in aliqua dioecesi taxatio pecuniae determinata fuisset, accedente cleri consensu, atque etiam usu recepta, nihilominus S. C. C. in *Hyeracen.* Dec. 1835. (lib. 4. decret. pag. 19. Crisp. loc. cit. n. 8.) huiusmodi taxationem ratam non habuit, ac censuit semper, « esse in optione eorum, qui visitantur, victualia « subministrare loco pecuniae taxatae. »

46. Ad visitationis expensas tenentur parochi et clerus, quippe S. C. in *Aquen.* 26. Nov. 1638. censuit: « victualia in visitatione » deberi Episcopo a parochis et a clero. » Quod quidem iuxta proportionem intelligendum est; namque in *Eugubina* 15. Martii 1656. (lib. 19. decret. 333. ac 334.) censuit: « Parochos teneri » ad contributionem victualium Episcopo visitanti pro rata tempo- » ris, quo ipsorum parochiae visitantur, non autem pro tempore, » quo Episcopus versatur circa visitationem locorum sacrorum in » eodem loco existentium. » (Crispin. loc. cit. n. 9.).

47. Una cum parocho ad contributionem tenentur possessores beneficiorum simplicium et capellaniarum, quae in titulum conferuntur. Nam in *Narnien.* 12. Sept. 1554. (lib. 19. decret. p. 399.) ad dubium: « An beneficia simplicia teneantur cum parochis con- » tribuere procurationi Episcopo visitanti dioecesim? » S. C. respondit: « Teneri. » Et in *Boianen.* 24. Novemb. 1654. (lib. 19. decret. pag. 427.) eadem S. C. censuit: « obtinentes beneficia, seu » capellanias in titulum teneri pro rata contribuere pro victua- » libus. Quae quidem tametsi ab Emis Cardinalibus possideantur, » ab hac contributione non eximuntur. » *Nullius* seu *Neritonen.* 13. Septemb. 1631. (lib. 14. decret. pag. 498.). Crisp. l. c. n. 11.

48. Solvere procurationem tenentur etiam sodalitia ecclesiastica, aliaque pia loca. In *Marsicana* 15. Sept. 1636. S. C. Conc. respondit: « Episcopum visitare posse confraternitates ecclesia- » sticas, et alia loca pia quaecumque, et deberi procurationem » a locis visitatis proportionabiliter, habita tamen ratione omnium » eodem die visitandorum. » Lib. 15. decret. pag. 422., Crisp. l. c. n. 12. Item in *Auximana* 8. Febr. et 15. Mart. 1727. dubia proposita sunt: « 1. An procuratio sit praestanda per contributum » ab omnibus parochis, beneficiatis, ecclesiis, monasteriis (vide » n. 56.), et confraternitatibus montis Philottrani? Et quatenus » affirmative; 2. An parochi, qui substituerunt totum pondus » procurationis in retroactis visitationibus sint proportionabiliter » reintegrandi, et a quo debeat fieri repetitio et exactio in causa? » S. C. respondit: « Ad 1. affirmative; ad 2. affirmative pro ultimis » procurationibus, et amplius, (quod est, et *amplius non proponatur*). » Item in *Civit. Cast.* 28. Nov. 1733., et 9. Ian. 1734. ad 1. et alibi; praesertim consulenda est etiam S. C. Concilii in *Senogallien. Procur.* ad diem 11. Dec. 1765. a §. *Sacra Congr.* et seq., ubi plures hac de re declarationes congeruntur.

49. A procuratione solvenda immunes non sunt Regulares ii, qui visitationi episcopali subiecti sunt, nisi pro non solvenda procuratione speciale et individuum habeant privilegium. S. C. in *Passavien.* 1. Oct. 1661., quam refert Crisp. loc. cit. n. 13., *Augustana* 14. Decemb. 1630. (lib. 14. decret. pag. 356.). Consulenda Collectanea Bizzarri pag. 291., ubi declaratur, non licere Episcopo conventus parvos visitanti aliquid accipere procurationis nomine.

50. Quandoque accidit, ut inquiratur, an municipia ad procurationem solvendam teneantur. In *Caesaraugustana* (quae refertur in folio *Tudertinae Procur.* diei 30. Iul. 1735.), « cum prae- » sides locorum et oppidorum Archiepiscopo ea visitanti victualia » et hospitia praestare consuevissent, eique a rectore et vicariis » perpetuis parochialium ecclesiarum ratione aliorum sumptuum, » quos occasione visitationis fieri contingebat, quaedam pecunia- » rum summa persolveretur, idem Archiepiscopus declarari po- » stulavit, an per Conc. Trid. c. 3. sess. 24. posset haec obser- » vantia antiquissima exigi. » Et S. C. sub anno 1581. respondit: « Servandam esse consuetudinem ecclesiae utilem, si communi- » tates non conquerantur; laudabilius tamen esse, ut nec illo

» graventur, et si victualia a communitatibus exiguntur, clericis » parcendum esse. » (Lib. 3. decret. pag. 25.). In memorata *Tudertina* complures aliae resolutiones referuntur, in quibus aliter decernitur. Quin etiam alias S. C. nunc affirmative, nunc negative pro rerum ac circumstantiarum varietate respondit, ceu videre est in *fol. Vasionen. Procur.* 9. Aug. 1766. resolutae 30. dicti mensis et anni. Super hac controversia consuli potest Crisp. l. c. n. 16. et seq., ubi paulo fusius hoc argumentum expendit.

51. Pro vecturis tamen et ferraturis equorum visitati procurationem praestare non adiguntur, quandoquidem ita S. C. Episc. et Regul. (apud Nicol. in *Man. Episc.* verbo *Vis.* n. 46., quem refert Crisp. l. c. n. 31.) expressis verbis declaravit 1581. *Aiaccio* 14. Nov. 1610., *Ventimiglia* 21. Augusto 1665., *Caiazzo* 20. Martio 1650. Idem pluries resolvit S. C. Conc. et potissimum in *Larinen.* 12. April. 1698. et *Amalphitana* 18. Ianuar. 1699., quas citat *folium* causae *Senogallien. Procur.* §. *Non veniunt,* ad diem 14. Dec. 1765.

52. Quo anno Episcopus visitationem non obit, procuratio non debetur. S. C. in *Aprutin.* (lib. 4. decret. pag. 10.) censuit « admo- » nendum Episcopum, ne praetextu visitationis, eo anno, quo » re ipsa non visitat, aliquam pecuniae summam recipiat. »

Si Episcopus semel iterumque in uno anno visitationem suscipit, unam tantum procurationem exigere potest. S. C. Conc. Episc. et Regul. anno 1586., et S. Congr. Concilii in *Policastren. Proc.* 1. Iun. 1737. penes Benedict. XIV. *de Syn. dioec.* Lib. X. c. 10. num. 6.

53. Praeter procurationem nullum potest ab Episcopis munus accipi; nam in *Marsicana* (lib. 2. decret. p. 90.) proposito dubio: « An Episcopus in visitatione possit ultra victualia a dioecesanis » recipere aliqua esculenta, videlicet carnes, caseos a sponte dan- » tibus? » S. C. C. respondit: « Munera nulla posse Episcopum » accipere, sed victualia tantum, vel eorum loco procurationem. » Hanc declarationem sine die et anno refert Crispin. l. c. n. 34.

54. Quando Episcopus visitationem per se non explet, si consuetudo adest, ut nihil pensitetur, consuetudo observanda est; nam S. C. C. in *Iacen.* 6. Iun. 1659. (lib. 6. decret. pag. 9.) apud Crispin. loc. cit. n. 35. censuit, « consuetudinem, ut, si aliquis » alius quam Episcopus visitet, nihil omnino accipiatur, esse ob- » servandam. »

55. Cum Episcopus visitat loca civitatis vel oppidi, ubi residentiam ordinariam obtinet, nihil potest exigere. Nam id declaratum pluries fuisse testatur Fagnan. *Cap.* Venerabili *de Cens.* Consonat Nicolius, qui loc. cit. idem a S. C. Episc. et Regul. confirmatum fuisse refert, apud Crispin. loc. cit. n. 36. *Telese* 21. Iunii 1590.: « Caveat Episcopus, ne pro visitandis beneficiis intra » urbis moenia constitutis quidquam capiat. 27. Aug. 1603. *Nardo.*» Quae quidem praescriptio suam etiam vim habet, tametsi adesset contraria consuetudo; haec enim abrogata est a Concilio Trid. Sess. 24. c. 3. de Ref., *Cap.* Venerabili *de censibus.*, Nicol. *Man. Episc.* verbo *Visitatio* n. 45. apud Crisp. loc. cit.

56. In *Volaterrana* 13. Novemb. 1638. (lib. 16. decret. 116. a tergo) S. C. Concilii censuit « Episcopo visitanti ecclesiam mo- » nialium, si in ea non adsit beneficium, non deberi procuratio- » nem, seu expensas victualium (1). »

57. Quamvis iuxta Conc. Trid. contra Episcopum valeat consuetudo universalis non solvendi procurationem, et visitationis expensas, attamen consuetudo particularis non sustinetur contra consortes, quando nimirum loca aliqua pia, quae procurationem iam solvunt, certant contra alia loca pia, quae solvere non consueverunt. Ita S. C. Conc. *in Pientin.* 29. Novemb. 1756., *Aquip.* 21. April. 1787., *Nursina* 8. Maii 1824. Tum enim eadem S. C. cogit haec ultima, ut una cum primis concurrant in praestanda procuratione, quae Episcopo visitanti debetur. Ita in *Signina* 2. Augusti 1670. (lib. 19. decret. p. 399.) quae refertur in folio *Senogall. Procur.* 14. Dec. 1765. §. *S. Cong.*, et in *Civit. Cast. Proc.* 9. Ianuarii 1734., in qua ad primum dubium edixerat: « teneri con- » fraternitates et loca pia Gallesii ad contributionem procuratio- » nis »; proposito secundo dubio: « An obstet contraria consue- » tudo? » rescripsit: « Negative. » Consonat *Fanen. Procurat.* 24. Augusti 1743. necnon *Camerinen. Procurat.* 7. Septemb., et 33. Novemb. 1793., *Ariminen.* 27. Maii 1837.

58. Etsi olim S. C. declarasset posse Episcopum procurationem exigere, cum ad Confirmationis Sacramentum administrandum aliquod dioecesis oppidum petit, si adsit consuetudo, ut in

---

(1) Ut haec resolutio concilietur cum alia n. 48, supponi debet, quod aliud de monasteriis monialium, aliud de earum ecclesiis iudicandum sit. Inquirendum tamen est, an alia suppetat via rei huiusce conciliandae.

Minerbien. 24. April. 1655. lib. 19. decr. pag. 452., attamen postquam promulgata est taxa Innocentiana, ex qua contraria quaelibet consuetudo sublata fuit, semper in posterum sacer Ordo autumavit, Episcopum occasione sacri chrismatis conferendi exigere non posse procurationem aliam ab ea, quae in visitatione penditur. S. C. C. in *Amalphitana* 18. Iul. 1699. (lib. 49. decret. pag. 252. ad 2. dub.), et in *Ferentina Procur.* 20. April. 1782., in qua procurationem expresse non debere edixit *ex causa administrationis Sacramenti Confirmationis.* Vide *folium* eiusdem *Ferentin.* ad diem 16. Martii eiusdem anni. Itaque curet Episcopus, ut Confirmationem administret occasione s. visitationis ad mentem S. Congregationis in *Sabinen.* 13. Nov. 1638. (lib. 16. decret. pag. 116., necnon super citata *Amalphitana* ad 1. dub. 18. Iul. 1699. Vide folium praedictae *Ferentin.* §. *Hinc.* Consulatur Monacellus *Form. leg.* p. 1. tit. 5. form. 2. n. 20., Petra *Ad Constit. 14.* Innoc. IV. n. 72.

59. Neque vero praetereundum hic existimamus a Card. Petra loc. cit. n. 76. excipi casum, quo ab illius, quo se fert, oppidi populo peculiariter arcessitus fuit ad hoc Sacramentum administrandum extra visitationem, quam ipse non omiserit. S. C. Conc. in *Ferentinen.* 16. Mart. 1782. §. l. c. in fine.

60. Supra (pag. 154. n. 20.) statuimus, Vicarium Capitularem post annum, ex quo praemortuus Episcopus visitationem explevit, elapsum, dioecesim visitare posse; at vero in obeunda visitatione non posse exigere, nisi dimidium procurationis, quam Episcopo persolvi solere constiterit, definivit S. C. Conc. in *Ostunen. Proc.* 28. Iulii 1708. impressa tom. 9. Thes. Res. S. C. C. pag. 180. ad annum 1740., item Bened. XIV. *de Syn. dioec.* lib. X. cap. 10. n. 6. Plura dubia super procuratione debita Visitatori Apostolico vide in Collect. Bizzarri p. 355. et 356., ubi appositae ad rem declarationes perleguntur. Vide etiam *Camerinen.* Procurat. 22. Nov. 1856., ubi municipium uti curator montisfrumentarii, non obstante asserta consuetudine, ad procurationem solvendam condemnatum fuit.

« III. An per se, vel per alium Episcopum, sacras Ordinatio-
» nes expleverit et Sacramentum Confirmationis administraverit. »

61. Sacrorum Ordinum et Confirmationis administrationem continet hic articulus. De sacris Ordinibus primum acturi dicemus de Episcoporum obligatione per se ipsos ordinandi; de quatuor

causis, ex quibus aliquis Episcopo subiectus est; de ordinatione Regularium; tandem de duobus indultis *extra tempora, et interstitiorum* nuncupatis.

Art. I. De obligatione Episcoporum ordinandi per seipsos.

Summarium. 62. Episcopi per se ipsos Ordines conferre tenentur, nisi aegritudine impediantur. – 63. Causa aegritudinis late accipienda est, ita ut quodvis aliud similiter grave ac rationabile impedimentum excuset. – 64. Iura sacram ordinationem respicientia innuuntur, ac praesertim Constit. Innoc. XII. *Speculatores.* – 65. Quatuor ex causis aliquis Episcopo subiici potest, nempe ratione *beneficii, originis, domicilii, familiaritatis.* Explicatur, quae sint literae dimissoriae, quae testimoniales. – 66. Quae sint proprie testimoniales ad effectum, de quo agitur, ut ab aliis distinguantur. – 67. In dimissoriis exprimi debet causa, cur promovendus a proprio Episcopo non ordinetur. Dimissoriae ultra bimestre, vel trimestre non sunt attendendae, nisi iusta causa intercedat. Dimissoriae pro minoribus Ordinibus, non valent pro Ordinibus maioribus suscipiendis. Multo minus patentes pro prima tonsura. In dimissoriis et testimonialibus debet esse inscriptio *Miseratione divina et Sedis Apostolicae gratia.* Quae cautiones adhiberi debeant, ut dimissoriae authenticae a falsis distinguantur, remissive. – 68. Vicarius Generalis sine speciali mandato dimissorias concedere non potest. – 69. Episcopus dimissorias concedere nequit laico ad beneficium in sua dioecesi praesentato, si quando Episcopus proprius tonsuram ei denegavit. – 70. Praelati inferiores tertiae speciei dimissorias concedere nequeunt sine speciali privilegio. Neque pariter Vicarii Capitulares intra annum, nisi arctatis ratione beneficii, excepta tonsura, ut n. seq. Vicarii Capitulares dimissorias concedentes, necnon promoti contra huiusmodi formam quas poenas incurrant. – 71. Capitulum non potest sibi reservare ullam partem iurisdictionis, sed in Vicarium totum transferre debet. Itaque idem Capitulum nisi per eum dimissorias concedere non potest. Vicarius Capitularis infra Sedis vacantis annum potest concedere dimissorias ad primam tonsuram non arctato. Non item pro assequenda pensione. Potest autem laico ad beneficium praesentato cum obligatione clericatus intra quadrimestre, necnon habenti beneficium cum onere celebrandi per se ipsum. – 72. Vicarius Capitularis dimissorias expedire potest ei, cui ab Episcopo in mortis articulo eaedem concessae fuerunt. Vicarius Capitularis, elapso anno, potest dispensare super interstitiis, etiam pro arctatis infra annum. Nec ipse, nec Capitulum iurisdictionem forsan habens super territorio separato, nec alia dignitas in Episcopi iurisdictionem succedens concedere potest dimissorias pro ordinandis titulo pensionis vel patrimonii. – 73. Vicarii Apostolici, Sede

vacante, possunt post annum, et infra annum arctatis concedere dimissorias, nisi iisdem haec facultas ablata fuerit. Eamdem, si ex indulto obtineant, cum aliis communicare non possunt. Vicarii Apostolici, Episcopo interdicto deputati, possunt, eo etiam mortuo, dare dimissorias. – 74. Declarationes S. C. Conc. in *Elven.*, ubi plura hactenus exposita confirmantur. – 75. Episcopus dimissorias non concedat nisi iam examinatis ac probatis. Episcopus, cui dimissoriae dantur, potest attestationi Episcopi dimittentis credere, sed non tenetur. – 76. Episcopus auxiliaris non tenetur inquirere super ordinandis ab Ordinario, vel Capitulo sibi dimissis. Sed potest et debet ex iusta causa ab ordinatione abstinere. – 77. Idem si non ex stricto iure, saltem ex convenientia dicendum videtur de quocunque Episcopo circa sibi dimissos. Episcopus dimittens potest Episcopo ordinaturo examen ordinandorum committere. – 78. Subditus sine dimissoriis ordinatus, et iuxta aliquos etiam tonsuratus suspensionem incurrit, usque dum Episcopo proprio videatur. Episcopus sine dimissoriis, vel testimonialibus scienter ordinans alienum subditum, per annum ipso facto suspenditur ab Ordinum collatione. Si tonsuram eodem modo contulerit, a tonsurae collatione item per annum suspenditur. Dimissoriae non exspirant morte concedentis, adeoque Episcopus poterit adhuc alieno subdito Ordines conferre. Tonsura sine rationabili causa denegari non debet ei, qui ad beneficium nominatus est.

62. Merito quidem instructio nostra in capite ab Episcopo referente requirit, an per se ipsum, vel per alium sacras ordinationes expleverit. Nam Tridentina Synodus *Sess. 23. cap. 3. de Ref.* conceptis verbis praecipit, ut « Episcopi per se ipsos Ordines » conferant. Quod si aegritudine fuerint impediti, subditos suos » non aliter, quam probatos, et examinatos ad alium Episcopum » ordinandos dimittant. » Porro nihil antiquius esse debet Episcopis, nisi ut per se sacrorum militum delectum faciant; nam de auctoritate S. Epiphanii in *Haeres. Aerian. ann. 75.* ait clarissimus Pignatellus *Consult. 158. tom. 10. n. 32.* « Summa haec » esse videtur Episcoporum gloria, quod patres in populo chri- » stiano in Sacramento ordinationis generent. Singularis eorum » haec praerogativa, quod non tantum filios, sicut presbyteri, » verum etiam patres generare possint! »

63. Quamvis autem Conc. Trid. Patres unicam recenseant causam impedimenti ab aegritudine profectam, ex qua licet Episcopis subditos suos aliis Episcopis ordinandos dimittere, nihilominus non ita rigide literali dispositioni inhaerendum est, ut quaelibet alia causa, quae sit gravis et rationabilis, exclusa cen-

seatur. Hanc enim admittit *Cap. 1. de temp. ord. in 6.*, et S. Carolus Borromaeus in III. *Conc. Mediol.* tit. Quod pertin. ad ord. sac. sic inquiens: « Infirma valetudine, aliave iusta causa impedi-
» tus Episcopus, si stato tempore sacros Ordines habere non potest,
» et aliquem propterea clericum suum ad alium Episcopum mittere
» velit, a quo alicui ordini ecclesiastico adscribatur, testimonia-
» libus literis ei datis, haec adscribat, et testata faciat. . . » Denique S. C. Conc. apud Gallemart ad praefatum Concilii Tridentini caput in *Calagurit. 27. Augusti 1592.* censuit, « Episcopos
» posse alienos canonicos ordinare, si habeant literas dimissio-
» riales licet Episcopus literas dimissoriales concedens, alia le-
» gitima causa, quam aegritudinis, expressa in *Cap. 3. sess. 23.*
» *de Ref.* fuerit impeditus. » Itidem legitur apud ipsum *l. c.* « Epi-
» scopus potest alienos clericos ordinare, si habeant dimissorias
» proprii Ordinarii iuxta *Cap. 8.*, quando Episcopus dimittens ex
» alia legitima causa, quam aegritudinis, est impeditus. »

64. Nihil est in veteri et nova ecclesiae disciplina tam graviter vetitum, quam ut Episcopi alienum subditum ordinare ne praesumant. Itaque utilissimum erit inquirere, quis dicatur subditus proprius alicuius Episcopi, ita ut subditus hic ab isto tantum ordinari possit, et praeter hunc a nullo alio, nisi ex potestate sibi rite tradita. Consulto abstinemus ab exscribendis tam iuris canonici, quam Tridentini Concilii sanctionibus, utpote notissimis, et cuivis facillime obviis. Praeterea quidquid ibidem statutum et provisum fuit, et insuper quidquid subinde eadem in re a S. C. Conc. declaratum prodiit, id omne collectum, confirmatum, ampliatumque fuit in celebrata Constit. Innocentii XII. incip. *Speculatores* data Prid. Non. Nov. 1694. eamque integram dabimus in volumine III. sub n. 15.

65. In ea Summus ille Pontifex quatuor ex causis quemlibet Episcopo subdi posse statuit atque declarat; nimirum ratione *beneficii, originis, domicilii et familiaritatis*. Quoniam vero, ut aliquis sive a proprio Episcopo, sive ab alieno ordinandus sit, ex praecepto huiusce Constitutionis vel dimissoriis, vel testimonialibus literis (1) opus habere potest, ante omnia opportunum vi-

---

(1) S. C. Concilii die 11. Iunii 1881. declaravit, Episcopum non posse extraneo conferre primam tonsuram accedente Ordinarii originis consensu sine litteris testimonialibus. (Vide Acta S. Sedis, vol. XIV. pag. 392.).

detur distinctius explicare, quales esse debeant huiusmodi literae, quodque potissimum earumdem inter se discrimen. « Literae di-
» missoriae (ita S. C. in folio a doctissimo de Lanfredinis Secre-
» tario S. C. concinnato pro causa *Pientina, seu Ilcinen. Ordin.*
» 8. Aug. 1733. §. Nec vero) exprimant traditam facultatem, si
» alter Episcopus possit clericum illum (de quo nempe agitur)
» ad Ordines promovere. Literae autem testimoniales non hanc
» facultatem impertiuntur, quia supponitur facienda ordinatio
» ab alio Episcopo non indigente traditione huius facultatis, sed
» ex positivo iure suo, solumque continent testimonium, quod
» clericus promovendus sit dignus, cui tales Ordines conferantur,
» quemadmodum haec diversitas internosci potest ex literis utrius-
» que generis, quarum formulam recenset Monacellus *tom. 1. tit. 4.*
» *form. 3. et form. 9.* » Unde eamdem dabimus in volumine III. sub num. 16. et 17. Formulas literarum dimissoriarum exhibet etiam Honorante *Praxis Secretariae Tribun. Vicar. cap. 14. nota p. 154. 155.* pro tonsura, ac pro Ordinibus tam minoribus, quam maioribus. Formulam vero literarum testimonialium idem auctor tradit *l. c. cap. 15. nota 3. in fin. pag. 161.*

66. Insuper adnotandum est, testimoniales, de quibus hic agitur, confundi non debere cum alio genere testimonialium, quibus clericus e dioecesi discedens aliis commendatur. Vere etiam differunt literae testimoniales, quae (sic ad rem de Lanfredinis *loc. cit.* §. *Vere)* dantur ea mente, ut ad praescriptum « Bullae
» Innocentianae exhibeantur alteri Episcopo Ordines collaturo
» ei, qui beneficium in sua dioecesi fuerit assecutus, a literis te-
» stimonialibus, quae concedi solent ad commendandum clericum
» e dioecesi proficiscentem, et istarum quoque formula habetur apud Monacellum *d. tit. 4. form. 6.*, et in quibus solummodo fides generatim perhibetur, quod clericus, de quo res est, nullo excommunicationis, irregularitatis, aut cuiusvis alterius canonici impedimenti vinculo innodatus existat. Harum literarum commendatitiarum formulam ex Monacello dabimus in volumine III. sub num. 18. Itaque pluribus in locis requiritur fides de *statu libero*, quem vocant, ne videlicet ad Ordines recipiatur, qui vinculo matrimoniali irretitur; itemque ut pateat, quod nullius sit criminis postulatus, et bonis moribus imbutus. Et sane in testimonialibus ad effectum, de quo agitur, ut Bullae Innocentianae praecepto satis fiat, praeter ea, quae de nullius censurae vin-

culo, aut nullo plane canonico impedimento, vel crimine testimonium perhibetur, insuper necessarium est, ut de natalibus, de aetate, de vita, et moribus fides fiat, ita ut dignus videatur, qui ad Ordines promoveri possit; quemadmodum accurate, fuseque demonstratur ab Honorante *loc. cit. cap. 15. nota tertio per totum pag. 160. et seq.;* necnon in folio citato *Pientinae et Ilcinen.,* suaque ibidem resolutione confirmavit Sacra Congregatio. Nam Medischinus quidam subditus Episcopi Pientini ratione originis et domicilii beneficium in dioecesi Ilcinensi adeptus ab Episcopo beneficii ordinatus fuerat cum literis testimonialibus Episcopi Pientini, generalibus tamen et non specialibus, ut modo explicatum est, itaque, proposito dubio III: « An literae testi» moniales, quas Laurentius Medischinus impetravit ab Episcopo » Pientino, fuerint sufficientes ad licitam ordinationem? » *die 18. Iulii 1733.* responsum fuit: « Affirmative in casu, de quo agitur. » At vero causa iterum proposita cum additis animadversionibus, quarum summam inde modo excerpsimus, S. Congregatio *die 8. Aug. seq.* rescripsit: « Recedendum a decisis et » Episcopus Ilcinensis ac Medeschinus consulant conscientiae » suae. » Consonat Sac. Congreg. in *Burg. S. Domn.* seu *Cremonen. Ordin. 1. Aug. 1750.*

Multo vero minus valent ad effectum, de quo agitur, testimoniales de vita et moribus ob alium finem a Vicario Generali impetratae, quemadmodum S. C. Conc. adamussim retinuit in *Pisana, seu Clusina Dub. Ordin.* 26. Ian. 1732. Neque itidem valet fides a Cancellario data, quod quis nullo impedimento canonico sit irretitus; et si Episcopus ea fide nixus aliquem ordinet, illicite ordinat, et debet conscientiae suae consulere. S. C. Conc. in *Messan. Ord.* 12. Sept. 1739. *(Thesaur. Res. tom. 9. pag. 112.)*

67. In literis dimissoriis exprimi debet causa, cur a proprio Episcopo ii, qui promovendi sunt, non possunt ordinari; ita disertis verbis cautum est per Conc. Trid. *sess. 7. cap. 11. de Reform.,* Barbosa *ad Conc. Trid.* ad hoc caput.

Neque ultra bimestre vel trimestre a die datae easdem admittendas esse a S. C. *Adversana* 4. Decemb. 1666., a S. C. Immunit. *Lycien.* 7. Sept. 1624., et Conc. Mediol. Prov. 4. *De his, quae pert. ad Sacr. Ord.* statutum fuisse testatur Honorantes *Praxis Secret. Trib. Vicar. cap. 6. nota secundo pag. 73.* Quamquam paragrapho sequenti idem auctor existimat, quod, quamvis di-

missoriae sint determinatae pro sequenti ordinatione, possint ex iusta causa ad alia tempora prorogari, dummodo promovendus in Urbe maneat, nec testimonio de vita et moribus destituatur: et hanc esse praxim Tribunalis Vicariatus almae Urbis idem auctor testis est.

Literae dimissoriae ab Episcopo originis aut domicilii pro minoribus Ordinibus suscipiendis clerico concessae, suffragari non possunt loco testimonialium pro suscipiendis Ordinibus maioribus seu sacris ab Episcopo beneficii, quemadmodum demonstrat Honorantes *loc. cit. cap. 15. nota septimo pag. 163. et 164.*, allata in rem S. C. Conc. declaratione in *Firmana seu Lauretana Ordin.* 14. Dec. 1706. (lib. 55. decret. pag. 395.)

Ex iisdem rationibus multo minus pro licita sacrorum Ordinum collatione explenda ab Episcopo beneficii sufficere possunt literae patentes, quas de prima tonsura sibi collata quis reportavit ab Episcopo originis, licet post eas obtentas statim a patria recesserit, proindeque ordinatum vigore dictarum patentium incurrisse in poenas a Constit. *Speculatores* praescriptas, merito respondit S. C. Concil. in *Toletan. Ordin.* 2. Oct. 1717. ad 1. et 2. apud eumdem Honorantem *l. c.*

In literis testimonialibus et dimissorialibus debet exprimi in titulo *miseratione divina, et Sanctae Sedis gratia Episcopus* N., veluti allata auctoritate Rebuffi animadvertit Honorantes *l. c. cap. 6. pag. 77.*

Quae cautiones adhibendae sint, ut evitentur fraudes nonnullorum cum falsis dimissoriis, idem Honorantes indigitat et enucleatim recenset loco citato.

68. Ad dimissorias vero literas quod attinet « Vicarius Gene-
» ralis Episcopi (inquit Barbosa de *Off. et Pot. Episc. part. II.*
» *Alleg. 7. n. 9.)* huiusmodi dimissorias literas concedere non po-
» test, cum ad id Vicariatus officium non extendatur, nisi de spe-
» ciali mandato Episcopi, vel eo absente, vel ipso Episcopo in
» remotis agente. » Suam vero sententiam auctor ille confirmat auctoritate complurium doctorum, quorum seriem allegat. Adde Honorantem *loc. cit.*

69. Ad dubium ita conceptum: « An laico, cui a proprio Epi-
» scopo denegata fuit prima tonsura, possit ipsa prima tonsura
» conferri et concedi literae dimissoriales ab Ordinario alterius
» dioecesis, coram quo ipse praesentatus fuit ad beneficium ec-

» clesiasticum? » S. C. Conc. rescripsit: « Non posse *Mutinen.* 26. Ian. 1658. *(Lib. 21. decret. pag. 166.).*

70. Dimissorias pro prima tonsura et sacris Ordinibus recipiendis Abbates aliosque inferiores Praelatos subditis suis non posse impertiri absque speciali S. Sedis privilegio post Conc. Trid. impetrato alibi *(cap. 1. §. 3. pag. 63 n. 30.)* demonstravimus et disertis verbis cavetur *Sess. 23. cap. 10. de Ref.*

Aliter vero rem se habere de Vicariis Capitularibus iuxta modum a Patribus Tridentinis definitum colligitur ex *Cap. 10. Sessio 23. de Ref.* Quo super argumento ne pigeat audire Giraldium *Ius Pontif. P. II. sect. 100.* ita affabre scribentem: « In *Cap. 10.* » *sess. 7.* statuerat Synodus Tridentina, ne liceret Capitulis eccle- » siarum intra annum a die vacationis Sedis ordinandi licentiam » aut literas dimissorias, seu reverendas alicui concedere vigore » tam iuris communis, quam privilegii, aut consuetudinis, nisi » illis, qui beneficii ecclesiastici recepti seu recipiendi occasione » arctati fuerint; si secus fieret, Capitulum contraveniens ecclesia- » stico subiiceretur interdicto; et sic ordinati, si in minoribus Or- » dinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, praesertim » in criminalibus, gauderent: maioribus vero ordinati ab exsecu- » tione Ordinum ad beneplacitum futuri Praelati essent ipso » iure suspensi. In hoc autem *Cap. 10. sess. 23.* statuit, ut pro- » moti, literis dimissoriis obtentis a quovis in iurisdictione Epi- » scopo, loco Capituli, sede vacante, succedente, in easdem poe- » nas incidant contentas in dicto *Cap. 10. sess. 7.:* concedentes » autem dimissorias contra formam dicti decreti sint ipso iure » suspensi per annum ab officio et beneficio.

71. » Antequam vero (ita pergit Giraldius) afferamus decla- » rationes S. C. Conc., quae his decretis accesserunt, praemitten- » dum est, quod quamvis in allato primo decreto Concilium pro- » hibeat sub ibi enuntiatis poenis Capitulo cathedralis, sede va- » cante, concedere infra annum dimissorias non arctatis, quia » tamen idem Concilium *Cap. 16. sess. 24. de Reform.* praecipit » Capitulo cathedralium, ut infra octo dies post mortem Episcopi » constituat Vicarium Capitularem, ideo dictas dimissorias conce- » dere nequit per se ipsum tam arctatis intra annum, quam non » arctatis post annum, sed dumtaxat per electum a se Vicarium, » ad quem privative, non cumulative cum eodem Capitulo hu- » iusmodi iurisdictio spectat, ut ex declaratione Congregationis

» Concilii in *Neritonen.* 17. Sept., et *Hydruntina* 1. Oct. 1655., » etiamsi electus fuisset (ut olim ex sensu eiusdem S. Congrega- » tionis vigebat opinio) cum hac vel alia restrictione facultatis, » quam hodie Capitulum, attentis posterioribus ipsius Congrega- » tionis resolutionibus relatis a Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. IV.* » *cap. 8. num. 10.* nequit coarctare, neque sibi in minima qui- » dem parte reservare (1).

» His praenotatis, plura orta sunt dubia circa dimissorias » concedendas a Vicario Capitulari intra annum sedis vacantis, et

» I. An eas concedere possit ad primam tonsuram non arctato?

» II. An itidem pro assequenda pensione?

» III. An laico praesentato ad beneficium simplex de iure » patronatus, sub conditione, quod intra quadrimestre tonsura » initietur?

» IV. An habenti beneficium cum onere et lege fundatoris » Missas per se ipsum celebrandi?

» Ad I. Congr. Conc. in *Burgen.* 10. Feb. 1594. censuit « *pos-* » *se* », et hoc, attenta eiusdem Congregationis mente, qua, prout » refert Gallemart ad *Cap. 10. sess. 7.*, censuit, caput hoc non » comprehendere primam tonsuram.

» Ad II. censuit « *Non posse* » etiam de licentia Nuntii Apo- » stolici, dummodo hic specialem hanc facultatem non habuerit: » in *Burgen.* mense Maii (ut in lib. 4. decret. p. 265.) Et merito » quidem; cum enim Concilium impertiatur Vicario Capitulari fa- » cultatem concedendi dimissorias intra annum sedis vacantis ar- » ctatis dumtaxat ratione beneficii recepti vel recipiendi, pensio » vere et proprie non est beneficium, nec regulariter, praecipue » in materia odiosa, et stricte intelligenda non venit beneficii » appellatione cap. IV. *Quamvis de praebend.* in VI, ideoque con- » secuturus pensionem non dicitur arctatus ratione beneficii, ut » praescribit Tridentinum.

» Ad III. In *Squillacen. 1549.* respondit: « *Affirmative* ». Nec » videtur ullum fuisse dubitandi locum: quandoquidem Triden- » tinum indistincte loquens de arctato ratione beneficii, non ex- » clusit beneficium simplex. Ceterum cum agatur de sola prima » tonsura, iam satis provisum fuisset in allato responso ad I. dub.

---

(1) Constitutionem s. m. Pii PP. IX. de hac materia die 28. Aug. 1873. datam trademus infra pag. 181.

» Ad IV. In *Ripana* mense Martii 1634. respondit: « *posse* »
» ut lib. 16. decret. pag. 516.

72. » Nota primo, posse eas expedire intra dictum annum iis,
» quibus ab Episcopo in mortis articulo concessae fuerint ad ef-
» fectum se promoveri faciendi, etiam intra praefatum annum,
» ut declaravit S. C. Conc. in *Mexicana Lit. dimiss.* 24. Apr. 1700.
» (Decret. lib. 50); harum enim concessio, cum sit gratia, non ex-
» spirat morte concedentis, vel per renuntiationem episcopatus ex
» declaratione *S. C. Episc. et Regul. in Orien.* 12. Nov. 1600.,
» relata a Passerino in *Cap. cum nullus n.142. de temp. ordin.*
» in VI. Sicuti non exspirant, si concessae fuerint ab eodem Vica-
» rio Capitulari, licet cessaverit eius iurisdictio, nisi per succes-
» sionem in episcopatu revocentur: quod tamquam definitum a
» Congregatione Concilii tradit cum Barbosa et Navarro idem Pas-
» serinus loco citato.

» Nota secundo, eumdem Vicarium Capitularem, elapso anno
» sedis vacantis, posse dispensare super interstitiis, sicut et cum
» arctatis infra annum ex declaratione S. C. C. in *Astoricen.* 21.
» Apr. 1591., et in *Acheruntina* 26. Apr. 1602. »

Tertio loco notat Giraldius, Vicarium Capitularem non posse etiam elapso anno, dimissorias concedere ordinandis ad titulum patrimonii vel pensionis, cum id reservatum sit Episcopo a Tridentino cap. 2. Sess. 21. de Reform.; neque easdem concedere infra annum, licet Capitulum territorium haberet distinctum et separatum, in quo iurisdictionem ordinariam exerceat. Item non posse easdem concedere infra annum aliquam dignitatem Capituli, quae forte vigore immemorabilis consuetudinis aut privilegii Apostolici in omnimodam Episcopi iurisdictionem succedat. (S. C. Concilii in *Gerunden.* 28. Iul. 1583., Riganti *Comm. ad. Reg. Canc. tom. 2. Reg. 24.* §. *3. pag. 411. 189.*). Praeterea notat idem Giraldius, Vicarium Capitularem dimissorias infra annum concedentem non arctato incurrere poenas a Conc. Trid. statutas *Sess. 7. c. 10. de Reform.* (1) etiamsi ille, cui traditae fuerint, dimissoriis ipsis

(1) Ubi Tridentinum non est receptum, poterit Vicarius intra annum Sedis vacantis concedere dimissorias etiam non arctatis ex dispositione iuris communis expressa in Decretali Bonifacii VIII. relata in cap. III. *Cum nullus*, de temp. ordin. in VI., cui tamen Decretali, ubi Tridentinum est receptum, derogatum est ab eodem.

usus haud fuerit; nam actus fuit perfectus respectu concedentis, per quem non stetit, quin sequeretur effectus. Quae poena est latae sententiae propter verbum illud *subiaceat*, quod est praesentis temporis. Et licet non sit reservata, non potest tamen absolvi a simplici confessario, sed ab Episcopo successore. *(Thesaurus*, de poenis eccl. cap. 19. verb. *Ordo)*. Denique notat, clericum sic promotum in minoribus Ordinibus non incurrere suspensionem, tanquam ordinatus fuisset sine licentia proprii Episcopi, sed privationem dumtaxat privilegii clericalis, in quam suspensio commutata est a Concilio.

73. At vero Vicarii Apostolici a Summo Pontifice, vel S. C., Episcopali Sede vacante, deputati nequeunt nisi post annum, et intra annum coarctatis ratione beneficii dimissorias concedere ad instar Vicariorum Capitularium (*S. C. Episc. et Regul.* apud Nicol. *Flosc.* verbo *Vicar. Apostolicus*, Honorantes *l. c. cap. 6. pag. 75. et 76.*). Hanc vero potestatem Vicariis Apostolicis auferri consuevisse notat cum Nicolio et Monacello idem Honorantes loc. cit.

Quod si Vicario Apostolico facultas indulta fuerit concedendi dimissorias, ea per ipsum communicari non potest Pro-Vicario, etiam in absentia a dioecesi, ut definivit S. C. Conc. in *Aquilana* 7. Sept. 1720. et 28. Mart. 1722.

Vicario tamen Apostolico, qui fuit Episcopo deputatus, interdictum non est, sede episcopali vacante, dimissorias concedere; licet enim Episcopus demortuus fuerit, eius iurisdictio non exspirat, ut demonstrat Honorantes *(l. c. p. 76.)* adducens plures SS. CC. declarationes; adeoque si haec facultas in Brevi Apostolico sibi ablata non fuerit, poterit utique eamdem exercere.

74. Ad hoc argumentum pertinent aliqua ex dubiis propositis in *Elven. Iurisdict.* 1. Dec. 1736. Septem ibi erant, quae sequuntur: « 1. An possit Capitulum, sede vacante, post electum » Vicarium a spiritualibus ac temporalibus deputare alium toties, » quoties sibi placuerit ad aliquid faciendum in officio iurisdi- » ctionis translatae, ipsam iurisdictionem reassumendo? 2. An pos- » sit Capitulum per se ipsum dare subditis chartas testimonia- » les vel reverendas ad Ordines suscipiendos, vel debeant dari » per Vicarium Capitularem. 3. An Capitulum possit in deputa- » tione Vicarii Capitularis dare iurisdictionem limitatam, et possit » in hoc casu attendi consuetudo regni Lusitaniae? Et quate- » nus affirmative: – 4. An possit reservatam iurisdictionem alicui

» alteri committere, vel illam debeat per seipsum exercere? 5. An » possit Capitulum dare subditis attestationes de vita et moribus » per seipsum, vel debeant dari a Vicario Capitulari? 6. An possit » Capitulum iubere Vicario Capitulari, ut det tales attestationes, » vel debeant pendere ab arbitrio Vicarii Capitularis? 7. An in » concursu parochialium debeat intervenire arbitrium Vicarii Ca- » pitularis, vel debeat pendere ab arbitrio Capituli, facto con- » cursu in praesentia Capituli, vel in absentia, et an debeat » attendi consuetudo regni in casu? » S. Congregatio Concilii respondit: « Ad 1. Negative. Ad 2. Negative quoad primam partem, » Affirmative quoad secundam. Ad 3. Negative. Ad 4. Provisum » in tertio. Ad 5. Negative quod primam partem, Affirmative quoad » secundam. Ad 6. Negative. Ad 7. Affirmative quoad primam » partem ad formam iuris; in reliquis Negative. »

75. Quod pertinet ad subditos, qui alieno Episcopo remittuntur sacris Ordinibus initiandi, praestat afferre, quae tradit Lambert. in *fol. caus. Elboren. Dub.* §. *Iuxta,* ad diem 2. August. 1721. « Iuxta idem Conc. *(Sess. 23. c. 3. de Reform.)* Episcopi, qui sub- » ditos suos dimittunt ordinandos ad alium Episcopum, debent » eos dimittere probatos et examinatos, et cohaerenter ad haec » invaluit opinio, quod Episcopus, cui facta est commissio, non » tenetur inquirere, an dimissi sint idonei, et an habeant suf- » ficientem titulum pro ordinatione, ut habet Fagnan. in *Cap.* » *Cum secundum n. 52. de Presb. et Dign.,* licet inquirere pos- » sit, si velit, iuxta resolutionem huius S. C. in una *Nullius* 16. » Ianuar. 1595. *(Lib. 7. decret. pag. 80. a tergo)* ubi proposito » dubio: – An Episcopus ordinans alienos subditos saeculares cum » dimissoriis proprii Episcopi asserentis, eos examinatos fuisse et » idoneos repertos, teneatur huiusmodi attestationi deferre, vel » etiam possit eosdem ordinandos examinare? – responsum fuit: » – Posse Episcopum ordinantem, si voluerit, attestationi proprii » Episcopi deferre, sed non teneri. – Et concordat alia resolutio » super dubio ordinationis edita die 17. Ianuar. 1693. » *(Lib. 43. decret. pag. 71.)*

76. Haec fuit etiam resolutio ad 3. dub. in causa *Elboren. Dub.* 23. Aug. 1721. mox memorata, ubi agebatur de Episcopo Patarensi suffraganeo, seu auxiliari Episcopi Elborensis. Dubium ita conceptum erat: « An idem Episcopus auxiliaris teneatur in- » quirere, utrum circa illos, qui sibi ab Ordinario, seu Capitulo

» proponuntur, seu dimittuntur ordinandi, satisfactum sit Con-
» stit. *Speculatores*, non obstante quod ipsi non competat habi-
» litare et expedire ordinandos, sed provisori Capituli, a quo non
» in genere, sed expresse personae habiles et expeditae proponun-
» tur? » S. C. rescripsit: « Non teneri inquirere, sed posse et de-
» bere, iusta subsistente causa, se abstinere ab ordinatione. »

77. Quamvis autem Episcopus alienum subditum ordinaturus, possit hunc iterum examini subiicere, tamen monet Girald. *Ius Pont. P. II. sect. 90.*, non esse conveniens, ut id faciat, ad vitandum absurdum, ne a diversis Episcopis eumdem approbari et reprobari contingat. Et si eidem Episcopo iusta dubitandi causa subesset, quod ordinandus qualitates necessarias non praeseferat, satius fortasse videretur, ab ordinatione sese abstinere, ut in mox allata *Elboren.* edixit S. C. Conc.

Ceterum potest Episcopus proprius « tum dare literas dimisso-
» rias, et ordinandum subiicere suo examini, si ita sibi videbitur:
» et si (ordinandi) absentes sint, examinis causa ad se vocare:
» tum, si commodum id non erit, eorum examen committere Ordi-
» nario loci, in quo illi degunt et ordinandi sunt, ut eadem decla-
» ravit S. C. Conc. mense Decembri 1587. apud Girald. *l. c. in fin.*

78. Subditus, qui ab alieno Episcopo sine proprii Episcopi dimissoriis ordinatur, ipso facto incidit in poenas suspensionis ab Ordinibus, sive maioribus sive minoribus, usque dum proprio Ordinario ita videtur expedire (*Sess. 6. c. 5. sess. 23. cap. 8. de Reform.*) S. Pius V. Constit. *Ex sacrorum.* Non desunt, qui eamdem poenam contra eumdem sancitam opinentur, qui prima tonsura initiatus est. Girald. *Ius. Pont. P. II. sect. 103.*

Episcopus vero, qui alienum subditum nullis proprii Episcopi dimissoriis acceptis ad Ordines promoverit, si id egerit scienter, et ex ignorantia affectata, per annum ab Ordinum collatione ipso facto suspensus est ex *Cap. 2.* Eos qui *de temp. Ord. in 6.* et Conc. Trid. *Sess. 23. c. 8. de Ref.;* quin imo etiam Episcopus, qui proprio subdito sine testimonialibus Episcopi illius loci, quo forsan subditus ille domicilium habuerit, Ordines conferre praesumpserit, in eamdem incidit poenam ex praescripto Constit. Innoc. XII. incipien. *Speculatores.* Si quis autem alieno subdito sine proprii Episcopi dimissoriis primam tonsuram contulerit, suspensus erit per annum a collatione primae tonsurae ex *Cap. 4. Nullus de Temp. Ord. in 6.* Girald. *l. c.*

Dimissoriae non exspirant morte concedentis; adeoque Episcopus, cui literae eaedem missae sunt, potest Ordines conferre alieno subdito, etiamsi Episcopus dimittens interim demortuus fuerit, dummodo videlicet ordinandus de cetero qualitatibus per sacros canones praescriptis praeditus sit: in hunc enim sensum rescripsit S. C. Episc. et Regul. Archiepiscopo Tarentino die 21. Nov. 1600. (Ex regest. S. C. ad eum annum.)

Non potest Episcopus sine rationabili causa tonsuram denegare ei, qui ad aliquod beneficium nominatus est. Cum enim Ordinarius eam denegasset Vincentio NN., qui ad canonicatum quemdam fuerat nominatus, et hic ad S. C. Episc. et Regul. reclamasset, sacer Ordo, audita Ordinarii relatione, huic rescripsit, rationes denegationis iustas et rationabiles fuisse visas, ut pro nunc tonsura eidem Vincentio retardari posset, minime vero, ut absolute et in perpetuum denegaretur; adeoque dandum esse eidem congruum temporis spatium, quo sui specimen exhibere posset, et interim contra eum circa canonicatum tempora non currere. (*Eugubina* 18. Iulii 1803. Reg. S. C. ad hunc annum.)

APPENDIX.

Pii IX. Constitutio super Vicariis Capitularibus necnon electis et nominatis ad Sedes episcopales vacantes.

« Romanus Pontifex, pro munere sibi divinitus collato regendi ac gubernandi universam Christi Ecclesiam, non solum sacrorum canonum observantiam urgere, sed etiam illorum certum et authenticum sensum declarare satagit, si quando quidpiam dubitationis in aliquo occurrat, ne diversis interpretationibus materia praebeatur, atque inde ecclesiasticae disciplinae unitas rumpatur, cum magno ecclesiastici regiminis detrimento.

» Sane iuxta antiquam ecclesiae disciplinam, sede episcopali vacante, dioecesis administratio ad Capitulum cathedralis ecclesiae devolvitur; quod olim per se ipsum dioecesim, toto tempore, quo sedes vacabat, administrare poterat, vel uni aut pluribus dioecesim administrandam committere, libera eidem relicta potestate deputatos eligendi, eisque delegatam iurisdictionem, sive quoad usum, sive quoad tempus arctandi et constringendi.

» At vero Concilii Tridentini Patres animadvertentes gravissima, quae passim oriebantur incommoda ex administratione vi-

duatae ecclesiae coetui personarum diversi fere ingenii concredita, ad ea vitanda sapienter decreverunt: ut « Capitulum, sede » vacante, officialem seu Vicarium, infra octo dies post mortem » Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino tenea- » tur, qui saltem in iure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel » alias quantum fieri poterit idoneus. Si secus factum fuerit, ad » Metropolitanum deputatio huiusmodi devolvatur, et si ecclesia » ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulumque, ut prae- » fertur, negligens fuerit, tunc antiquior Episcopus ex suffraga- » neis in Metropolitana, et propinquior Episcopus in exempta, » Vicarium possit constituere » (Sess. 24. cap. 16. *de Reform*).

» Huiusmodi vero Decretum varie interpretati sunt privati canonicarum rerum scriptores. Quidam enim censuerunt, posse Capitulum in constituendo Vicario aliquam iurisdictionis partem sibi reservare; alii putaverunt, fas esse Capitulo ad certum tempus Vicarium deputare; nec defuerunt, qui arbitrati sunt, licere Capitulo, Vicarium pro arbitrio removere, et alium substituere.

» Recensitae scriptorum sententiae a nonnullis Capitulis libenter exceptae sunt: quo factum est, ut in hac re tam magni momenti disciplinae uniformitas deficeret, et Tridentinum Decretum optatum finem plene non attingeret. Quamvis autem Sacrae Urbis Congregationes has sententias, suis responsis in casibus occurrentibus, pluries reprobaverint, ita ut ex earum responsis manifeste appareat, quae fuerit mens Patrum Tridentinorum in edendo Decreto superius relato; attamen cum nondum omnia ubique ad eam mentem exigi videamus, ad submovendam prorsus quamlibet dubitationis causam vel obtentum, iisdem responsis et declarationibus Apostolicae auctoritatis robur adiiciendum censemus. Quocirca motu proprio, ac certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae Potestatis plenitudine declaramus et decernimus: totam ordinariam Episcopi iurisdictionem, quae vacua sede Episcopali ad Capitulum venerat, ad Vicarium ab ipso rite constitutum omnino transire; nec ullam huius iurisdictionis partem posse Capitulum sibi reservare, neque posse ad certum et definitum tempus Vicarium constituere multoque minus removere, sed eum in officio permanere quousque novus Episcopus Litteras Apostolicas, de collato sibi Episcopatu, Capitulo, iuxta Bonifacii VIII. Praedecessoris Nostri Constitutionem (Extravag. *Iniunctae* de electione inter comm.), vel Capitulo deficiente, ei

exhibuerit, qui, ad normam sacrorum Canonum, vel ex speciali S. Sedis dispositione, vacantem dioecesim administrat, vel eiusdem Administratorem seu Vicarium deputat.

» Quamobrem pro nullis habendae sunt limitationes, seu quoad iurisdictionem, seu quoad tempus adiectae a Capitulo electioni Vicarii Capitularis, qui idcirco, iis non obstantibus, officium semel sibi rite collatum toto tempore, quo sedes Episcopalis vacua fuerit, totamque ordinariam iurisdictionem Episcopalem libere et valide exercere perget, donec novus Episcopus Apostolicas canonicae suae institutionis Litteras, ut diximus, exhibeat.

» Hac autem occasione declaramus etiam et decernimus, ea, quae a Gregorio X. Decessore Nostro, in Concilio Lugdunensi 2° de electis a Capitulis constituta sunt (Cap. *Avaritiae* de Electione in 6.), comprehendere etiam nominatos et praesentatos a supremis publicarum rerum moderatoribus, sive imperatores sint, sive reges, sive duces, vel praesides, et quomodocumque nuncupentur, qui ex S. Sedis concessione, seu privilegio iure gaudent nominandi et praesentandi ad sedes Episcopales in suis respectivis ditionibus vacantes; abolentes idcirco, cassantes et penitus annullantes usum, seu potius abusum sub quovis titulo, vel praetenso et asserto privilegio, quaesito colore, et quacumque causa, licet speciali et expressa mentione digna, in quibusdam regnis seu regionibus praesertim longinquis invectum, quo Capitulum ecclesiae cathedralis vacantis obsequens invitationi seu mandato, licet verbis deprecatoriis concepto, supremae civilis potestatis concedere et transferre praesumit, ac de facto concedit et transfert in nominatum et praesentatum ad eamdem ecclesiam illius curam, regimen et administrationem, eamque nominatus et praesentatus sub nomine Provisoris, Vicarii generalis, aliove nomine gerendam suscipit ante exhibitionem Litterarum Apostolicarum, uti superius dictum est, de more faciendam, remoto proinde Vicario Capitulari, qui ex iuris dispositione toto tempore vacationis ecclesiae eam administrare, ac regere debet. Confirmantes autem alia etiam decessorum Nostrorum, et praesertim s. m. Pii VII. decreta et dispositiones, declaramus et decernimus, ut si interea Vicarius Capitularis decesserit, aut sponte sua muneri renuntiaverit, aut ex alia causa officium ipsum legitime vacaverit, tunc Capitulum, vel Capitulo deficiente, qui potestatem habet deputandi vacantis ecclesiae administratorem seu Vicarium, novum

quidem Vicarium, vel administratorem eligat, nunquam vero electum in Episcopum a Capitulis, aut a laica potestate nominatum seu praesentatum ad dictam ecclesiam vacantem, cuius electionem ac deputationem, si eam Capitulum, vel alius, uti supra, peragere praesumpserit, cassamus, annullamus, et omnino irritam declaramus.

» Confidimus autem, Dignitates, et Canonicos cathedralium ecclesiarum vacantium, ac illos, qui, deficientibus Capitulis, Vicarios deputant, aut vacantes ecclesias legitime administrant, plene exsequuturos quae hisce Nostris Litteris declarata et decreta sunt; ubi vero, quod Deus avertat, ea exsequi detrectaverint, ac concedere et transferre in nominatum et praesentatum ad eamdem ecclesiam eius curam, regimen et administrationem sub quovis titulo, nomine, quaesito colore ausi fuerint, praeter nullitatem iam decretam praedictae concessionis et translationis praefatos Canonicos ac Dignitates excommunicationis maioris, nec non privationis fructuum ecclesiasticorum Beneficiorum quorumcumque, aliorumque redituum ecclesiasticorum per eos respective obtentorum, similiter eo ipso incurrendis poenis innodamus, et innodatos fore decernimus et declaramus; ipsarumque poenarum absolutionem seu relaxationem Nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti dumtaxat specialiter reservamus.

» In easdem poenas pariter reservatas ipso facto incurrunt nominati et praesentati ad vacantes ecclesias, qui earum curam, regimen et administrationem suscipere audent ex concessione, et translatione a Dignitatibus et Canonicis aliisque, de quibus supra, in eos peractam, nec non ii, qui praemissis paruerint, vel auxilium, consilium aut favorem praestiterint, cuiusque status, conditionis, praeeminentiae et dignitatis fuerint.

» Praeterea nominatos et praesentatos iure, quod eis per nominationem et praesentationem forte quaesitum fuerit, decernimus eo ipso privatos.

» Si vero aliqui ex praedictis Episcopali charactere sint insigniti, in poenam suspensionis ab exercitio Pontificalium, et interdicti ab ingressu ecclesiae ipso facto, absque ulla declaratione incidunt, S. Sedi pariter reservatam.

» Insuper quaecumque a sic nominatis et praesentatis in administratione vacantium ecclesiarum intrusis fiant, mandentur, decernantur et ordinentur cum omnibus et singulis inde quovis

modo sequutis, et quomodocumque sequuturis omnino nulla, invalida, inania, irrita, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, et de facto praesumpta, nulliusque valoris, momenti et efficaciae esse, et perpetuo fore tenore praesentium declaramus et decernimus, illaque damnamus et reprobamus.

» Haec volumus, statuimus, ac mandamus, decernentes has Nostras Litteras et omnia in eis contenta nullo unquam tempore a nemine cuiusque conditionis, et dignitatis etiam Imperialis et Regiae, sub quovis titulo, quaesito colore, ac praetenso et asserto privilegio, quod, si forte sit, cassamus et annullamus, infringi, impugnari, vel in controversiam revocari posse, sed semper firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus semper sortiri et obtinere debere. Non obstantibus Apostolicis generalibus vel specialibus Constitutionibus et ordinationibus, ac Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, praesertim *de iure quaesito non tollendo*, caeterisque etiam speciali mentione dignis contrariis quibuscumque.

» Volumus autem, ut facta harum litterarum publicatione per affixionem transumptorum ad valvas Basilicarum Urbis, omnes ubique fideles, ad quos spectat, qui quomodocumque noverint eas, prout dictum est, Romae fuisse promulgatas, ad earum exsequutionem perinde obstringantur, ac si personaliter singulis notificatae fuissent.

» Volumus pariter, ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

» Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum declarationis, decisionis, annullationis, irritationis, statuti, praecepti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis vero hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

» Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo tertio, quinto kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno vigesimo octavo. »

F. Card. Asquinius. G. Gori, Subdatarius.

Art. II. De quatuor causis, quibus aliquis Episcopo subditur.

Summarium. 79. Prima causa, ex qua quis subditus efficitur Episcopi, est beneficium adeptum cum conditionibus in Constit. *Speculatores* assignatis. Episcopus beneficii nequit beneficiatum ordinare sine dimissoriis, aut testimonialibus originis vel domicilii. Necesse non est, ut beneficium sit residentiale. Qui plura beneficia possidet, a quolibet ipse maluerit, poterit ordinari. – 80. Ad titulum beneficii statuendum pro ordinatione non sufficit locus gratuitus in seminario impetratus, neque capellania mere laicalis. Aliter est de beneficio ecclesiastico, licet amovibili ad nutum; quod ita intelligendum, ut aliter perpetuo sustentationis titulo constituendo provisum fuerit. Beneficium non exuit beneficii ecclesiastici indolem, quamvis quoad personam sit amovibile. Coadiutoria subiectionis titulum, quando sit perpetua, et congruam assignatam prae se ferat, suppeditare videtur ex resolutione causae *Elboren.* Sed minime certum id statui potest; nam alias respondit, coadiutoriam sufficere ad constituendum titulum domicilii, adeoque iuramentum praestari iussit ad formam Bullae *Speculatores.* Itaque verius est, quod coadiutor non ex beneficii, sed potius ex domicilii causa possit ordinari. Si beneficium in distributionibus totum consistat, nihilominus titulum ordinationis praebet. – 81. Secunda causa subiectionis est origo in aliquo dioecesis loco, modo non sit per accidens. – 82. Mora patris aliquo in loco accidentalis, licet longissima, non praestat filio causam subiectionis ad effectum recipiendi Ordines. Aliter est, si ibi domicilium adeptus est. Quo casu si pater ad alia loca transmigret, filius testimonialibus Episcoporum praedictorum indigebit. – 83. 84. 85. Si pater domicilium, quod noviter acquisivit, derelinquet, et ad locum originis remigret, Episcopus loci relicti non potest filium eius ordinare, vel dimissoriis prosequi: alii casus speciales referuntur. – 86. Tertia causa subiectionis est domicilium. Sed necessariae sunt testimoniales originis, vel alterius accidentalis domicilii, si promovendus eius aetatis fuerit, ut impedimenta contrahere posset. Ordinarie huiusmodi aetas videtur ultra septennium. – 87. Regula ab Honorante tradita, ut dignoscatur, an domicilium iuxta conditiones ab Innocentio traditas acquisitum fuerit. – 88. Pro acquisitione domicilii sufficit, ut conditiones praedictae adimpletae fuerint a patre, si filius sit in eius potestate. – 89. Quando patris domicilium nullatenus cognoscere ac determinare datur, potest S. C. Conc. Episcopo ex speciali mandato ordinationem committere. Si quis iniuste a proprio Episcopo repellatur, potest licite beneficium vel domicilium alibi quaerere ad finem ordinationis. – 90. Ad effectum ordinationis nequeunt simul componi duo domicilia; et quare. – 91. Dubia ac resolutiones iuramentum respicientia

penes Honorantem reperiuntur, remissive. – 92. 93. Afferuntur duo particulares casus super domicilio patris. – 94. Quaestio fit, an adolescentulus per accidens e. g. studiorum causa in seminario alieni Episcopi commorans huius testimonialibus indigeat, ut ordinari possit ab Episcopo proprio originis vel stabilis domicilii. Quidquid sit de antiquis resolutionibus, S. C. Concilii hodie sententiam affirmativam secuta est. Quod nequaquam rigide accipiendum est: non ita tamen late, ut aequipolleant literae testimoniales rectoris seminarii. – 95. Quarta et ultima causa est subiectionis triennalis familiaritas, videlicet iuxta conditiones, quae recensentur. – 96. Tempus cum Episcopo exactum ante adeptum episcopatum computatur in triennio. Non est certum, quod triennium debeat esse continuum. Conciliantur diversae sententiae, ita ut interruptio notabilis coniungi tempora non sinat. – 97. Familiaris ille dicitur, qui Episcopo inservit, cum eo vivit, ab ipso alitur. Unde nepotes et consanguinei, si non serviunt, non dicuntur familiares ad effectum, de quo agitur. – 98. Beneficium familiari conferendum potest esse simplex, dummodo sit sufficiens. Conferri debet saltem intra mensem, etiamsi hic alibi aliud beneficium iam possideat. – 99. 100. 101. Quamvis iuxta antiquas resolutiones Episcopus familiarem titulo patrimonii vel pensionis possit ordinare, idque etiam post editam Constit. *Speculatores* valere Giraldius aliique sentiant, nihilominus ex recentioribus S. C. C. resolutionibus contrarium tenendum esse videtur. – 102. Declarantur casus, quando aliquis pluribus Episcopis subiectus variare possit in Ordinum susceptione. – 103. Clerico cuidam ad beneficium in aliena dioecesi possidenti ab Episcopo originis testimoniales denegari non posse, decrevit S. C. Episc. et Regul. salva tamen tum Episcopo originis facultate testificandi prout sibi videretur, tum Episcopo beneficii ordinandi clericum, vel non. – 104. Eadem S. C. diacono Sorano Neapoli in seminario degenti, ibique capellaniam assecuto, literas excardinatorias, vel dimissorias iussit concedi ab Episcopo Sorano, qui in seminario dioecesano eum commorari praetendebat, tametsi Soranus aer ei inimicus foret. – 105. Morenus et Lamperez commentarium super Bulla *Speculatores* elucubrarunt.

79. Haec de dimissoriis et testimonialibus literis erant praemittenda: modo nonnulla sectabimur de singulis quatuor causis, ex quibus aliquis Episcopo subditus fit. Primo loco venit beneficium in dioecesi assecutum, pacifice possessum, et sustentationi plane sufficiens, quin aliter defectum supplere liceat, ut ad normam ipsius Innocentianae declaravit S. C. Conc. *Romana, seu Sipont.* 28. Iul. 1718. *ad 2.* Facit ad rem etiam *Spoletana Ordin.* 20. Nov. 1756.

Notandum tamen, quod Episcopus beneficii non potest beneficiato Ordines conferre sine testimonialibus Episcopi originis, et insuper domicilii, sicubi hoc habeat beneficiatus. Vide Honorant. *Prax. Secr. Trib. Vic. cap. 8. Nota primo.* §. *Secundo. pag. 87.*

Quamvis autem ad effectum, de quo agitur, plures autument, beneficium esse debere residentiale (vide Honorant. *l. c. in fin. pag. 88.*), nihilominus S. C. Conc. in *Meliten.* 26. Maii 1598. (apud eumdem Honorantem) definivit, « sufficere, quod beneficium sit simplex. »

Si quis plura beneficia possideat in diversis dioecesibus, ab eo Episcopo, quem ipse maluerit dioeceseon illarum, poterit ordinari. Vide Honorant. *l. c. pag. 87.*

80. Positis iis, quae de Episcopo beneficii diximus, illud sequitur, ut locus gratuitus in seminario alienae dioeceseos ab aliquo ad studiorum curriculum complendum impetratus, licet accedat istius iuramentum perpetuo manendi sub iurisdictione Episcopi, cui subditur seminarium, satis non sit, ut ab hoc sine dimissoriis Episcopi originis ordinari licite possit, quemadmodum resolvit S. C. Conc. in *Spolet.* et *Reat. Ordin.* diei 11. Iun. 1840. *ad II. dub.*

Sequitur etiam, ut capellaniae laicales, quae inter beneficia ecclesiastica non accensentur, licet perpetuae sint, canonicum titulum haud praebeant, ut quis ab Episcopo, in cuius dioecesi eaedem exstant, sine dimissoriis Episcopi originis ordinari queat, prout eadem S. C. Conc. resolvit in *Tiburtina Capellaniae* 11. Iun. 1710. *(lib. 60. decret. pag. 239).* Idem confirmatum fuit post plures propositiones in *Ulixbonen. Occid.* 19. Augusti 1724. Vide etiam Honorant. *l. c. Nota quinto,* §. *Titulo, pag. 90.*

Aliter est de beneficio ecclesiastico, quamvis ex lege fundationis sit amovibile ad nutum, ut retinuit S. C. Conc. in *Pient. seu Ilcinen. Ordin.* 18. Iul. 1733. *ad 1. et 2.* Consulatur folium dictae causae §. *His positis* et seq., ubi hoc argumentum diligenter expenditur; id enim ibi potissimum ostenditur, aliud esse, an beneficium amovibile aptum sit ad titulum sacrae ordinationis seu patrimonii sacri constituendum; in quo negativa sententia sequenda est: deest enim perpetuus titulus pro sustentatione in tuto ponenda; aliud vero est, inquirere, an huiusmodi beneficium tale sit, ut beneficiatum Episcopo obnoxium faciat, ita ut ab hoc ordinari valide possit, quando videlicet aliter perpetuo sustentationis titulo constituendo provisum sit.

Ceteroquin nemo nescit, quod, tametsi beneficium ecclesiasticum rectori praebeat ius perpetuum percipiendi fructus iuxta communem beneficii definitionem, nihilominus nihil vetat, quod beneficium naturam beneficialem non exuat, quamvis statutum sit, ut rector ab eodem removeri queat: sufficit enim, ut perpetuitas ipsi beneficio inhaereat, etsi personam beneficiatam non attingat; veluti ex communi canonistarum sententia, necnon S. Rotae Romanae et S. C. Concilii auctoritate docet *folium* in *Pinnen. Benef. et Iuris pat.* 14. Maii 1859. §. *Neque* et seq. pluribus citatis declarationibus ac nominatim *Novarien. Capell.* 16. Augusti 1828.

Coadiutoria cum futura successione et assignata congrua causam legitimam iuxta resolutionem in causa *Elboren.* praebere videtur, ut coadiutor Episcopo subiectus sit, cuius in dioecesi exstat beneficium in coadiutoriam concessum; nam in *Elboren. Dub.* 23. Aug. 1721. proposita fuerunt dubia: « An coadiutor cuius-
» dam canonicatus cum futura successione et assignata congrua,
» alias exterus, eo ipso dici possit subiectus Capitulo Elboren.
» ad effectum suscipiendi Ordines absque ulla dimissoria Episcopi
» suae originis ad tramites Bullae *Speculatores* §. *Licet vero?* An
» supradicta coadiutoria sufficiat saltem, ut talis coadiutor dicatur
» habere domicilium requisitum a Constit. s. m. Innocentii XII.
» incip. *Speculatores* ad effectum suscipiendi Ordines ex eo, quod
» ex possessione talis coadiutoriae perpetuae videtur sufficienter
» demonstratus animus perpetuo manendi? S. Congr. respondit:
» Ad 1. affirmative. Ad 2. Provisum in primo. »

Nihilominus non ita certum id habendum esse putaverim; namque, veluti perpenditur in folio causae *Tarraconen. Ordinat.* 1. Iulii 1741. §. *Sane* et seq., coadiutoria spem quidem ad beneficium assequendum certissimam tribuit, atque adeo ius ad rem, minime vero titulum actu assecutum, et pacifica possessione confirmatum, seu ius in re, prout in Constit. *Speculatores* plane praescribitur. Et sane apud S. C. Conc. in memorata *Tarraconen.* dubium propositum fuit: « An coadiutores alicuius dignitatis, vel
» canonicatus cum futura successione, tam in casu, quo ipsis
» congrua portio aut pensio per coadiutum assignetur ex fructibus
» praebendae eiusdem dignitatis vel canonicatus, quam in casu,
» quo congruam portionem sibi assignatam habeant ex propriis,
» vel alterius patrimonialibus bonis, donec per obitum coadiuti

» fiat locus eorum successioni ad dictam dignitatem vel canonica-
» tum, in cuius dioecesi sunt tituli eiusmodi beneficiorum residen-
» tialium, sine literis dimissorialibus Episcopi originis, vel praece-
» dentis domicilii ad ordines possint promoveri? » S. C. respondit,
« coadiutoriam canonicatus vel dignitatis sufficere, ut coadiutor
» dicatur habere domicilium requisitum in Constit. *Speculatores*.»

Cum tamen, ceu legitur in folio eiusdem causae iterum propositae die 16. Dec.1741., non in unam eamdemque sententiam convenissent Emi Patres, ad novum examen dubium superius exscriptum redire debuit, ac resolutio in suspenso eo die remansit; quia, ut colligitur ex folio eiusdem causae tertio propositae die 18. Apr. 1744., paribus Emi Patres distrahebantur suffragiis. At vero in tertia hac propositione resolutio diei 1. Iulii 1841. plane confirmata est his verbis: « In decisis praestito iuramento ad for-
» mam Bullae *Speculatores* et amplius » (scilicet non proponatur). Ex his igitur, quae exposita sunt, satis elucescit, quod coadiutoria canonicam ordinationis suscipiendae causam praebeat non iam ex titulo beneficii perinde ac si eo comprehenderetur, sed potius ex titulo domicilii, quod coadiutor in dioecesi, ubi adiumentum praestat, legitime acquisiverit, ut explicat Honorantes *Prax. Secretar., Trib. Vic. cap. 8. Nota nono.*

Et, si beneficium in distributionibus omni ex parte consistat, nihilominus canonicam causam suppeditat, cur aliquis ratione beneficii queat ab Episcopo ordinari, cuius in dioecesi beneficium ipsum constitutum est. (Cfr. Honorantes l. c. *Nota secundo*, p.88.). Porro in beneficiis titulus beneficii distinguitur a praebenda. Iamvero in hoc casu beneficiatus vere et realiter titulum possidet; etiamsi loco praebendae distributiones lucretur.

81. Secundo loco aliquis Episcopo subditus est ratione originis, quando naturaliter ortus sit in eius dioecesi, modo tamen id non evenerit ex accidenti. Et sicubi ex accidenti tamdiu moratus fuerit, ut canonicum inibi impedimentum contrahere potuerit, necessariae eidem sunt Episcopi dioecesis illius testimoniales ad Episcopum originis datae; quod si pater in aliena dioecesi domicilium de iure plene contraxerit, tunc non origo, sed domicilium recens attendi debet: quae quidem ex aperta sanctione Bullae Innocentianae colliguntur. Super filiis alicubi naturaliter aut per accidens ortis Honorantes (l. c. cap. 1. p. 16.) hanc regulam constituit. « Unde regula generalis pro invenienda

» ad Ordines origine, haec est: nato filio, vel pater eo tempore
» alicubi domicilium habebat, vel non? Si domicilium habebat,
» filius erit originarius paterni domicilii, sive in eo natus sit, sive
» non: si pater nullibi tempore nativitatis filii domicilium con-
» traxit, originarius erit loci paternae naturalis originis, idest
» loci, in quo pater naturaliter ortus est, nisi pater in loco, ubi
» filius ex accidenti natus fuerit, sedem postea domicilii de iure
» contraxerit, quod tum ex praedicta Constit. *Speculatores*, tum
» ex dictis abunde constat. »

Memoratus auctor plura dubia proponit, enodatque (loc. cit.) de origine illegitimorum, expositorum, libertorum et libertinorum; agit etiam de neophytis et descendentibus ex Iudaeis, quos heic instituta brevitatis ratio enucleatim recensere non patitur; quamquam ad neophytos quod attinet in paragrapho de postulatis in specie, causam quamdam eo de argumento integram afferemus. Etiam Giraldius consuli potest *Ius Pont.* P. II. Sect. 96. p. 949.

82. Regulam antecedenti numero ab Honorante traditam aliquibus exemplis confirmare suscipimus. Primo origo matris ad effectum recipiendi Ordines minime suffragatur, quia filius solummodo patris, minime vero matris originem sequitur. Ferraris verbo *Ord. art. 3. n. 19.*, S. C. C. in *Dub. Ordin.* 16. Febr. 1705. dub. 1., apud Zambon. verbo *Sacr. Ord.* art. 2. n. 28. tom. 5. p. 268. Si pater in loco maternae filii originis, ubi hic natus sit, sedem suam posuerit ita, ut ibi suum domicilium statuisse dici possit, tunc filius idem Episcopo loci illius subiectus erit, ab eoque valide ordinari potuerit, ut tenuit S. C. Conc. in *Viterbien.* 12. Maii 1753.

Quamvis ex mora accidentali aliquo in loco ducta pater ibi domicilium non acquirat, et filius ibidem natus Episcopo loci non subiaceat, ne excepto quidem casu, quo per longissimum tempus mora protracta fuerit, S. Congr. Conc. in *Fanen. Legati*, 20. April. 1771. §. *Civilitas, Roman. seu Tudert.* 13. Iulii 1771. §. *Neque*, Rota Decis. 312. num. 17. p. 9. *Rec. Pampil. Admis.* 14. Iun. 1742. §. 7. *coram Cunilliac.*; tamen si pater hic uxorem duxerit, bona comparaverit, et plures annos commoratus fuerit, tunc filius ipse subiectus erit Episcopo loci praedicti, et ab eodem Ordines vel dimissorias recipere debebit; ita S. C. C. in *Montisfalisci, Baln. et Tud. Ordin.* 17. Maii 1828. Hoc enim in casu praesumitur ex facto, quod ibi pater domicilium adeptus fuerit. Et, si postquam eodem in loco ea, qua dictum est, ratione man-

serit, ad alia loca transmigret, ibique moram accidentalem utique traxerit, filius literas testimoniales Antistitum locorum huiusmodi exhibere debebit, prout resolutum est in cit. *Montisfalisci Balne. et Tud.*, ubi S. C. tametsi rescripsisset, ordinationem cuiusdam nomine Charitaei ad Episcopum Montisfalisci spectare, subdidit tamen « impetratis literis testimonialibus ab Episcopis Balneo- » regien. et Tudertin. » Porro Charitaeus in dioecesi Montisfalisci natus erat, ubi pater decem annis commoratus fuerat, bona stabilia coemerat, uxorem duxerat, et Charitaeum susceperat. Posthac Charitaeus Tudertum ductus fuerat, ubi, patre munus secretarii municipalis exercente, uno anno vixerat, duobus denique annis in seminario Balneoregii uti alumnus commoratus fuerat.

83. Quando vero pater novum domicilium hoc modo acquisitum relinquit, et ad locum originis redit, Episcopus domicilii relicti non potest filium ordinare, vel dimissorias eidem tradere; si fecerit, ordinatio illicita declaranda erit, uti tenuit S. C. Conc. in *Valven.* seu *Sulmonen.* 22. Mart. 1732. dub. 1. Huius causae species huiusmodi erat: Bernardinus a Castro Monte Valvensis dioecesis oriundus, in dioecesim *Nullius* S. Mariae de Casanova pharmacopaeam artem exerciturus sese contulerat, ibique ex uxore itidem Valvensi susceperat anno 1707. Franciscum, qui in libro baptizatorum descriptus fuerat: *Natus a Bernardino de Fulgentiis de Castro Monte.* At anno 1713. Bernardinus pater cum filio Francisco in Valvensem dioecesim remigraverat. Filius proinde an. 1715. tonsuram, anno 1728. duos minores Ordines ab Episcopo Valvensi acceperat, itemque beneficium ibi anno 1730. assecutus fuerat. Anno 1731. reliquos minores Ordines, ac etiam omnes maiores ab Episcopo titulari Theate commorante cum literis dimissoriis Vicarii Generalis *Nullius* S. Mariae de Casanova obtinuerat: itaque haec ordinatio ab Episcopo titulari peracta illicita declarata est, ac Franciscus suspensus fuit, usque dum Episcopo Valvensi visum fuisset. Consulatur Honorantes loco citato cap. 9. *Nota secundo*, pag. 98. in fin.

84. Pater Benedicti Mannelli ortus erat Vico Aquensi, ibique bona stabilia possidebat; onera municipalia pensitabat, et ad Syndaci munus tamquam civis electus quandoque fuerat. At vero a triginta et quinque annis Neapoli commorabatur artem argentariam, et gemmariam exercens, ibique Benedictum susceperat ex Neapolitana, quam duxerat, uxore. Orta controversia inter

Archiepiscopum Neapolitanum et Episcopum Vici Aquensis: « Ad » quem spectat ordinatio Benedicti? » S. C. respondit: « Spectare » ordinationem ad Episcopum Vici Aquensis cum testimonialibus » Emi Archiepiscopi Neapolitani et amplius. » (*Neapolitana seu Vici Aquen.* 12. Mart. 1718.). In hac porro causa Episcopus Vici Aquensis pluribus rationum momentis ostendebat, quod pater Benedicti numquam animum dimisisset relinquendi domicilium originis. Idipsum firmatum fuit, praevio recessu a decisis in *Caputaquen.* seu *Neapolitana* 8. Febr. 1722., necnon in *Neapolitana*, seu *Anglonen. Ordinat.* 29. April. 1702. (Lib. 52. *decret.* p. 162.).

85. At si pater in alieno loco, idest extra locum originis moram trahens filium generat, ibique eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de iure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem legitime contractum pro ordinatione eiusdem filii debet attendi; *Romana* seu *Sutrina Ordin.* 17. Mart. 1708. (Lib. 58. *decret.* pag. 98.). *Pisana* seu *Clusina Dub. ordin.* 25. Ianuarii 1732.

86. Tertiam subiectionis erga Episcopum rationem constituit stabilem certumque in eius dioecesi domicilium, ita tamen, ut si ordinandus e loco originis ea aetate discesserit, qua aliquo potuerit impedimento irretiri, vel alio loco per accidens per notabile tempus commoratus fuerit, tunc testimoniales Episcopi originis, vel domicilii accidentalis eidem necessariae sunt; prouti in Constitutione *Speculatores* edicitur. Honorantes (l. c. cap. 9. *Nota decimo* pag. 103.) ea in sententia est, ut aetas ad impedimenta contrahenda capax ea sit, quae infantiam, seu septennium excesserit; talis enim aetas doli capax esse iam potest, et insuper communis doctrina tradit, eius aetatis adolescentulos censuras a iure, vel homine statutas incurrere posse.

87. Quoniam vero Innocentius XII. ad acquirendum stabile domicilium aliquo in loco statuerit, ut per decennium inhabitaverit, vel maiorem bonorum partem cum domo ibidem posuerit, ac notabili tempore commoratus fuerit, hinc idem Honorantes (loc. cit. *Nota primo* pag. 96. et 97.) pro utroque casu hanc regulam tradit: « Patet sensus praedictorum Constitutionis verbo» rum; disponitur namque, quod, quando quis domicilium in » aliena dioecesi constituere parat, ut ad Ordines censeatur do» micilium contraxisse, vel debet in ipso loco per decennium » commorari, hocque, sive sit persona pauper » (quae videlicet

nihil bonorum mobilium immobiliumque possideat, ut paulo superius idem auctor praemiserat), « sive non, et si bona quamplu» rima possideat, si tamen se ad locum novi domicilii transferre » noluerit, dummodo animum perpetuo habitandi ibidem habeat, » per decenniumque commoretur, domicilium ad Ordines ibi con» traxit... Si autem maiorem partem suorum bonorum rerumque » ad novum domicilium transferat, non eget per decennium inibi » commorari : sufficit enim, si aliquo tempore considerabili com» moretur, » (paulo post idem auctor loc. cit. *Nota quarto* p. 99. tradit, triennium tamquam considerabile existimari posse, argumento sumpto a triennio per Concilium determinato, ut quis Episcopus suum familiarem ordinare possit) « aedes instruat, ac ani» mum perpetuo ibidem permanendi habere iureiurando affirmet. » Verum si nulla bona, vel admodum paucissima possideat, dum» modo domum sibi construat ad habitandum, verius censent » aliqui, quod non egebit per decennium ibi habitare, sed sufficit » per considerabile tempus, ut, addita circumstantia iuramenti, » ad Ordines domicilium contraxisse inibi censeatur. »

88. Si Petrus in aliena dioecesi collocet domicilium, eumque sequatur Paulus eius filius nondum emancipatus, Episcopus domicilii potest ordinare Paulum, et sufficit, quod conditiones pro domicilio acquirendo praescriptas adimpleverit pater. S. C. Conc. in *Materanen. Ordinat.* 4. Dec. 1706. apud Honorantem loc. cit. *Nota secundo* pag. 97. Idem est multo magis, quando Paulus filius natus fuerit in loco novi domicilii a patre acquisiti : quocumque enim tempore ante vel post nativitatem Pauli immediate, vel post aliquod tempus Petrus domicilium adeptus fuerit, Paulus ordinandus est ab Episcopo huius novi domicilii, minime vero paternae originis. S. Cong. Conc. in *Neapol.* seu *Hyeracen. Ordin.* 27. Iunii 1690., et rursus die 15. Maii 1708. apud eumdem Honorant. loc. cit. pag. 97. ac 98.

89. Si canonicum patris domicilium dignoscere non datur, potest S. C. Conc. alicui Episcopo mandare, ut filium patris eiusdem ordinet ; ita enim eadem praestitit in *Civit. Castellan.* seu *Aprut.* 19. April. 1704., in qua rescripsit : « Ordinarius Civitatis » Castellan. ex commissione Sacrae Congregationis ordinet ora» torem. » Consulatur Honorantes loc. cit. pag. 98.

« Licite potest quis domicilium mutare eo principaliter fine, » ut ab Episcopo novi domicilii promoveatur ad Ordines, quos

» Episcopus originis iniuste denegavit; utitur enim iure suo, et » quia, ut in casu supponitur, omnia requisita ad obtinendum » domicilium implet; et ita dicendum de illo, qui ob dictum finem » beneficium in aliena dioecesi quaerit. » (Honorantes loco citato *Nota tertio*, pag. 99.).

90. Tametsi aliquis duo vel plura domicilia legalia insimul possit obtinere, nihilominus ad effectum ordinationis duo vel plura domicilia simultanea componi nequeunt in diversis dioecesibus. Ratio est, quia ex duabus conditionibus ab Innocentio XII. praescriptis ambae convenire nequeunt in duobus vel pluribus domiciliis. Non *habitatio decennalis;* namque haec requirit animum ibidem perpetuo permanendi: non *maioris partis bonorum constitutio*, quandoquidem, si in uno loco maiorem habet bonorum partem, in altera non potest nisi minorem retinere. Ita ratiocinatur laudatus auctor loc. cit. *Nota quinto*, pag. 99.

Ad acquirendum domicilium iuxta sententiam eiusdem auctoris sufficit translatio bonorum mobilium, quamvis in domicilio relicto bona immobilia permaneant; hoc enim in casu illud semper verum est, quod immobilium istorum reditus ad locum novi domicilii transferantur, saltem moraliter; in novo quippe domicilio consumuntur. Vide Honorantem loc. cit. *Nota sexto*, p. 100.

91. Quando pater domum originariam reliquerit, et in alienam dioecesim transmigraverit ibique sedem statuerit, bona coemerit, et pro cive se gerat, si filium ab Episcopo huius dioecesis ad Ordines promoveri postulet, S. C. Conc. praecipit, ut ad tramites Innocentianae iuramentum praestet, se vere et realiter animum habere ibidem permanendi. *Tarraconen. Ordinat.* 18. Apr. 1744., in *Ugentina* seu *Hydruntina Ord.* 1. Apr. 1719. et 8. Iul. eiusdem anni, in qua insuper S. Congr. voluerat, ut pater novum domicilium per instrumentum emptionis venditionis comprobaret; et alibi passim eadem res confirmatur.

92. Quoniam vero in novo eligendo domicilio iuramenti interpositio requiritur sive a patre, cum filius in minori aetate et sub patris potestate versatur, sive ab ipso filio, quando sui iuris est, quaerit idem auctor, an pater vel filius falsum iuramentum emittens conditioni ab Innocentio praescriptae satisfaciat. Qua in re triplicem distinguit casum, et iuxta distinctionem resolvit l. c. *Nota septimo*, pag. 100. et 102., quem videre licet aeque ac paulo post *ad Nota octavo*, ubi de eo, qui iurat cum restrictione mentis,

et *ad Nota nono*, ubi de eo, qui animum permanendi ante iuramentum non haberet, habeat vero eo tempore, quo iusiurandum eliciat. Hae porro quaestiones forum internum afficiunt, de quo heic non agimus.

93. Quod si pater in novo domicilio permultis annis moram continuam duxerit, maiorem bonorum partem possideat, et domum apertam habeat, licet ad locum originis aliquando ex precaria causa redire consuescat, non idcirco S. C. hoc iuramentum exigit, ut in *Uxentina* et *Neritonen. Ordin.* 17. Iun. 1719., ubi pater iam a triginta annis domicilium posuerat; qua de re nullam ab ordinato censuram hoc in casu susceptam fuisse eadem S. C. declaravit.

94. Quaestio est, an literis testimonialibus opus sit, quando, ut saepe fit, adolescentulus in seminario alienae dioecesis studiorum curriculum conficiat. Hoc enim in spatio fieri potest, ut ibi aliquod impedimentum canonicum contrahere potuerit. Porro in utramque partem doctores disputant, et declarationes S. Congregationis afferuntur. Pro sententia negativa adest responsio conceptis verbis in *Bosanen. Iurisd.* 17. Mart. 1709. et aliis relatis a Rigantio *Ad Reg. Cancel. 24.* §. 3. tom. II. 386. pag. 193. necnon a S. C. Conc. in fol. *Spolet.* et *Reat. ordinat.* 11. Iul. 1840. §. *Ast non.* Pro affirmativa tamen opponuntur declarationes recentioris aevi, veluti in *Asculana*, seu *Montisalti* 7. Febr. 1733., *Bononien.* seu *Ferrarien.* 14. Nov. 1733. et *Lunen.* 29. Maii 1824., *Montisfalisci* 17. Maii 1828., quodque hae declarationes disciplinae apud S. S. recentius invectae magis consonae sint, traditur in *Terracinen.* 26. Ianuar. 1833. §. *Illud autem.* Huiusmodi sententiarum discrepantiam conciliat cl. me. Emus Card. Bianchi in voto, quod in dicta causa *Spolet.* et *Reat. Ordin.* 11. Iulii 1840. protulit, ubi §. *Ex duabus* auctoritatem Honorantis in *Prax. Secretar. Vic.* p. 162. et 163. sequitur ita sentientis « Episcopos teneri » quidem testimoniales literas exigere a suis subditis, qui in alienis » dioecesibus studiorum, vel alia de causa moras temporaneas » traxerunt; sed non ita rigorose, sicut exigi debent in quatuor » casibus in dicta Constitutione *Speculatores* expressis, taliter ut » possint arbitrium interponere, exigendo quidem testimoniales, » sed illorum dumtaxat Ordinariorum, in quorum dioecesibus diu» tius, et ultimo eius subditi respective permanserunt. » Id autem non ita late accipiendum est, veluti monetur in dicto voto §. *Porro*,

ut Episcopi testimonium per aequipollens, aut etiam per fidem testimonialem moderatoris seminarii suppleri posse censeatur. Porro seminarii moderator in casu, de quo agitur, homo est mere privatus, adeoque minime talis, cui publica fides ex iure adhiberi necessario debeat. In Emi Bianchi sententiam plenissime concessit S. C.; namque tametsi, inspectis circumstantiis in eo casu concurrentibus, « ordinatum et ordinantem inquietandum non esse iudicaret: in posterum vero in casibus similibus literas testimoniales exquirendas esse statuit iuxta votum Emi Bianchi. »

95. Quarta et ultima ratio subiectionis erga Episcopum est familiaritas iuxta cap. 9. Sess. 23. *de Reform.*, ex qua Episcopus alienum subditum ordinare potest, modo hunc per triennium in suo servitio secum retinuerit, eumdemque praeterea suis sumptibus aluerit: ex praescripto vero Innocentianae requiritur, ut triennium sit integrum et completum, et accedant literae testimoniales Episcopi originis seu domicilii; ut Episcopus ordinans beneficium, quod eius sustentationi plene sufficiat, saltem intra mensem a die habitae ordinationis eidem conferat; denique ut in testimonio ordinationis diserta fiat mentio tam de titulo familiaritatis, quam de testimonialibus proprii Praelati.

96. Tempus, quo aliquis cum Episcopo commoratus est ante adeptum episcopatum, utique computatur in triennio, quod a Concilio requiritur. Nam S. C. in *Catanien.* 9. Novemb. 1589. ita habet: « Episcopus non potest iuxta cap. 9. Sess. 23. *de Reform.* » familiarem suum non subditum ordinare, nisi per triennium » secum fuerit commoratus. Oritur difficultas, an in huiusmodi » triennio possit computari tempus, quo secum commoratus fuerit, » antequam ad episcopatum esset promotus. Ideo supplicat pro » resolutione. S. Cong. Conc. respondit, utique computari. » Idem resolutum fuit in *Brugnaten.* 28. Iul. 1580. et in quadam *Cephaluden.*, quas suis verbis afferunt Rigantius et Giraldius; hunc vide *Ius Pont.* P. II. Sect. 97. pag. 957. Hic auctor tradit insuper, necessarium non esse, ut triennii lapsus sit continuus seu non interruptus. At negat Honorantes *Prax. Secr. Trib. Vic.* cap. 1. *Nota duodecimo* pag. 21.; utriusque vero sententia fortasse hoc sensu conciliari potest, ut duo tempora coniungi possint, dummodo interruptio non sit notabilis.

97. Familiaris ad effectum, de quo res est, ille dicitur, qui Episcopo inservit, in eius aede commoratur, eiusque sumptibus

alitur: istae siquidem conditiones satis superque a Patribus Tridentinis et Innoc. XII. indigitantur (Vid. Girald. loc. cit. *Nota V.*). Itaque nepotes et consanguinei Episcoporum, qui sunt alterius dioecesis, licet cum eo commorentur, ab eoque ipsius sumptibus alantur, nisi insimul eidem inserviant, nequeunt sine dimissoriis proprii Episcopi titulo familiaritatis ordinari, uti expresse declaravit S. C. Conc. in *Brixien.* 11. Sept. 1608. apud Girald. l. c. et in *Leirien.* 7. Sept. 1630. dub. 5. apud Zambon. verbo *Sacra Ordinatio* Artic. 2. num. 9. tom. V. pag. 266.

98. Animadvertit Giraldius loc. cit. Nota VII. quod beneficium familiari conferendum possit esse simplex, dummodo sufficiens ad honeste vivendum iuxta taxam synodalem Episcopi ordinantis, vel, ea deficiente, iuxta morem regionis, quin, quatenus sit insufficiens, aliter suppleri possit per additionem patrimonii aut pensionis. Advertit etiam, quod intra mensem conferri debeat, quamvis familiaris alio extra dioecesim ordinantis beneficio iam potiatur.

99. Ex antiquis resolutionibus certum erat, quod familiares promoveri possent etiam ex titulo patrimonii aut pensionis perpetuae, dummodo Episcopus ita expedire censeret necessitati, vel commoditati suae ecclesiae, eumdemque ipsi adscribat. Nam S. C. Concilii in *Caietana* 24. Sept. 1592. scripsit ad Episcopum Alatrinum: « Episcopum familiarem suum, qui per triennium secum » commoratus fuerit, ad titulum patrimonii ordinare posse, si » modo Episcopus iudicaverit, illum pro necessitate vel commo- » ditate ecclesiarum suarum, iuxta cap. 2. sess. 21. *de Reform.* » ordinandum esse, quibus ecclesiis eum adscribere debebit, ut » in eis suo fungatur munere, sicuti cap. 16. sess. 23. disposi- » tum reperitur. » Girald. loc. cit. Nota VIII.

100. Idem de pensione resolutum fuit tum in *Hyeracen.* Decembris 1584. et in mense Ianuar. 1585. apud Girald. loc. cit. Nota VIII., qui insuper in eo ipso loco tuetur hasce declarationes, licet ante Constitutionem Innocentianam emissas, postmodum etiam suam retinere vim; quidquid enim in ea additum fuit, nihil derogavit iis, quae super hac re vigebant.

101. Hanc autem sententiam non esse sequendam, docet eadem S. C. Conc. in *Tricaricen.* 27. Iul. 1697., ubi, dubio proposito « An, stante novissima Constit. *Speculatores,* possit Episcopus » familiarem triennalem ad titulum patrimonii promovere ad sa- » cros Ordines ob necessitatem ecclesiae, nullo collato beneficio

» ecclesiastico? » respondit *Negative* (Lib. 47. decret. p. 331. Vide fol. in *Elboren. dubior.* ad diem 2. Aug. 1721. §. *Item.*). Idem de ordinandis titulo pensionis in eodem folio dicendum traditur ex auctoritate Monacel. *Form. Leg.* Part. I. tit. 3. form. 17. n. 1., qui ita scribit « Et quod dicitur de patrimonio, procedit in titulo » pensionis, quia haec nullum habet ius spirituale annexum, sed » consistit in mera temporalitate, sicuti patrimonium; et utrum- » que significat Conc. Trid. Sess. 22. cap. 2. *de Reform.*, quid- » quid dicendum esset, praecisa dicta Bulla de familiari triennali,» iuxta sensum antiquarum declarationum S. C. Concilii.

Quod superest, si quis alias controversias ex hoc capite derivantes, earumque resolutiones plene cognoscere expetet, adeat laudatum Honorantem loc. cit. cap. 1. *Nota duodecimo* a §. *Ceterum*, ad finem pag. 24. ac seq.

102. Quoniam vero fit, ut quis ex diversa causa diversis subiiciatur Episcopis, disputatur, an talis in Ordinum receptione Episcopum suo lubitu variare possit. In utramque partem pugnant doctores, quos tamen conciliat Card. Petra Tom. 1. ad Constit. un. Urb. II. sect. 1. n. 64., distinctione videlicet proposita, ut liceat, si variatio fiat cum bona fide, aliter si fiat in fraudem. Idem docet S. C. Conc. in *Pesan.* seu *Clusin. Dub. Ord.* 26. Ian. 1732. §. *Sed et*, afferens *Fundanam*, 27. Febr. 1666., in qua proponebantur haec dubia: « 1. An in suscipiendis Ordinibus sit per- » missa variatio, ita ut, qui ab Episcopo originis seu domicilii » tonsura, ab altero Ordinibus minoribus initiatus fuerit, possit ad » alium Ordinem minorem ab Episcopo beneficii promoveri? 2. An » sit permissa variatio ab acolythatu ad subdiaconatum? 3. An » sit permissum subdiacono in promotione ad diaconatum, vel » diacono in promotione ad sacerdotium variare? » S. C. respondit: « Variationem in unoquoque ex praenarratis casibus (dum- » modo non in fraudem fiat) licitam esse.» (Lib. 25. decret. p. 52.).

103. Duas nuperas addimus causas apud S. C. Episc. et Regul. agitatas, quae similibus, non infrequentibus casibus normam praebere queunt. Clericus ex Aquinatensi dioecesi tonsura et acolythatu ab Episcopo Aquinatensi insignitus ad beneficium sacerdotale cum residentia nominatus fuerat in dioecesi Verulana, in cuius seminario studiorum curriculum obierat. Ut igitur ab Episcopo Verulano ordinari ipse posset, ab originis Episcopo literas dimissorias flagitaverat, qui eas ipsi denegavit propterea, quod iudicio suo

vocationis signa in ipso desiderabantur, cum contra Episcopus Verulanus optimum de eiusdem scientia et moribus iudicium edidisset. Re ad S. C. Episc. et Regul. delata, perpendebatur, Episcopum originis testimoniales denegare non posse sine iusta causa ex eo, quod aliter ordinationem de iure competentem impedire posset contra repetitas Sacrarum Congregationum almae Urbis declarationes. Hinc sacer Ordo die 16. Iul. 1841. in *Verul.* et *Aquin. Ordin.* ad 1. respondit: « scribendum esse iuxta mentem, » videlicet ut ab Episcopo Aquinatensi dentur testimoniales intra » mensem ea, quae sibi videbitur, ratione modoque, relicta Epi- » scopo Verulano iudicandi potestate super ordinatione. »

104. Transitum facio ad alteram causam, quae quidem huiusmodi erat: Diaconus e Sorana dioecesi, in collegio Neapolitano alumnorum praefectus et capellania praeditus, dimissorias ab Episcopo Sorae (quae civitas Aquino coniuncta est) postulaverat, ut ad sacerdotium ab Archiepiscopo Neapolitano promoveretur; at quamvis ob inimicum aërem Soram se valetudine affectum repetere non posse comprobaret, Soranus Episcopus omnino praetendebat, ut in seminarium Soranum rediret, eaque de causa dimissorias eidem denegabat. Ad hanc rem, de qua hic agitur, probe faciebat id, quod Bened. XIV. *de Syn. dioec.* lib. XI. c. 1. §. 12. inculcat, ut, quando non adsit lex synodalis, quae in seminario dioecesano studia compleri iubeat, Episcopus ad studia in seminario episcopali obeunda clericos suaviter inducat, non vero gravissime ex praecepti eos vi cogat. Itaque S. C. in *Aquin. Ordin.* diei 16. Iul. 1841. ad 2. « Literas dari Episcopo mandavit, qui- » bus eidem convenientibus modis insinuaretur, ut diacono illi » vel literas excardinationis vel dimissorias concederet. » S. C. C. in *Neapolitana Excardin.* per Summ. precum 15. Iulii 1848. Clerico Caldosa, Neapolitano, qui ob vagas criminationum causas ab Archiepiscopo neque dimissorias neque excardinatorias literas consequi potuerat, hasce ultimas dari iussit, posteaquam pluries audito Archiepiscopo et Ordinario Caven., qui eum recipere cupiebat, plene cognovit ex plurimis testimoniis ac praesertim Emi Urbis Vicarii et Ordinarii Caven., criminationes eidem Clerico Caldosa impactas nullo fundamento nixas fuisse (1).

---

(1) Circa clericos aliarum dioecesium in Urbe commorantes et ad Ordines promovendos vide *Acta S. Sedis* vol. II. pag. 585.

105. Morenus, itemque Lamperez Commentaria in Constitutionem Innoc. XII. incipien. *Speculatores* conscripserunt, quorum opera, data opportunitate, consulere licebit.

Art. III. De ordinatione Regularium.

Summarium. 106. Hac de re magistraliter agit Bened. XIV. in Constitutione *Impositi nobis.* – 107. Arbitrium Superioribus regularibus relictum ad quemcumque catholicum Antistitem dimittendi suos subditos ordinandos, Episcopo loci ordinationes non habente, vel absente, locum etiam habet, Sede episcopali vacante. Secus est, si dioecesis *Nullius* sit; Regulares enim ordinandi dimitti debent ad Episcopum viciniorem.–108. Si Episcopus localis sine iusta causa Regulares ad Ordines admittere detrectat, patet recursus ad Apostolicam Sedem. – 109. Non desunt Regulares, qui privilegio potiuntur suos subditos, posthabito Episcopo locali, ad quemcumque catholicum Antistitem ordinandos dimittere. Honorantes amplissime doctissimeque hac de materia disserit.

106. Huiusce, quod modo versamus, argumenti ratio postulare videtur, ut aliquid de Regularium ordinatione innuamus. Iamvero singularum controversiarum capita, et praescriptiones a Romanis Pontificibus et SS. Congregationibus hac in re promulgatae, docte copioseque recensitae, confirmatae, declarataeque sunt a s. m. Bened. XIV. in Constit. *Impositi nobis* die 27. Febr. 1747. Itaque eamdem integram exhibebimus in volumine III. sub n. 19.

107. Quoniam vero in cunctis hisce dispositionibus statutum est, ut Regulares Episcopum, quem ipsi maluerint, adire possint pro Ordinum susceptione in duobus casibus, quando nempe Episcopus, in cuius dioecesi sita est religiosa domus, quam ordinandus inhabitat, vel abest a dioecesi, vel ordinationes non est habiturus, Episcopus Tirasonensis aliquibus post editam Bened. XIV. Constitutionem annis dubitavit, an Regulares ipsi hac potestate gauderent in tertio casu, quo Sedes episcopalis vacaret. Hinc in *Tirasonen. VV. SS. LL.* 13. Iul. 1782. dubium propositum fuit: « An Regulares degentes in dioecesi, ubi Sedes episcopalis vacet, » possint promoveri ad Ordines a quocumque catholico Antistite » cum literis testimonialibus suorum Praelatorum, et cum atte» statione Vicarii Capitularis testantis de Sedis episcopalis vaca» tione in casu? » Sacra Congregatio rescripsit: « Dentur decreta

» dierum 24. Augusti 1619. et 1675. sub die 20. Iulii, facto verbo » cum SSmo. »

Haec autem decreta utpote iisdem verbis repetita ad unum redigebantur, quod erat tenoris, ut sequitur ex Lib. 12. *decretorum* pag. 22. ac 23. « S. C. censuit, Superiores regulares posse » suo arbitrio itidem Regulari, qui praeditus qualitatibus requi- » sitis Ordines suscipere voluerit, literas dimissorias concedere » ad Episcopum tamen dioecesanum, nempe illius monasterii, in » cuius familia ab iis, ad quos pertinet, is Regularis positus fue- » rit, et si dioecesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordina- » tionem, vel Sedes episcopalis vacaret, ad quemcumque alium » Episcopum, dummodo tamen ab eo Episcopo, qui Ordines con- » tulerit, examinetur quoad doctrinam; et dum ipsi Regulares » non distulerint de industria concessionem dimissorialium ad id » tempus, quo Episcopus dioecesanus vel abfuerit, vel nullas ha- » biturus est ordinationes. Verum cum a Superioribus regulari- » bus, Episcopo dioecesano absente, vel ordinationes non habente, » literae dimissoriae dabuntur, in eis utique huiusmodi causam » absentiae dioecesani Episcopi, vel ordinationum non habenda- » rum exprimendam esse. Quod si Regulares ordinandi morentur » in monasterio *Nullius dioecesis*, huiusmodi dimissorias conceden- » das esse ad Episcopum viciniorem, in eoque procedere omnia, » quae de Episcopo dioecesano superius praescripta sunt. »

108. Si Episcopus, in cuius dioecesi religiosa domus continetur, sine iusta causa Ordines denegaverit, patet recursus ad Apostolicam Sedem, ut liquet exemplo sequenti. Quidam Episcopus ex eo, quod a religiosis Episcopi originarii dimissoriae ipsi non exhibebantur, eos ordinare renuebat, etsi ex sanctione Constit. *Impositi nobis* id necessarium non esse colligatur. Habito a Praelato regulari recursu ad S. Sedem, in quadam Congregatione particulari S. C. Episc. et Regul. die 1. Mart. 1852. iussum est, ut Praelatus regularis S. Congregationi notam exhiberet monachorum, quos localis Episcopus ordinare noluerat: quae nota huic debebat ostendi, ut ex eo cognosceretur, quibus ex causis ipse ordinationem negaret aut protraheret: item datis literis significandum eidem Episcopo erat, illud fore, ut si absque gravi causa ad ordinationes monachos illos admittere, velut antea, detractaret, Apostolica Sedes pro suprema sua potestate supplere et consulere non abnueret. Tandem eisdem in literis ad eius memoriam

Clementis VIII. decretum revocandum erat unaque enuntiandum, eam esse Sanctitatis Suae mentem, ut huic sese conformaret; quae omnia rite praestita sunt.

109. Non desunt Ordines regulares, qui speciali privilegio praediti sunt, ut a quolibet catholico Antistite eorumdem sodales ordinari valeant; quorum aliquos recenset Ferraris verbo *Ordinatio* Art. 3., quibus et alii recentioris aevi possent adiungi.

De hac materia fuso calamo, nec sine magna doctrina agit Honorantes *Prax. Secret. Trib. Vic.* cap. 12. pag. 113. ad p. 138. ad quem lectorem remittimus, sicubi opus sit, quando praesertim agatur de Regularibus in specie, quibus inest privilegium, de quo modo dixi.

Art. IV. De indultis peragendae ordinationis tum « extra tempora », tum « non servatis interstitiis ».

Summarium. 110. Quibus temporibus et diebus sacri Ordines conferendi sint; poenae contra violatores. – 111. Canonica dierum praefinitio pro ordinatione consuetudine contraria subverti nequit. – 112. Quid servandum sit circa privilegium Apostolicum *extra tempora* Regularibus concessum. – 113. Decreta Innoc. XII. super moderatione indultorum *extra tempora*. Causae, cur eadem indulta concedi possunt. – 114. 115. 116. Causae, cur concedi non debent. – 117. 118. Alia monita super eadem re. – 119. Quid veniat nomine *interstitiorum*. Quantum temporis interponi debeat inter collationem singulorum Ordinum. Speciatim agitur de collatione quatuor minorum Ordinum uno eodemque die, necnon de iisdem iunctis cum subdiaconatu. – 120. Quae cavenda sint in usu indulti *interstitiorum* iuxta mentem Benedicti XIV. – 121. Quando speciatim necessitas vel utilitas adesse dicendae sint. – 122. Haec locum etiam habent, si quando indultum *extra tempora* per Breve Apostolicum concessum sit; etiamsi agatur de Regularibus; minime vero quando speciali Apostolico privilegio donati sunt. Episcopi tenentur deferre Superiorum regularium testimonio super causis remissionis interstitiorum. Facultas remittendi interstitia competit etiam Vicario Capitulari. Minime vero Praelatis inferioribus, sed Episcopus iudicium suum super eorum fide formare debet. – 123. *Utilitas* vel *necessitas* intelliguntur disiunctive. – 124. Minores Ordines et maiores pro iis, qui privilegio *extra tempora* et *interstitiorum* fruuntur, non possunt conferri in festo duplici, quod non sit de praecepto. – 125. Conferri tamen possunt diebus e festorum albo dispunctis. – 126. Etsi sustineatur consuetudo immemorabilis, ut tonsura ac minores Ordines conferantur feria sexta post prandium: at-

tamen expedit, ut Episcopus se conformet Pontificali Romano. – 127. Ordinatio generalis fieri debet in cathedrali; at specialis paucarum personarum fieri potest in capella privata.

110. Agitur in primis de indulto, quod audit *extra tempora*. In *cap.* De eo *3. de temp. Ord.* statuitur: « Licitum est Episcopis » Dominicis et festis diebus unum aut duos ad minores Ordines » promovere; sed ad subdiaconatum nisi in Quatuor Temporibus, » aut sabbato sancto, vel in sabbato ante Dominicam de Pas- » sione, nulli Episcoporum praeterquam Romano Pontifici licet » aliquos ordinare. » Poena suspensionis ab Ordine male suscepto afficitur, qui secus ordinatus fuerit ex *Cap. Cum quidem 8. eod. tit.*, et *cap. Literas 13. eod. tit.* Quamvis autem sacros Ordines in Quatuor Temporum hebdomadibus conferendos esse cautum sit, non idcirco licet in quolibet hebdomadae die, sed tantum in sabbato. Fagnan. *C. De eo* de temp. Ordinat. *n. 17. et 18.* et Barbosa *de off. et pot. par. art. 17. n. 1. et 3. p. n. 2.*

111. Haec de statutis ordinationis temporibus disciplina subverti non potest contraria consuetudine ex *Cap. 8. sess. 23. de Reform.*, in quo praescriptum est, ut « Ordinationes sacrorum » Ordinum statutis a iure temporibus ac in cathedrali ecclesia, » vocatis praesentibusque ad id ecclesiae canonicis, publice cele- » brentur. » Iamvero tritissimum est, quod contra decreta Concilii Trident. nullam habeat vim quaecumque contraria consuetudo, ut patet ex Constit. Pii IV. *In Principis Apostolorum.*, Bened. XIV. *Inst. ecc. 60. n. 7.* cum communi apud S. Congreg. Concilii in *Florent. Capellan. super incom.* 6. Iun. 1863. §. *Haec ex.* Exceptionem habere fortasse poterit consuetudo *immemorabilis vel centenaria*, quia in dicto capite ipsi expresse non derogatur. Vid. infra n. 126.

112. Privilegia a Summis Pontificibus concessa Regularibus recipiendi Ordines extra tempora servari debent iuxta declarationem in speciali Congregatione editam tenoris, qui sequitur, apud Girald. in *Ius. Pont. P. II. sect. 95. pag. 946.* « Privilegia » a Summis Pontificibus tam ante, quam post Conc. Trid. sive » expresse, sive per viam communicationis Regularibus concessa » suscipiendi sacros Ordines extra tempora, persistere in suo » robore, nec iis fuisse unquam derogatum, ac proinde tuto posse » Regulares ordinari extra tempora absque novo indulto Aposto-

» lico. *Die 16. Maii 1725.* » Huic declarationi iisdem pene verbis consonat decretum a s. m. Bened. XIII. editum in Conc. Rom. 1725. *Tit. V. de temp. Ord. cap. 2.* Nec adversatur Bened. XIV. in Constit. *Impositi nobis,* (quam dabimus in volumine III. sub num. 19.) ubi ad §. 12. *Praeterea* tantummodo declaratur, Regularium, qui hoc indulto praediti sunt, voluntati ita addictum non esse Episcopum, ut si, quandocunque iis placuerit ad Ordines promoveri, non statim voti compotes fierent, iam dici posset, ordinationem ab Episcopo non haberi, proindeque statim alium Episcopum adire ipsis licitum sit.

113. Circa huiusmodi materiam recolenda sunt decreta Congregationis ab Innoc. XII. specialiter deputatae super moderatione indultorum suscipiendi Ordines extra tempora edita die 14. Dec. 1693. et relata a Girald. *loc. cit. pag.* 947. *et seq.* sequentis tenoris: « Quae quidem Congregatio... censuit, indulta huiusmodi » si SSmo placuerit, concedi posse ex causis infrascriptis, vide- » licet, ut quis beneficio, vi cuius arctatur ad presbyteralem » Ordinem suscipiendum, vel alteri etiam beneficio perpetuo, » quod obtinet, vel capellaniae ad vitam sibi concessae per se » ipsum inservire possit; ob penuriam sacerdotum in illis par- » tibus, vel in monasterio pro Regularibus; ob solatium patris » vel matris, dummodo 50. annos aetatis excedant, et orator » saltem per triennium in clericali habitu honeste et laudabiliter » vixerit. Item concedi posse censuit eadem indulta referendariis » utriusque signaturae, familiaribus Summi Pontificis, canonicis » cathedralis, vel etiam collegiatae ecclesiae, eorumque coadiu- » toribus, magistris, vel etiam baccalaureis in sacra theologia, » doctoribus utriusque, vel saltem iuris canonici, seu licentiatis, » dummodo singulos praefatos gradus in publica et approbata » universitate obtinuerint: iis etiam, qui saltem per triennium » sedulam theologiae studiis operam navaverint, ac tandem 26. » aetatis annum excedentibus, si per triennium in clericali ha- » bitu honeste et laudabiliter vixerint.

114. » E contra censuit, non expedire, ut eadem indulta con- » cedantur ex eo, quod quis diaconus, subdiaconus, literarum » Apostolicarum scriptor sit, seu magister in artibus, nobilis, aut » praesens in curia, vel quod philosophiae cursum absolverit, » aut alicui ecclesiae adscriptus fuerit, ad cuius servitii titulum » ex Apostolico indulto clerici ordinari possunt, aut onus Missa-

» rum, non tamen ex beneficio ecclesiastico proveniens habere se
» doceat.

115. » Insuper censuit, indulta huiusmodi deneganda esse
» iis, qui aliqua dispensatione indigent impedimenti ex eorum
» delicto provenientis, et, sede episcopali vacante, infra annum
» a die vacationis minime danda esse iis, qui beneficii ecclesia-
» stici recepti seu recipiendi occasione arctati non fuerint.

116. » Item nunquam concedenda pro festivis diebus con-
» tinuis, sed semper pro interpolatis aliquo temporis spatio ar-
» bitrio Episcopi definiendo.

117. » Denique censuit, Episcopos omnes, ac etiam Aposto-
» licos Nuntios et Legatos Literis in forma Brevis circularibus
» admonendos, decrevisse Sanctitatem suam, indulta praedicta
» non ita passim, sed ex certis tantum legitimisque causis con-
» cedere, nec Episcopos ad eorum exsecutionem adstringere, sed
» illam semper eorum arbitrio, onerata eorumdem conscientia,
» relinquere. Item per eadem indulta licentiam non tribui pro-
» movendi quempiam ad patrimonii titulum, nisi ad normam Conc.
» Trid. *Sess. 23. cap. 2. de Reform.* Eos vero omnes, qui ab Apo-
» stolica Sede facultates obtinent conferendi Ordines *extra tem-*
» *pora*, vel aliis respective tribuendi licentiam, ut conferant,
» maxime cavere debere, ne praescriptos sibi in iisdem facul-
» tatibus limites cuiusvis consuetudinis aut exempli praetextu
» transgrediantur. »

118. Haec autem omnia et singula suprascripta decreta lau-
davit et approbavit Summus Pontifex, et ab omnibus Datariae
et Secretariae Brevium et a ceteris omnibus ministris et officia-
libus Curiae, ad quos pertinent, perpetuo et inviolabiliter ser-
vari mandavit, sublata omnibus quacumque facultate, praedicta
indulta aliter quam ad formam eorumdem decretorum in poste-
rum interpretandi et expediendi.

119. De interstitiis agere restat, quorum nomine « non ve-
» niunt (docente Girald. *Ius. Pont. Par. II. sect. 101. pag. 963.*
» iuxta *Decl. S. C. C.* 17. Maii 1591.) Quatuor anni Tempora, sed
» illud temporis curriculum, quod ex canonicis sanctionibus olim
» inter unum et alterum Ordinem debebat intercedere. » Porro
Conc. Trid. *Sess. 23. cap. 11. et cap. 13. ac 14. de Reform.* inter
acolythatum et subdiaconatum, inter hunc et diaconatum, inter
diaconatum et presbyteratum unum annum intercedere praescri-

psit, qui annus non utique naturalis, sed ecclesiasticus esse debet ex declaratione S. C. Conc. in *Palentina* 5. Febr. 1593. *(Lib. 7. decret. p. 50. et 92.)*. Quod pertinet ad singulos minores Ordines, interstitia servanda sunt quidem, sed iuxta sensum S. C. Conc. in *Lucen.* 31. Maii 1597. a Girald. *loc. cit.* relata, quae huiusmodi est: S. Congregatio « censuit, Episcopum ita demum interstitia » minorum Ordinum posse remittere, si ei magis expedire visum » fuerit; ceterum ubicumque satius esse putaverit illa remittere, » quatuor minores Ordines non aliter posse eodem die uni con- » ferre, quam si ita in loco hodie consueverit. » Minorum Ordinum iuncta cum subdiaconatu collatio, etiamsi consuetudo vetus accedat, non est plane permissa; qua de re agit S. Congregatio Concilii in *Calaritan. Thes. Resol. tom. 4. pag. 163. et seq.* necnon Bened. XIV. *Inst. 106. n. 9. et seq.*, ubi in confirmationem adducit resolutionem S. Congregationis in *Boven. Ordin.* 7. Maii 1707. *(Lib. 57. decret. pag. 32. a tergo et pag. 157.)* et ipsam *Calaritanam* 21. Feb. 1728., in qua S. C., licet consuetudo in ea dioecesi multis ab annis obtinuisset, ut minores Ordines cum subdiaconatu conferrentur, et Episcopus, id sibi permitti ad quosdam abusus evellendos, postularet, nihilominus postulationi indulgere nullatenus voluit, et ita consuetudinem plane posthabuit (1).

120. Circa interstitiorum dispensationem prae oculis habenda sunt, quae docet Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. XI. cap. 2. n. 16.* videlicet « quamvis in citatis Concilii capitibus (idest *de Reform.* » *11. 13. et 14.* Sess. 23.) Episcopo tribuatur auctoritas dispensandi » supra eorumdem interstitiorum observantia; huius tamen aucto- » ritatis usus non quidem ex mero arbitrio dirigendus est, sed » habita dumtaxat ratione necessitatis aut utilitatis ecclesiae, » quemadmodum ab eodem Concilio expresse indicatur sequenti- » bus verbis: *nisi necessitas, aut ecclesiae utilitas iudicio Epi-* » *scopi aliud exposcat*, qua de re a nobis actum est in nostra » *Inst. eccl. 58.* »

121. Necessitas tamen et utilitas in dicta Institutione hisce exemplis innuitur. « Tum quidem necessitas intervenit, cum pecu-

---

(1) Benedictus XIII. in Ordinatione generali ab ipso habita die 26. Martii 1725. in sacrosancta Lateranensi Basilica, immediate ante dictam Ordinationem mandavit, ut in posterum in qualibet Ordinatione sive generali sive particulari prima tonsura dumtaxat absque ullo alio Ordine tam saecularibus quam Regularibus eodem die conferri deberet. *(Honorantes,* Praxis Secret. Vic. Urbis cap. 1. §. *Nota VI.)*.

» liari ecclesiae ministri desunt, nec alii Ordinibus praediti suffi-
» cere videntur, ut eadem munera sustineant: utilitas autem osten-
» ditur, cum in aliqua ecclesia parum idonei ministri versantur,
» vel si de aliquo viro res agatur aetate iam matura, sed do-
» ctrinae laude praestanti, quae satis legitimae causae a scri-
» ptoribus iudicantur. Utilitas pariter ex eo proficiscitur, si aliquis
» parochiam, aut beneficium obtinuerit ea conditione, ut infra
» annum iuxta decreta S. C. presbyteratum, aut sacrum Ordinem
» suscipere teneatur. »

122. Hoc vero arbitrium in hanc rationem moderatum, quod Episcopo ordinanti relictum est, vim suam exserit etiam, quando indultum *extra tempora* per Breve Apostolicum impetratum est, ut aperte declaratum fuit in decreto s. m. Innoc. XII., quod suis verbis modo retulimus, item et §. *Denique*, ubi iubetur, indultum *extra tempora* impertiendum non esse, nisi diebus festivis interpolatis ab Episcopo definiendis. Girald. *loc. cit.* §. *Nota II. pag.965.* Idem arbitrium integrum pariter ac liberum Episcopo remanet, etiamsi agatur de Regularibus; namque S. C. Conc. in *Aesina* 20. Dec. 1581. censuit « Bullam *Sanctum et salutare* fel. record.
» Sixti V. non adimere facultatem a Concilio Trid. Episcopis tri-
» butam remittendi temporum interstitia in casibus ab eodem
» Concilio expressis *cap. 11. 13. et 14. sess. 23. de Reform.*, iu-
» diciumque cognoscendi, an simus in praedictis casibus, non
» spectare ad Superiores regulares, sed ad Episcopos dioecesanos
» ordinantes, in quorum dioecesibus sunt monasteria, in quibus
» ipsi ordinandi degunt »; quam affert Girald. *l. c.* §. *His praemissis pag. 964.* Idem edixit die 17. Maii 1593. *(lib. 7. decret. pag. 108.)* et pluribus aliis casibus, quos refert Ben. XIV. *Inst. eccl. 58.* Hoc autem Episcoporum arbitrium tollitur, quando agitur de Regularibus, quibus Sedes Apostolica post Conc. Trid. concessit privilegium exemptionis ab interstitiis. (Girald. in *Ius Pont. P. II. sect. 101.* §. *Si autem*). Monendum tamen est, Episcopum de causis remissionis teneri fidem adhibere ac deferre testimonio Superioris regularis, ut edixit S. C. die 12. Sept. 1609. *(Lib. 11. decret. pag. 75.)* et die 31. Iunii 1587. *(Lib. 6. decret. pag. 18.)*.

Quae vero facultas Episcopo competit, eam Vicario etiam Capitulari competere censuit S. C. Conc. in *Astoricen.* 21. Apr. 1591., quam recitat Girald. *loc. cit.* §. *III. Ortum.* Idem tradit de Vicario Generali, si habeat mandatum generale, vere tamen existentibus

causis contentis in tribus allatis Conc. Trid. capitibus, ut S. C. Conc. in *Neapolitana* 3. April. 1593. et *Theatina* 7. Nov. 1596.

Si tamen agatur de Praelatis inferioribus, facultas dispensandi super interstitiis non his competit, sed soli Episcopo, ex causis in decretis Concilii comprehensis, de quibus tenetur iudicium suum formare quoad subditos Inferiorum ex ipsorum Inferiorum attestatione iuxta declarationem S. C. Conc. in *Fanen.* 6. Iul. 1592. relata a Girald. *loc. cit.* §. *Cum eadem.*

123. Quoniam vero in *cap. 14. Sess. 23. de Reform.* Conc. Trid. adhibentur verba: *ob utilitatem ac necessitatem*, orta dubitatio est, an eadem copulative, an disiunctive intelligenda sint ita, ut possit Episcopus dispensare super interstitiis ob solam ecclesiae utilitatem; at S. Congr. die 3. Maii 1620. censuit « ea verba esse intelligenda disiunctive, non autem copulative. » Apud Girald. *loc. cit.* §. IV.

124. Magno animorum aestu olim disputabatur, an minores Ordines conferri possent die festo duplici, sed non de praecepto, idemque dicendum esset de Ordinibus maioribus pro iis, qui privilegio *extra tempora* vel interstitiorum potiuntur, de quo agit Bened. XIV. *Inst. ecc. 106. n. 2. et seq.*, et utrumque caput negativa sententia resolvit. Ei vero adstipulantur S. C. Conc. declarationes relatae in folio *Tirasonen. VV. SS. LL.* diei 20. Apr. 1782. §. *Non una, et seq.* Prima ea est, quae exscribitur ex Fagnan. *In Cap.* De eo, *de temp. ord. n. 42.*, huius tenoris « 1. Praesup» posito, quod minores Ordines possunt conferri diebus Domi» nicis, aut aliis festivis, dubitatur, an appellatione diei festi » comprehendatur festum, quod a populo colatur? 2. Idem est » dubium quoad promovendos vigore dispensationis *extra tempora* » diebus festis? » Responsum fuit: « Ad primum et secundum » S. Congregatio censuit comprehendi dies festos, qui a populo » servantur.» Item in *Caesaraugustana lib. 3. decret. pag. 79.*, *Brixien. Ord.* 15. Ian. 1689. proposito dubio: « An diebus festis du» plicibus, non tamen de praecepto, possint Ordines sacri conferri » habentibus Breve dispensationis super *interstitiis*, vel *extra tem*» *pora?* » Rescriptum prodiit: « Negative, sed tantum diebus fe» stis de praecepto. » *(Lib. 39. decret. pag. 27.)*

125. In memorata *Tirasonen. VV. SS. LL.* resoluta die 11 Mai. 1782. dubium propositum fuit: « An pro habentibus » indultum *extra tempora* suscipiendi Ordines sacros, valeant or-

» dinationes diebus festis, in quibus fideles, audita Missa, ex Apo-
» stolica dispensatione operibus servilibus vacare possunt in cau-
» sa? » et responsum fuit: « Affirmative. »

126. In *Portallegren. 13. Apr. 1720.* dubitabatur: « An, sup-
» posita consuetudine immemorabili, licitum sit conferre primam
» tonsuram, et minores Ordines feria sexta post prandium ante
» diem sabati Quatuor Temporum in casu? » S. Congreg. respon-
dit: « Affirmative quoad primam tonsuram; et quoad ceteros Or-
» dines minores consuetudinem immemorabilem tolerari posse,
» sed expedire, ut Episcopus se conformet Pontificali Romano
» *Tit. de min. Ord.*». Pontificale Romanum vero sic habet: « Qua-
» tuor minores Ordines dari possunt extra Missarum solemnia in
» diebus Dominicis et festis duplicibus, sed in mane tantum. »

127. De loco peragendi sacras ordinationes *cap. 8. sess. 23.* diserte statutum est, eamdem in cathedrali, vocatis ac praesentibus canonicis, publice celebrandam esse. At vero non est silentio praetereunda exceptio, quae fit in *Meliten.* 20. Novem. 1592. *(Lib. 7. decret. pag. 96.):* « S. C. censuit, si non fuerit ordinatio
» generalis, sed tantum aliquarum personarum, potest ubique Epi-
» scopus eam habere etiam in capella sua privata. »

Art. V. De Confirmatione.

Summarium. 128. Solus Episcopus minister est sacrae Confirmationis. Eius conferendae potestatem simplici sacerdoti non potest idem delegare. – 129. Decretum S. Congr. de Prop. Fide, quo nonnullis sacrarum missionum Superioribus potestas confirmandi ex privilegio tribuitur. Qui ritus hoc in casu servari debeat. – 130. Aliquando Pontifex Episcopis potestatem facit designandi sacerdotem, qui chrisma conferat. – 131. Consecratio chrismatis et Confirmationis administratio inter Pontificalia recensentur, adeoque Episcopus neutrum in aliena dioecesi agere potest; nec etiam in dioecesi *Nullius.* – 132. Aliter est de ecclesiis gaudentibus exemptione primae et secundae speciei. – 133. Confirmatio tempore sacrae visitationis administrari solet. Et quid in antecessum agendum sit ab Episcopo. – 134. Pueris inter septem et duodecim annos est conferenda. – 135. 136. 137. Non vetatur autem eam conferre etiam ante septennium, iustis existentibus causis. Quae speciatim hae possint esse. – 138. Quid, si Episcopi ad Confirmationem administrandam arcessantur, saeviente peste. – 139. Quae sit materia Confirmationis. – 140. In Confirmatione adhibentur patrini. – 141. Qui munus patrini agere possint.

– 142. Non possunt munus idem agere, qui confirmati non sunt. – 143. Neque Regulares, et alicubi neque viri ecclesiastici saeculares. – 144. Procurator non sibi, sed mandanti cognationem contrahit. – 145. De casu speciali causae *Fesulanae*. – 146. Clericum ac minoristam non confirmatum male promotum fuisse; indigere nova provisione circa beneficia obtenta, et dispensatione Apostolica ad sacros Ordines recipiendos, edixit S. C. Conc. – 147. Potest aliquis ordinari, si iuret se confirmatum fuisse. Procurationem exigere non potest Episcopus extra visitationem ad chrisma conferendum profectus.

128. Sacrae Confirmationis ministrum esse solum Episcopum, non quemlibet sacerdotem, nemo negabit, si poenam anathematis a Conc. Trid. Sess. 7. *can. 3. de Confirm.* constitutam velit effugere. Quae quidem potestas cum simplici sacerdote ab Episcopo communicari nequit, et, si id fiat, Sacramentum irritum est, prout demonstrat Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. VII. cap. 8.* Quod si in Ecclesia graeca valide a simplici presbytero hoc Sacramentum administratur, id tantummodo oritur ex praesumpto privilegio Summorum Pontificum. Vide Bened. XIV. *loc. cit. cap. 9. n. 3.*, item quae superius obiter hac de re praeoccupavimus *cap. I.* §. *3.* pag. 66. Uni enim Summo Pontifici potestas et ius reservatum est delegandi simplici sacerdoti facultatem, ut fideles chrismate sacro possit inungere. Cuius rei permulta sunt exempla a doctoribus relata, quae repetere putamus inutile.

129. Iuvat hic per summa capita decretum innuere a S. Cong. de Prop. Fid. editum die 21. Mart. 1774. et a s. m. Clement. XIV. approbatum, ubi mentio est de hac facultate nonnullis missionum Superioribus aliisque tributa. In eo itaque prohibetur, ne Superiores illi vestibus et ornamentis Pontificalibus uti praesumant. Insuper instructio additur item ab eodem Summo Pontifice approbata, quae simplici sacerdoti Confirmationem administranti normam praebeat, ac potissimum, ut idem vestibus sacerdotalibus, vel saltem alba et stola induatur, utque populum lingua vernacula de privilegio a S. Sede impertito edoceat, admoneatque, unum Episcopum esse illius Sacramenti ministrum ordinarium, sese vero solummodo extraordinarium. Denique norma etiam subiicitur, qua sacerdos privatim pueris et adultis illud Sacramentum conferre valeat ac debeat. Idem privilegium iuxta dictum decretum et instructionem diei 12 Mart. 1838. a S. Congreg. Consistor., approbante s. m. Gregor. XVI., elargitum est Pro-Vicario Aposto-

lico Montis Videi, adiecta conditione (quam S. Sedis disciplinae consonam esse docet Bened. XIV. *loc. cit. cap. 8. n. 2.*), ut chrisma adhiberet a catholico Antistite confectum. Praedicta ex *Regest.* eiusdem S. C. anni 1838. n. 10. part. I.

130. Summus Pontifex, accedente iusta causa, aliquando Episcopis facultatem facit designandi deputandique sacerdotem aliquem saecularem seu regularem, qui oleo ab ipsomet Episcopo benedicto fideles confirmet, ceu sese fecisse docet Bened. XIV. *loc. cit. lib. XIII. cap. 15. n. 1.*

131. Nulli Episcopo licet ex Conc. Trid. *Sess. 6. c. 5. de Reform.* Pontificalia exercere in aliena dioecesi, nisi de expressa Ordinarii loci licentia. Cum itaque consecratio charismatis et Confirmationis administratio inter Pontificalia recenseantur (1), sequitur, ut Episcopus neutrum agere debeat in dioecesi non sua, nisi haec ab Ordinario loci sibi copia facta fuerit; (Bened. XIV. *loc. cit. lib. XIII. cap. 19. n. 5.*) neque etiam in abbatia, vel praelatura *Nullius*, ut declaravit S. C. Conc. in *Nullius* 2. Aug. 1595. *(Lib. 8. decret. pag. 183.).*

132. Aliter vero se habet de ecclesiis, quibus competit exemptio primae et secundae speciei. Vid. c. I. §. 3. n. 26. pag. 60. huius voluminis. In iis enim Episcopus, cuius in dioecesi positae sunt istiusmodi ecclesiae, potest Pontificalia exercere ex decreto S. C. Episc. et Regul. diei 10. Ian. 1603., quod referunt Fagnanus et Giraldius *loc. cit.* Nominatim vero de Confirmatione Bened. XIV. in Constit. *Firmandis* 6. Nov. 1744. §. 7. ita: « Sed et in ipso visi-
» tationis cursu, atque etiam extra illam aliqui Regulares de suo-
» rum privilegiorum et exemptionum indemnitate plus nimio sol-
» liciti hanc Episcopis controversiam moverunt, utrum iis liceret
» in ipsorum Regularium ecclesiis sive parochialibus, sive non pa-
» rochialibus, Sacramentum Confirmationis administrare; quae
» quidem controversia in Congregatione Conc., partibus plenissime
» auditis, pro Episcopis decisa fuit, quemadmodum et nos gene-
» raliter et sine exceptione eamdem definimus. »

---

(1) Sub Pontificalium nomine praeter Ordinum collationem venire primam tonsuram, consecrationes vasorum, ecclesiarum, Virginum, chrismatis et Confirmationem, necnon benedictionem vestium et corporalium; item omnes actus sacerdotales exercendos cum apparatu Pontificali, mitra videlicet et baculo pastorali, puta Missam aliaque divina officia, Doctores communiter docent (*Giraldi*, Expositio iuris Pontificii, part. II. sect. 21.).

133. Quamvis iuxta praesentem Ecclesiae disciplinam nullo non tempore Confirmationem conferre liceat Episcopis, attamen ut plurimum, tempore sacrae Visitationis eadem administrari solet. (Bened. XIV. *Inst. eccl. 6. num.* 2). Optandum est, ut a ieiuno ieiunis conferretur (Bened. XIV. *loc. cit. n. 12*). Oportet, ut hoc Sacramentum parato animo suscipiatur *(loc. cit. n. 8).* Hinc summopere expedit, si Episcopus, antequam pueros inungat, brevem de eodem Sacramento sermonem habeat *(l. c. n. 2);* quin imo maxime proderit, si publicum edictum ferat, quo qualitates in Confirmatione necessarias aliaque ad rem pertinentia describat et explicet, cuius exemplum haberi potest apud Crispin. *Vis. Past. par. II.* §. *17. n. 12.,* Ferraris verb. *Confirmatio, art. 3. in fine.*

134. Inquisitione dignum videtur, qua potissimum aetate pueris Confirmatio conferenda sit. Catechismus Romanus ex decreto Conc. Trid. editus, et a Summis Pontificibus tantopere commendatus, *de Conf. Sacr. tit. Qua aetate,* sic docet: « Observandum » est, omnibus quidem post Baptismum Confirmationis Sacramen- » tum posse administrari, sed minus tamen expedire hoc fieri, » antequam pueri rationis usum habuerint. Quare, si duodecimus » annus exspectandus non videatur, usque ad septimum certe hoc » Sacramentum differre maxime convenit. » Cuius rei multas theologi in medium proferunt causas; sed satis sit audire, quae Catechismus ipse subiungit: « Confirmatio non ad salutis necessi- » tatem instituta est, sed ut eius virtute optime instructi et pa- » rati inveniremur, quum nobis pro Christi fide pugnandum esset; » ad quod sane pugnae genus pueros, qui adhuc usu rationis » carent, nemo aptos esse iudicarit. »

135. Verumtamen aliud constituere videtur Pontificale Romanum a Clem. VIII. editum, et ab Urbano VIII. recognitum in *Tit. de Confir.,* ubi ponitur, Sacramentum Confirmationis etiam pueris ab Episcopis administrari; legitur enim: « Pontifex infan- » tes, pueros, vel adultos sacri Baptismatis unda perfusos con- » firmare volens, paratus.... accedit. » Et iterum: « infantes per » patrinos ante Pontificem confirmare volentem teneantur in bra- » chiis dexteris. » Quam antilogiam seu potius antilogiae speciem conciliat Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. VII. cap. 10. n. 8.* « Ca- » techismus prohibet, ne regulariter Sacramentum Confirmationis » conferatur pueris ante septennium; Pontificale supponit, quod » in aliquo extraordinario casu iustaque urgente causa, possit

» idem conferri. Quae traduntur in Catechismo, constituunt regu-
» lam; quae adduntur in Pontificali, constituunt limitationem
» regulae. »

136. Itaque videndum est, quaenam sit iusta et urgens causa sacro chrismate infantes ungendi. Iamvero prima et potissima causa est mortis discrimen, in quo ipsi versantur. Nam, ut ait D. Thomas *3. p. qu. 72. art. 8. ad 4.:* « Anima, ad quam pertinet
» spiritualis aetas, immortalis est. Et ideo etiam morituris hoc
» Sacramentum dandum est, ut in resurrectione perfecti appa-
» reant secundum illud *Eph. 4. 13: Donec occurramus in virum*
» *perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.*»

137. Alias etiam addunt causas theologi, quas congerit S. C. C. in folio *Segobien.* 12. Mart. 1774. §. *Praeter:* « Possunt etiam
» modo inungi pueri ante septennium, si praevideatur futura
» diutina absentia Episcopi, aut non facilis imposterum futurus
» ipsius Episcopi accessus ad pueros, vel ob ingravescentem ae-
» tatem eiusdem, vel propter puerorum distantiam a civitate, vel
» propter itineris difficultatem, aliamve iustam causam. » Quapropter in dicta *Segobien.* die 21. April. iterum proposita, duplex, quod sequitur, dubium disceptatum est. « An, attentis peculiari-
» bus circumstantiis, Sacramentum Confirmationis administrari
» possit etiam pueris et infantibus, nulla habita aetatis ratione
» in casu? An etiam administrari possit pueris et infantibus in
» mortis periculo constitutis in casu? » S. C. respondit « Ad pri-
» mum: Affirmative, nonnisi in gravibus et urgentibus circumstan-
» tiis, super quibus conscientia Episcopi oneretur. Ad secundum:
» Affirmative. »

138. Nonnunquam Episcopi ad sacram Confirmationem impertiendam arcessuntur, saeviente aliqua pestilentia. Qua occasione pulchrum imitatu videtur exemplum S. Caroli Borromaei, qui in Mediolanensi peste (ut ex Giussano refert Bened. XIV. *loc. cit. lib. XIII. cap. 19. n. 5. et seqq.*) magnam animam exponere non recusavit cum manifesto suae vitae periculo, ut pueros lue vexatos sacro chrismate signaret. At vero, quoniam huiusmodi Sacramentum non est de necessitate medii, sed tantum de necessitate praecepti, datis circumstantiis adimplendi, difficile opus sibi ille suscepturus Benedicto XIV. *loc. cit. n. 6.* videtur, qui contenderet, Episcopum obstrictum esse Confirmationis Sacramentum administrare cum proximo suae vitae periculo.

139. Materia Confirmationis est chrisma oleo ac balsamo confectum; sed non est certum, an balsamus sit de essentia, ita ut, si confirmentur fideles oleo simplici, confirmatio nulla et irrita reputari debeat. Innoc. III. in *Cap. Pastoralis de Sacr. non iter.* rogatus, an « Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, » qui per errorem fuit non chrismate sed oleo linitus? » duxit respondendum, « quod in talibus non est aliquid iterandum, sed » caute supplendum, quod incaute fuerat praetermissum. » Nihilominus theologi id satis non habuerunt, et adhuc validitatem vel nullitatem iuxta propriam sententiam propugnabant. Hinc S. C. Conc. rem hanc in incerto reliquit, et tutiorem partem complecti visa est, impertita ad cautelam dispensatione. Casus huiusmodi expensus fuit ab eadem S. Congr. die 4. April. 1693. *(Lib. 45. decret. p. 125.)*, eumdemque Giraldius se recognovisse testatur *Ius Pont. part. I. sect. 113. in fin.* Casus hic erat. Antonia suscepit in Sacramento Confirmationis filiam Emmanuelis; postea detectum est, Confirmationem loco chrismatis cum oleo infirmorum fuisse administratam. Episcopus Confirmationem iterandam duxit: At Antonia cum Emmanueli nubere vellet, commatrem filiae eiusdem iterato agere noluit: nihilominus dubitatum est, an ab Antonia in prima Confirmatione contracta esset cognatio spiritualis, adeoque contractum esset etiam impedimentum, ne posset inire matrimonium cum Emmanule. S. C. respondit: « Ad mentem, » quae fuit, ut dispensaretur ad cautelam. Vid. Petram in *Com. ad Constit. XIV. Innoc. IV. num. 42.*

140. Ut in pueris lustrali aqua abluendis, ita et in iisdem sacro chrismate signandis patrini adscisci debent; hoc autem discrimen notandum est, quod in Baptismate unus et una possunt adhiberi ex Conc. Trid. *Sess. 24. cap. 2. de Reform. Matr.*, in Confirmatione tamen unus aut una dumtaxat, nempe mas pro mare, femina pro femina, ceu fert universalis consuetudo, et docet communis auctorum sententia (Ferraris verbo *Confirmatio* art. III. n. 11. et seq.).

141. Patrini ministerium obire valet quicumque fidelis, qui ad usum rationis pervenerit; et si quis adhuc impuber patrini munus expleret, cognationem spiritualem cum confirmato contraheret, ut resolvit S. C. Conc. penes Fagnanum *Cap.* Et literis *de cogn. spirit. n. 16.;* licet enim ageretur de puella novenni, rescripsit « cognationem esse contractam, non obstante aetate. » Cum-

que in posterum a s. m. Greg. XIII. dispensatio pro contrahendo matrimonio petita fuisset, Summus Pontifex eam concedere nequaquam voluit.

142. Qui confirmatus ipse non est, patrinus alteri esse non potest, ideoque nec pariter cognationem spiritualem contrahit. Nam S. C. Conc. (apud Pignat. *tom. 1. consult. 10.*) in *Lycien.* 13. Iul. 1654. edixit, *non confirmatum non contrahere cognationem.* Vide Ferraris verbo *Confirmatio* art. III. in Resp. auct. Quapropter infideles et qui haeretici hoc Sacramentum valide non acceperunt, nullo modo ad patrini munus assumi possunt, nullamque cognationem suscipiunt (Ferraris verbo *Baptismus* art. VII. num. 34). Excommunicati, facinorosi, criminosi, moribus infames licite patrini esse nequeunt (Rituale Rom. *Tit. de Patrin.*, Ferraris *loc. cit. n. 38.*), nec etiam muti (Ferraris *loc. cit. n. 30.*), neque parentes (Rit. Rom. *loc. cit.*); hi tamen si extra necessitatem filios suscipiunt, cognationem vere contrahunt ità, ut ab uxore obsequia petere nequeant (Ferrar. *loc. cit. n. 40*).

143. Patrini munus sustinere vetitum est Regularibus ex textu in *Cap. Non liceat 103. de Conf. dist. 4.* et alibi. Hinc in Rituali Romano Pauli V. iussu edito sic expresse statutum est: « Praeterea ad hoc etiam munus admitti non debent monachi vel » sanctimoniales, neque alii cuiuscumque ordinis Regulares. » Accedit declaratio S. C. Concilii in *Mediolanen.* 3. Octob. 1671. *ad 3. dub. (Lib. 27. decret. pag. 224).* Quin etiam in pluribus dioecesibus idipsum interdictum est ecclesiasticis viris e clero saeculari ob statuta a Synodo provinciali vel dioecesana emanata, quorum aliqua allegat Ferraris *loc. cit. n. 43. et sequent.*

144. Si quis ex mandato alterius patrini vicem absolvit, non sibi sed mandanti cognationem cum confirmato contrahit. Nam S. C. Conc. in *Nullius* 15. Mart. 1631. *(lib. 14. decret. pag. 398.)* censuit: « Procuratorem, qui nomine alterius suscepit, vel ad Con» firmationem tenuit, non contrahere cognationem sibi sed man» danti. » Idipsum confirmavit in *Theatina* 13. Sept. 1721., cuius occasione in *folio* relato 23. Aug. eiusdem anni multae in adversum doctorum opiniones referuntur, quae tamen auctoritati S. Congregationis fasces subiiciant oportet.

145. Invaluerat olim usus in dioecesi Fesulana Hetruscae ditionis, ut in administratione Sacramenti Corfirmationis unus dumtaxat pro omnibus masculis a parocho vel ab Episcopo deputa-

retur patrinus, et una mulier pro omnibus feminis matrinae munere fungeretur. Inde vero fiebat, ut filii spirituales suos, ut plurimum, ignorarent patrinos, patrini filios spirituales. Quare plures illius dioecesis incolae S. Congregationem exorarunt, ut de huiusmodi usu quid sentiendum esset, pro sua sapientia decerneret. Proposito itaque dubio: « An et quomodo probandus sit usus » Fesulanae dioecesis in casu? » rescripsit: « Non esse proban- » dum, sed tolerandum in casu necessitatis ab Episcopo iudican- » dae ad formam Pontificalis Romani. » (*Fesulana* 12. Iul. 1825).

146. Quoniam Conc. Trid. *Sess. 23. cap. 4. de Reform.* statuit, prima tonsura non esse initiandos, qui Sacramentum Confirmationis non receperint, veluti pro coronide huius articuli afferimus declarationem S. C. Concilii in *Augustana* 27. Sept. 1601., prout refert Girald. *Ius Pont. P. II. sect. 91.* « 1. Quaeritur, an primam » tonsuram et quatuor Ordines minores male vel per saltum su- » scepisse dicatur, qui Sacramento Confirmationis solum post il- » los susceptos fuerit perunctus? 2. Quaeritur, an idem, ut supra » ordinatus et provisus de simplicibus beneficiis ante Sacramen- » tum Confirmationis, legitime dicta beneficia acquisiverit, ita ut » nulla indigeat nova provisione? 3. An idem possit ad sacros » Ordines ascendere, nulla petita absolutione vel dispensatione? » S. C. respondit: « Ad primum: Esse male promotum; ad secun- » dum: Minus legitime acquisivisse, atque egere nova provisione; » ad tertium: Non posse, nisi praevia Sedis Apostolicae dispen- » satione (1). »

147. Non prohibetur tamen quis tam prima tonsura quam Ordinibus initiari, si in manibus Ordinarii iuramentum praestiterit, se reminisci, collatum sibi fuisse Sacramentum Confirmationis, ut eadem S. C. declaravit in *Interamnen.* 6. Maii 1617. (Girald. *loc. cit.*).

Post editam Innocentianam taxam, si Episcopus ad aliquod suae dioecesis oppidum sese conferat sacrum chrisma collaturus, procurationem, aut aliam quamcumque praestationem recipere

---

(1) Cum ergo ita declaraverit S. C. Concilii, cui soli a Summis Pontificibus facultas interpretandi Concilium tributa est, corrigendi omnino sunt canonistae quamplurimi et theologi sentientes initiatum prima tonsura, non recepto prius Sacramento Confirmationis, peccare quidem, sed non mortaliter, nisi ex contemptu illud omittat, nullam tamen incurrere censuram (*Giraldi* l. c.).

nequit, veluti monuimus et ostendimus in hoc ipso *Cap. II. in Append. de Procuratione.*

« IV. An, et quoties Synodum dioecesanam coegerit: et si » Episcopus nulli Archiepiscopo subiectus sit, an ad Synodum » provincialem eius Archiepiscopi, quem ad tramites Tridentini » eligere tenetur, ut eius Synodo provinciali intersit, accesserit; » et si sit Archiepiscopus, an Synodum provincialem habuerit, » et quinam Suffraganei eidem interfuerint. »

Summarium. 148. Decretum Conc. Trid. de Synodorum celebratione. Synodi provinciales singulis trienniis, dioecesanae singulis annis celebrentur. Qui ad utrasque interesse debent. – 149. Summi Pontifices, ac SSmus D. N. praecipue institerunt, ut Synodorum celebratio redintegraretur. – 150. Nec sine fausto eventu. – 151. Aliquoties S. C. suadet Suffraganeis, ut obsequiose Metropolitanis suggerant consilium maturandi Synodi provincialis celebrationem, quae Synodis dioecesanis celebrandis sternat viam. – 152. S. C. Conc. ex Constit. Sixti V. providere debet, ut expleatur lex de Synodis celebrandis. – 153. Eadem Synodos provinciales expendit ac recognoscit. Necesse non est, ut ab eadem approbentur normae seu leges in Synodo per Episcopum propositae, ut serventur. – 154. Sicubi dubia ante celebrationem suboriantur, S. C. Conc. resolvenda proponi possunt. Si qua interim de praecedentia aliisque rebus controversia enascatur, provideat Episcopus, reservatis unicuique iuribus suis. – 155. Canonici ecclesiae cathedralis, si in civitate Synodus provincialis celebretur, ad Synodum invitandi sunt. Sive autem collegialiter, sive per procuratores accedant, locum a Caerem. Rom. praefinitum habere debent. – 156. SSmus D. N. specialem Cardinalium Congregationem stabiliter constituit, cui plures Consultores adlegit, pro Synodis provincialibus examinandis. – 157. Synodorum provincialium recognitio vera et propria approbatio earum non est. – 158. Episcopi exempti ac Praelati *Nullius* Synodi convocandae privilegio non donati Archiepiscopum eligere tenentur, cuius Synodo interveniant. – 159. Archiepiscopi sine Suffraganeis laudantur, si idem faciant. – 160. Capitula exempta tenentur solummodo servare decreta Synodi, cui suus interfuit Episcopus. – 161. Etiam ante Synodos dioecesanas, si controversia oriatur, expedit eam ante definire, aut ad aliud tempus, iuribus reservatis, differre. – 162. S. C. Conc. Synodos dioecesanas non examinat. – 163. Nonnulli Antistites decreta synodalia alicui in urbe privatim examinanda committere consueverunt. – 164. Siquid in particulari irrationabile vel onerosum Synodus contineat, S. C. proponitur, ut singulatim examinetur. Neque Episcopus conqueri debet, si aliqui e clero apud S. Congregationem reclament. Multo

minus ob hoc gravi poena eos punire debet, nisi moderationem excedant. – 165. 166. Quando peculiaria impedimenta Synodum cogere non sinant, S. C. Episcopos hortatur, ut suppleant per remedia a Bened. XIV. tradita. Et praesertim per spiritualia exercitia, ad quae omnes de clero viri per orbem accedant. – 167. Aliquando S. C. C. concedit facultatem adunandi Synodos, solis vicariis foraneis aut districtuum decanis convocatis. – 168. 169. Sine iustis causis a Synodis convocandis ne abstineant Episcopi iuxta egregium Bened. XIV. monitum. – 170. Hisce praesertim nostri aevi temporibus Synodus quocumque in oppido celebrari potest; sed locus congruentior est cathedralis. – 171. Vicarii Generales sine speciali mandato nequeunt celebrare Synodos. Neque Praelati *Nullius* sine privilegio Apostolico. Episcopus in ferendis legibus synodalibus Capitulum tenetur audire, sed non sequi. Capitulum constitutionibus aliisque legibus, etsi factis sine eius assensu, subiicitur. – 172. De casu speciali causae *Asculan. et Larinen.* Non potest fieri lex, ut clerici acta Synodi emere teneantur. – 173. Qui locus Vicario Generali conveniat in Synodo? qui Capitulo collegiatae? – 174. 175. Beneficiati simplices et simplices sacerdotes Synodo adesse cogendi non sunt, nisi adsit consuetudo. – 176. Quinam e Regularibus et quando Synodo adesse adstringi possint. – 177. Quando, et ad quas poenas contra Regulares recusantes Episcopus procedere possit. Parochi dioeceseon *Nullius* ad Synodum vicinioris Episcopi accedere tenentur. – 178. Casus specialis causae *Cremonensis.* – 179. Bened. XIV. opus celebratissimum *de Synodo dioecesana* elucubravit.

148. Tridentini Patres *Cap. 2. sess. 24. de Reform.* ita decreverunt. « Provincialia Concilia sicubi omissa sunt, pro moderandis » moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliis- » que ex sacris canonibus permissis renoventur. Quare Metropo- » litani per seipsos, seu, illis legitime impeditis, Coepiscopus an- » tiquior intra annum ad minus a fine praesentis Concilii, et » deinde quolibet saltem triennio post octavam Paschae Resur- » rectionis D. N. I. C., seu alio commodiore tempore, pro more » provinciae, non praetermittat Synodum in provincia sua cogere, » quo Episcopi omnes et alii, qui de iure vel consuetudine in- » teresse debent, exceptis iis, quibus cum imminenti periculo » transfretandum esset, convenire omnino teneantur. Nec Episcopi » comprovinciales praetextu cuiuslibet consuetudinis ad metropo- » litanam ecclesiam in posterum accedere inviti compellantur. » Itidem Episcopi, qui nulli Archiepiscopo subiiciuntur, aliquem » vicinum Metropolitanum semel eligant, in cuius Synodo pro- » vinciali cum aliis interesse debeant, et quae ibi ordinata fue-

» rint, observent ac observari faciant. In reliquis omnibus eorum
» exemptio et privilegia salva atque integra maneant. Synodi
» quoque dioecesanae quotannis celebrentur; ad quas exempti
» etiam omnes, qui alias cessante exemptione interesse deberent,
» nec Capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur: ra-
» tione tamen parochialium aut aliarum saecularium ecclesiarum
» etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, qui-
» cumque illi sint, Synodo interesse. Quod si in his tam Metro-
» politani, quam Episcopi, et alii suprascripti negligentes fuerint,
» poenas a sacris canonibus sancitas incurrant. »

149. Summi Pontifices pro ea, quam gerunt, sollicitudine omnium ecclesiarum, nunquam destiterunt huiusce obligationis implementum Antistitibus enixe commendare. Praeclarissima vero hac in re laus s. m. Pio PP. IX. debetur, qui nullam occasionem praetermisit, peculiariter in actis, quae publice promulgavit, quin occasionem arriperet Synodorum tum provincialium tum dioecesanarum ubique redintegrationem inculcandi. Satis sit referre, quae scripsit in encyclicis ad Italiae Episcopos Literis, *Nostis quidem* diei 8. Decemb. 1849. § *Absit*. « Agite igitur, Ven. Fratres, advi-
» gilate impensius super creditum gregem, eumque a rapacium
» luporum aggressibus et insidiis tueri contendite. Communicate
» invicem consilia, pergite, ut iam instituistis, coetus habere in-
» ter vos, ut malorum insidiis, et praecipuis pro locorum diver-
» sitate periculorum fontibus communi investigatione perspectis,
» sub auctoritate ac ductu huius sanctae Sedis promptiora illis
» remedia comparare valeatis, atque ita una nobiscum concordis-
» simis animis, totoque pastoralis studii robore curas laboresque
» vestros, Deo adiuvante, in id conferàtis, ut omnes hostium Ec-
» clesiae impetus, artes, insidiae, molimina irrita fiant. »

150. Impensum huiusmodi studium Deus exitu faustissimo fortunavit; namque sub eius Pontificatu ubique revixit fere intermissa Synodos provinciales, ac deinde dioecesanas congregandi disciplina; in qua re praecipue Galliarum, Germaniae et Italiae Antistites eminuerunt. Itaque si unquam, nunc praecipuo studio S. Congreg. Concilii SSmi D. N. iussui ac voluntati obsecuta in literis, quas ad Episcopos super relato suarum ecclesiarum statu reddere solet, data opportunitate, incitamentum eisdem adiicere minime omittit, ut, si Archiepiscopi sunt, provincialem, si Episcopi, dioecesanam Synodum indicant.

151. Quando vero aliquis Episcopus dioecesanam Synodum sese habere non posse referat, nisi prius a suo Archiepiscopo provinciale Concilium celebratum fuerit, eadem S. C. ipsum hortatur, ut Archiepiscopo eidem obsequiose suggerat, ne velit provincialem Suffraganeorum conventum diutius differre: de cetero enim summopere praestat, ut haec in antecessum locum habeat, quae dioecesano conventui viam quodammodo sternat.

152. Quod si S. C. tam sollicitam in urgenda Synodorum convocatione sese ostendit, consentaneum est officio institutoque suo; namque s. m. Sixtus V. in Constit. *Immensa* anni 1588. §. 2. sic praecipit: « Et quoniam eodem Concilio Tridentino decretum est, » Synodos provinciales tertio quoque anno, dioecesanas singulis » annis celebrari debere, id in exsecutionis usum ab iis, quorum » interest, induci eadem Congregatio (Conc. Tridentini Interp. ac » vindex) providebit. Provincialium vero, ubivis terrarum illae ce- » lebrentur, decreta mitti ad se praecipiet, eaque singula expen- » det et recognoscet. »

153. Extrema haec Sixtinae Constitutionis verba aditum patefaciunt disciplinae declarandae, quam sequitur S. C. C., cum acta ac decreta Synodorum, sive provincialium sive dioecesanarum, expendenda eidem deferuntur. Et primo praemittendum censeo, nonnullos Archiepiscopos illud curasse, ut, antequam Synodi habendae veniret dies, quasdam praestituerint leges in actu synodalium sessionum servandas, quas S. Congregationi pro approbatione transmiserunt. At vero id non est necessarium; tametsi S. C., ut iisdem Archiepiscopis rem gratam faceret, et maiorem animum tanto operi perficiendo adiiceret, easdem suis auctoribus cum aliquibus, si forte opus erant, animadversionibus remittere non abnuerit.

154. Aliquando contingit, ut aliqua dubia Archiepiscopo, vel Episcopo obveniant circa Synodi celebrationem, quae S. Congregationi proposita Emi Patres resolvere non recusant. Sic ex. gr. quidam Archiepiscopus sciscitabatur, quam rationem sequi deberet circa eos, qui ad Synodum dioecesanam accedere legitime impedirentur; itaque S. C. mense April. 1863. rescripsit ex mandato Summi Pontificis, ut « omnes, qui de iure vel consuetudine » synodali conventui interesse tenerentur, tuis literis admonere » satis habeas. Quod si qui sint, qui legitimis impedimentis de- » tenti accedere praepediuntur, ac praesertim parochi, qui alium

» sacerdotem in suum locum absentiae tempore subrogare ne-
» queunt, tuo prudenti iudicio relinquitur eorumdem excusatio-
» nes excipere, eosque ab huiusmodi accessu indulgenter exime-
» re, prouti docet Bened. XIV. *de Synod. dioec. lib. III. cap. 12.*,
» potissimum *num. 3.* Quod enim legum ferendarum vim respi-
» cit, ad rem idem tradit *(loc. cit. n. 7): Solus Episcopus est*
» *iudex ac legislator, ipse sua decreta facit ac promulgat, et quam-*
» *vis adstantium consilium exposcat, non tamen cogitur illud se-*
» *qui.* Hoc autem tantummodo perficiendum est, quod fieri potest,
» ne desint parochi aut vicarii foranei. » Idem praescripsit S. C.
alii Episcopo eamdem rem percontanti.

Hoc vero non est negligendum, antequam Synodus aperiatur, ut, si aliqua forte controversia suboriatur, quam Antistes in continenti dirimere nolit vel nequeat, ne mora Synodo innectatur, dissentientium iura reservet, et interim illud statuat, quod melius in Domino videatur. Ita porro sese gessit Archiepiscopus N. N. in Synodo habita, volvente mense Septembri 1858.

155. Cum enim canonici ecclesiae metropolitanae conquesti fuissent, *primo* sese ad Synodum ita fuisse invitatos, ut non adinstar collegii, ceu volebant, sed per procuratores interessent, *secundo* autem, in sessionibus post Abbates, qui territorium separatum haberent, sese collocatos fuisse, quod sibi non competere arbitrabantur; iudices synodales, Archiepiscopo approbante, utramque petitionem interim reiecerunt, reservatis iuribus Capitulo competentibus sine ullo praeiudicio in posterum, prout de iure, diiudicandis. Itaque, absoluta Synodo, Archiepiscopus rem ad S. C. C. detulit, in qua plenis comitiis diei 18. Iun. 1859. dubium propositum fuit: « An et quomodo in proximis Synodis servari
» debeat decretum iudicum synodalium diei 30. Sept. 1858., tum
» circa Capituli N. N. ad Synodum per procuratores accessum, tum
» circa ordinem sedendi in casu? » S. C. respondit, « Capitulum me-
» tropolitanum esse invitandum ad Synodum provincialem, quate-
» nus in eadem civitate celebretur, ordinato tamen servitio chori
» arbitrio et prudentiae Archiepiscopi. Canonici autem, sive colle-
» gialiter sive per procuratores intervenientes, locum habeant
» iuxta praescriptum in Caeremoniali Episcoporum (Lib. 1. c. 31.) »
in quo nempe statuitur, ut canonici ceteris praecedant, si capitulariter procedant, sin vero secus sit, Abbates et Commendatarii praeferantur, ac deinde procuratores Capituli succedant.

156. Hisce praenotatis, ad rem venio. S. m. Pius PP. IX., ut facilius propositum Sixtinae Constitutionis finem attingeret, stabiliter Congregationem specialem suo decreto deputavit super recognitione Conciliorum provincialium, prout videre est in opere, quod singulis annis editur inscriptum *Annuario* etc., vel *La Gerarchia cattolica*. Eam ex nonnullis Cardinalibus coalescere voluit, qui ad generalem Congregationem pertinent Tridentinis decretis interpretandis praepositam. Insuper complures Consultores inter Romanae curiae Praelatos et e saeculari vel regulari clero viros electos adiunxit, eumdemque Cardinalem Praefectum et Secretarium nominavit, qui S. Cong. Concilii pro tempore addicti sunt. Ratio vero, quae in examine Synodorum conficiendo servatur, haec est: in primis acta ac decreta synodalia uni e Consultoribus mittuntur, qui eadem a prima ad ultimam paginam accuratissime excutit, suasque observationes conficit, quae typis eduntur. Subinde singulis Consultoribus harum exemplar una cum actorum et decretorum synodalium exemplari distribuitur, qui posthac stata die in aedibus Secretariae S. Congregationis, Secretario praeside, conveniunt, ibique animadversiones ipsas approbant vel reiiciunt, ac novas etiam pro opportunitate subiiciunt. Quidquid in hoc praecursorio conventu deliberatum fuerit, typis itidem editur, et singulis Cardinalibus specialem Congregationem constituentibus cum auctorum et decretorum exemplari traditur. Patres Cardinales in aede Cardinalis senioris die praestituta, interveniente Cardinali Praefecto ac Secretario, in unum coeunt, ibique Consultorum deliberationes vel amplectuntur vel reiiciunt, et siquid novi advertendum occurrat, et ipsi pariter proponunt ac definitive servari mandant. Patrum deliberationes una cum exemplo literarum, quibuscum acta ac decreta synodalia ad suum auctorem remitti debent, SSm̃i D. N. oculis subiiciuntur, antequam expediantur.

157. Quamvis autem tanta maturitate hae Synodi examinentur, nihilominus huiusmodi res non utique pontificiam approbationem proprie dictam secum fert, sed merae recognitionis limites non excedit; ideoque in literis Sacrae Congregationis, quibuscum acta ac decreta sic recognita remittuntur, dedita opera omnino cavetur, nequid verbum excidat, quod propriam et veram approbationem sonare videatur. Si enim Synodorum provincialium decreta ad S. C. transmitti iussit Sixtus V., huiusce certe rei

causa non fuit, « ut postea (sic Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. XIII.* » *cap. 3. n. 3.*) confirmationem (Praesules) reportent ab Aposto- » lica Sede, sed ut corrigatur, siquid fortasse in iisdem aut ni- » mis rigidum, aut minus rationi congruum deprehendatur. » Et hanc perpetuo fuisse S. C. disciplinam, pluribus exemplis ostendit, licet aliquando vetustiori tempore acciderit, ut sancta Sedes etiam Concilia provincialia comprobaverit.

158. Exigitur in hoc articulo ad normam Tridentini decreti, quod superius exscripsimus, ut in statu referendo Episcopi, qui nulli Metropolitano subiecti sunt, renuntient, an Archiepiscopum elegerint, cuius Synodo intersint, et num reapse ad Synodum eamdem accesserint. Postquam, ineunte praesenti saeculo, nova ubique fere dioeceseon circumscriptio invecta est, non ita frequentes occurrunt Episcopi, qui ad nullum uti suffraganei Metropolitanum pertineant. Supersunt tamen complures Praelati inferiores, territorium separatum habentes cum qualitate *Nullius*. Hi profecto, uti supra demonstratum est, vi sui muneris facultatem convocandae Synodi non habent: attamen saepenumero eamdem obtinent ex privilegio ab Apostolica Sede impetrato. Iamvero in primo casu, quoniam Synodo vicini Episcopi interesse debent, eiusque synodalibus statutis subesse, non est locus eligendi Archiepiscopum, cuius Concilio interveniant: bene vero in secundo, veluti declaratum est in quadam Congregatione sub Bened. XIII. habita die 28. Maii 1725., de qua mentionem facit Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. III. cap. 1. n. 16.* Sed insuper declarationem ipsam omni ex parte suis verbis exhibet lib. XIII. cap. 8. num. 14., eamque a nullo eatenus auctore in lucem editam fuisse refert. Ipsa porro ita se habet:

« Examinato diligenter decreto sacri Concilii Tridentini Sess. » 24. cap. 2. de electione Metropolitani per Episcopos, qui nulli » Archiepiscopo subiiciuntur,... concordibus et uniformibus votis » fuit resolutum, ut sequitur:

» Primo, Archiepiscopos, qui non habent Suffraganeos, non » teneri eligere Metropolitanum ad effectum conveniendi in eius » Concilio provinciali.

» Secundo, sex Cardinales Episcopos urbium Romae adiacen- » tium non teneri, ut supra.

» Tertio, Episcopos omnes, qui sunt inter provinciam Capua- » nam et Pisanam, non teneri eligere Metropolitanum ad effe-

» ctum praefatum. Eos nihilominus, qui vel quorum antecessores
» iam semel post Tridentinum elegerunt Metropolitanum, teneri
» stare electioni; prout etiam Episcopos, qui a provincia Roma-
» na, inter dictas Capuanam et Pisanam constituta, divulsi fue-
» runt, et assignati Suffraganei ecclesiarum in metropolitanas ele-
» ctarum, eidem subesse.

» Quarto, Episcopos vere immediate subiectos Apostolicae Sedi,
» qui sunt extra praefatam provinciam Romanam, ubicunque lo-
» corum existentes, omnino teneri eligere Metropolitanum iuxta
» decretum Concilii Tridentini Sess. 24. cap. 2. de reform., qua-
» tenus ipsi vel eorum antecessores iam non elegerint.

» Quinto, Abbates aliosque Praelatos inferiores *Nullius dioe-*
» *cesis*, habentes iurisdictionem quasi-episcopalem in clerum et
» populum, cum territorio separato, teneri eligere Metropolitanum,
» ut supra.

» Sexto, Episcopos, Abbates et Praelatos inferiores, qui debent,
» ut supra, eligere Metropolitanum, etsi non teneantur eligere
» viciniorem, debere tamen, iuxta dictum decretum Concilii Tri-
» dentini, vicinum eligere; quod est intelligendum de non nimis
» longe distante, habita ratione regionum. »

Heic loci ad quartum dubium quod attinet, silentio praeterire nolim, non ita pridem die 26. Iunii anni 1865. cuidam Episcopo extra Italiam, qui sanctae Sedi immediate subditus erat, a S. C. Conc., dum eiusdem relationi de statu ecclesiae ipsi concreditae responderet, in eam sententiam adamussim perscriptum fuisse, ea punctim declaratione penes Bened. XIV. allegata.

159. In eadem Congregatione ad 1. dubium resolutum est, Archiepiscopos, qui non habent Suffraganeos, non teneri eligere Metropolitanum ad effectum accedendi ad eius provinciale Concilium. Si tamen fecerint, laudandi utique videntur, exemplo sumpto a SSmo D. N., qui in Literis encyclicis *Cum nuper* diei 20 Ian. 1858. ad Antistites utriusque Siciliae regni sic eis perscribit eo ipso, quo ad Synodos habendas eosdem excitat. « Et
» cum in isto regno nonnulli existant Archiepiscopi, qui Suffra-
» ganeis carent, et aliqui adsint Episcopi, qui istic Metropolita-
» num non habent, atque idcirco provinciale Concilium agere
» haud possunt, eorumdem sacrorum Antistitum prudentiae erit,
» omnia locorum ac temporum adiuncta diligenter ponderare, ut
» cum illis Episcopis ad huiusmodi Concilium habendum una

» simul conveniant, cum quibus magis in Domino expedire cen-
» suerint, sine tamen vel minima immutatione quoad ecclesia-
» rum statum, ac sine ullo prorsus detrimento iurium ac privi-
» legiorum, quibus ipsi sacrorum Antistites legitime gaudent ac
» potiuntur. »

160. « Sunt nonnulla Capitula (ita S. C. C. apud Bened. XIV.
» *de Syn. dioec. lib. XIII. cap. 8. n. 13.*) ecclesiarum, quae prae-
» tendunt, se exempta et immediate Sedi Apostolicae subiecta,
» licet eorum Episcopi isto privilegio minime gaudeant, sed sub-
» sint suis Metropolitanis. Modo quaeritur, an, sicut Episcopus
» exemptus tenetur semel eligere Metropolitanum, eiusque Synodis
» provincialibus interesse, et decreta in illis condita observare,
» idem dicendum sit de istis Capitulis exemptis, vel potius di-
» cendum sit, ut decreta illius Concilii provincialis, cui interfue-
» rit illorum Episcopus non exemptus, observare debeant. SSm̃us
» D. N. etiam ex sententia S. Congreg. Conc. declaravit, ita de-
» bere observari. » Ita legitur *lib. I. decret. pag. 51. anni 1573.* »

161. Nunc de Synodo dioecesana verba facimus, super qua, aeque ac de Synodo provinciali superius praestiti, animadvertere non omitto, summopere expedire, ut, antequam Synodus aperiatur, controversiae, quae forsan obveniant, quoad fieri potest, vel dirimantur, vel, re interim, uti melius videatur in Domino, provisa ac disposita, decretoria sententia ad aliud tempus sine ullius praeiudicio perimenda differatur. Haud pridem ita egit Fabrianensis et Mathelicensis Episcopus in ea, quae sequitur controversia. S. m. Pius VI. Fabrianensem et Mathelicensem dioecesim aeque principaliter sub uno Antistite coniunxerat. Cum itaque Episcopus pro tempore anno 1846. Synodum in Fabriani civitate agere statuisset, Fabriani Capitulum ac proceres civitatis una contendebant, *ius habendae Synodi ita privative spectare ad cathedralem Fabrianensem, ut Capitulum Mathelicense teneretur ad illam accedere.* Igitur Episcopus controversiam S. Congregationi Concilii subiecit, quae in generalibus comitiis responsum Fabrianensibus inimicum protulit. Vide *Fabrianen. et Mathelicen. Synodi* 11. Iul. 1846.

162. Si vero S. Congregatio Concilii Synodos provinciales non solet vere ac proprie approbare, sed tantum recognoscere, Synodos dioecesanas ne recognoscit quidem aut expendit. Episcopi enim plenam ac liberam habent a iure canonico auctoritatem

ferendi leges in propria dioecesi, quam integram eisdem Sacer Ordo relinquit. In quo nihil ulterius a Sede Apostolica praescriptum est, veluti evenit de Synodis provincialibus, circa quas tantummodo Sixtus V. in Constit. « *Immensa* » praecipit, ut acta synodalia S. Congregationi recognoscenda ante promulgationem transmittantur. Huiusmodi vero disciplina confirmata fuit in *Strongolen.* 17. Iun. 1645. *(lib. 17. decret. pag. 484.)* penes Benedictum XIV. de Syn. dioec. *lib. XIII. cap. 3. n. 6.* Si vero, ut saepissime fit, Episcopi actorum synodalium exemplar cum relatione status dioecesis remittunt, lubentissime accipit S. C. Casus enim intercidere queunt, quibus eadem acta consulere in expediendis illius dioecesis negotiis summopere prosit; verumtamen eos dumtaxat de hac diligentia in Synodo coacta laudare satis habet. Id nuperrime accidit de Episcopo Eugubino, qui una cum relatione status Synodum habitam exhibuit, reque ad SSm̃um D. N. die 11. Novembris 1854. a R. P. D. Secretario delata, Sanctitas sua man-
» davit, ut in responsione ad Episcopi Eugubini relationem unice
» laudetur zelus ipsius in Synodo dioecesana celebranda, et ita
» sarta tectaque servetur ratio a S. C. recepta, quae Synodos
» dioecesanas non recognoscit nec approbat. Idipsum vero ser-
» vetur (eiusdem oraculi Pontificii verba sunt) in responsionibus
» ad eos Antistites, qui vel transmiserint, vel transmissuri essent
» in posterum Synodos dioecesanas una cum petitione, ut a S. C.
» confirmationem accipiant. »

163. Bened. XIV. *loc. cit. n. 7.* mentionem facit de quibusdam Antistitibus, qui suo tempore synodales constitutiones transmiserant ad aliquem virum doctum, rerumque ecclesiasticarum peritum in Urbe commorantem, aut etiam ad aliquem Cardinalem S. Congregationi adscriptum, ut suum de illis iudicium et consilium exquirerent. Huiusmodi mandatum aliquoties, dum esset in minoribus, idem Pontifex accepit. Hisce etiam temporibus eamdem cautionem adhibitam ab aliquibus Episcopis fuisse scio, quos inter honoris causa nomino vigilantissimum Mandelensem Episcopum, Nicolaum Crispigni, cui in hac re meam qualemcumque operam praestare debui. Id autem privati iudicii vim non exsuperat (ut quisque videt), etiamsi per accidens ad S. C. Conc. censor ille privatus pertineret.

164. Quae hactenus dicta sunt, non ita accipi debent, ut nullam in synodalibus constitutionibus negotii partem sibi sumat

S. C. Nonnunquam enim fit, ut aliquae sanctiones in particulari irrationabiles, vel onerosae, vel utcunque corrigendae videantur. Cum igitur ita se res habeat, licet ad S. C. appellationem interponere, quae, rationabili intercedente causa, admittitur in devolutivo tantum, minime vero in suspensivo (Bened. XIV. *lib. XIII. de Syn. dioec. cap. 5. n. 12. ac 13.*) Qua de re penes eiusdem Secretarium peculiaribus appellationibus capitibus distincte constitutis, et sub respectiva dubiorum formula propositis, auditis utrimque partibus, res in plenis comitiis disceptatur ab Emis Patribus S. Congregationis, eaque sententia profertur, quae melior sapientissimo eorum consilio existimatur. Id factum esse circa celebrem Baptistelli, Episcopi Fulginatensis, Synodum anni 1722. testatur Bened. XIV. *l. c. lib. XIII. cap. 5. n. 13.*, idemque factitatum fuisse constat in similibus casibus subsecutis, ut in *Viterbien. Synodi* diei 12. Maii 1764.

165. Ob locorum ac temporum circumstantias, aliaque adiuncta persaepe sese impediri renuntiant Episcopi, quominus synodalem conventum habere possint. S. C. pro instituto respondere solet, sese confidere, quod ubi primum ipsis prona sese praebeat occasio, eumdem convocare non praetermittant. Interim vero iisdem inculcat, ut eiusdem defectui suppleant iis rationibus, quas indicat Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. 1. cap. 2. n. 5.*, quem locum excribimus: « Qua in re praestat audire S. Congre-
» gationem Concilii, quae praecipuas suggerit industrias substi-
» tuendas Synodo, cum ab Episcopo fieri nequit. Etenim cum
» Episcopus Canariensis, occasione Visitationis Sacrorum Liminum
» ad praefatam Congregationem transmisisset relationem status
» suae ecclesiae, eidemque significasset, impossibile sibi esse dioe-
» cesanam Synodum cogere, S. C. literis ad ipsum datis anno 1720.
» rescripsit: Reliquum est, ut tuis postulatis respondeam. Pri-
» mum difficultates dioecesanae congregandae Synodi nobis ob
» oculos ponis, et eae quidem maximae sunt, vetantque profecto
» omnem ecclesiasticorum conventum fieri. Verum S. C. certior a
» te fieri cupit, an in unaquaque insula possent per annos sin-
» gulos, definito a te per edictum loco ac die, aut omnes, aut
» maior clericorum pars, quibus Synodo interesse ius est, com-
» mode coire, vices suas uni, aut pluribus procuratoribus dele-
» gaturi: et an qui electi fuerint, possent, accepto authentico
» legationis suae testimonio, statuto pariter tempore, te conve-

» nire, ut referrent suarum ecclesiarum statum, cleri et populi » mores, religionem, pietatem, templorum decus, piorum locorum » administrationem, ceteraque omnia, quae opus forent. Collatis » tunc ipse consiliis, quid agendum esset, imperares, veluti de » Synodi sententia, imperataque illi ad suos adducerent, cura- » rentque perfectum iri. Id enimvero Synodi speciem obtineret, » maximumque inde fructum caperes; quippe quid ubique tuae » dioecesis agatur, penitus internosceres, habitoque cum gravis- » simis viris, quales huiusmodi procuratores creandi essent, ser- » mone, melius universis ecclesiae tuae rebus consuleres. Hoc si » fieri nequeat, dioecesim tibi per edicta regere necesse erit, » quae invalescentibus fortasse animorum moribus remedium in » dies afferant, exacuant populos ad virtutem. Curandum tamen » erit, ut eadem edicta non negligantur, et haudquaquam ne- » glecta fuisse ex unaquaque insula testimonium tibi identidem » afferatur. – Salutaribus hisce S. Congregationis monitis morem » gerere deberent Episcopi extra Italiam, ac praecipue in Ger- » mania degentes, si verum est, quod scripsit Leopoldus Pilatus, » canonicus Tridentinus, in suis *Orig. Iuris Pontificii lib. 5. tit. 2.* » *de Conc. ecclesiasticis*, fieri nimirum non posse ob dioecesium » amplitudinem, parochorum paupertatem, atque itinerum diffi- » cultatem, ut illi singulis annis Synodum celebrent. »

166. Hisce addit quandoque S. C., ut omnes de clero viros ad pias meditationes peragendas in sacro recessu iidem Episcopi convocent (idque per orbem seu vicissim fiat, ne videlicet uno eodemque tempore fideles cuiuslibet sacerdotis praesentia et ope destituantur) eaque occasione simul consilia conferant, quo malorum germina detegant, et idoneis legibus stirpitus evellere providcant.

167. Sedes Apostolica pro varietate circumstantiarum et adiunctorum illud etiam nuperrime consilii cepit, ut facultatem faceret nonnunquam Episcopis celebrandi Synodum, unis vocatis decanis. Id porro evenit pro Leodiensi dioecesi: cum enim ibi exiguus esset sacerdotum numerus, neque facile invenirentur, qui in parochorum absentia fidelibus praesto essent, nullum magis idoneum remedium occurrit, quam quod huiusmodi facultas Episcopo Leodiensi fieret. Subinde vero SSmus D. N. in encyclicis Literis die 5. Nov. 1855. ad Austriacae ditionis Episcopos monitum iis praebuit, ut concurrentibus iisdem vel adsimilibus

circumstantiis, hanc veniam ab Apostolica Sede postularent, ceu testatur *folium* causae N. N. supra *n. 155. (pag. 222.)* citatum sine titulo, diei 18. Iun. 1859. Et reapse unus et alter ex illis Episcopis idipsum supplices petivere et assecuti sunt a Summi Pontificis benignitate.

168. Caveri debet, ne (quod facillime accidit) Episcopi ab hoc praecepto Synodi convocandae tam gravissime per sacros canones et Concilium Tridentinum iniuncto sese eximant sine iustis et gravibus causis. Praestat audire Benedictum XIV., quo auctore ac magistro tam crebro et libenter utimur. Ipse igitur in opere *de Syn. dioec. lib. 1. cap. 6. n. 5.*, postquam aliquorum auctorum hac in re paulo laxiorem doctrinam carpere instituerat, ita prosequitur:

169. « Nos vero, quamquam non negemus, potuisse Triden-
» tini decretum contraria consuetudine nonnihil emolliri et tem-
» perari, non idcirco tamen approbamus effrenem istam licentiam,
» quam privati doctores sibi usurpant, illud pro libitu, etiam
» contra expressa eiusdem verba, interpretandi et limitandi: ne-
» que illos excusamus Episcopos, qui, cum nihil sit, quod eos
» impediat, ex sola secordia et negligentia Synodum facere prae-
» termittunt: eosque magis redarguimus, qui cum plures annos
» dioecesim gubernaverint, ne de cogenda quidem Synodo cogi-
» tarunt; hi enim ceterique, qui ex mera incuria et inertia prae-
» fato Tridentini praecepto non parent, et sine ulla causa Syno-
» dum facere omittunt, meminisse deberent, se, praeter reatum
» inobedientiae, poenam incurrere suspensionis ab officio statu-
» tam in *cap.* Sicut olim *de Accus.:* « *Quisque autem hoc salutare*
» *statutum neglexerit adimplere, a sui exsecutione officii suspen-*
» *datur.* » Pergit Pontifex inquiens hanc suspensionem non esse *latae*, sed *ferendae sententiae:* subinde sequitur: « Neque audiendi
» sunt, qui ad propriam obtegendam ignaviam, se consulto ac
» prudenter abstinere dictitant a Synodi coactione, ne novarum
» constitutionum in dies accessione commissae sibi dioecesis sta-
» tus perturbetur. Nam in primis necesse non est, ut novae con-
» stitutiones in Synodo edantur, sed quandoque expedit solam
» urgere exsecutionem illarum, quae iam sancitae fuerunt... Deinde
» difficile videtur, hoc tempore, quo ecclesiastica disciplina quo-
» tidie consenescit et labefactatur, aliquam inveniri dioecesim,
» cui opus non sit ulla nova constitutione, qua saltem antiquae

» leges corroborentur, et, quae morum corruptela pene obsoleve-
» runt, revirescant. »

170. Haec rationum momenta mirum quantum augescunt hoc tempore, quo tanta rei sacrae et civilis conversio facta est, morumque antiquorum in peius commutatio. Ceterum, eo duce Pontifice, in hanc fere sententiam S. C. rescribit iis Episcopis, qui causantur celebratum synodalium decretorum corpus, quo a decessore aliquo dioecesis sibi concredita iam retro ditata fuerit. Neque enim necesse est, quae bene statuta sunt, rescindere et antiquare, veluti sapientissime monet laudatus Pontifex, quem consulere poterit quicumque plura in hoc de Synodis argumento desiderat.

Ad hanc Synodorum materiam aptissime faciunt nonnullae S. C. Conc. declarationes, quas omittendas non arbitramur.

« S. C. respondit, posse Episcopum in dicto oppido (quod
» situm erat in ambitu dioeceseos) dioecesanam Synodum congre-
» gare, sed satius esse, ut illam apud suam cathedralem celebret.»
Acernen. 17. Maii 1636. *(lib. 15. decret. p. 355.)*. Idem dicendum esse videtur de Synodis provincialibus, quas in aliqua ex cathedralibus suffraganeis haberi posse demonstratur exemplo plurium Conciliorum provincialium, quae ultimis hisce temporibus in Gallia celebrata sunt. Praeterea vide Bened. XIV. *de Syn. dioec.* l. 1. c. 5. n. 3.

171. Alias propositum est dubium: « An Vicarius Generalis
» possit, Episcopo absente, Synodum dioecesanam congregare, ita
» ut constitutiones in ea editae sint observandae? S. C. respondit:
» Non potuisse absque speciali mandato Episcopi, ac propterea
» constitutiones in Synodo, ut proponitur, factas, esse ipso iure
» nullas. (4. Dec. 1655. ex lib. 19. decret. pag. 543. apud Bene-
» dictum XIV. *de Syn. dioec.* lib. 3. cap. 8.). »

» S. C. censuit, Abbatem non posse congregare Synodum,
» quamvis habeat iurisdictionem quasi-episcopalem, nisi habeat
» etiam ius congregandi Synodum, scilicet beneplacitum Aposto-
» licum ad hoc plane concessum. *Nullius* 17. Aug. 1626. »

Episcopum in Synodo dioecesana per se constitutiones facere posse absque consensu et approbatione cleri, requirendum tamen consensum Capituli, licet id non teneatur sequi Episcopus, praeterquam in casibus a iure expressis, S. C. censuit in *Urgellen.* 1581. *(lib. 3. decret. pag. 34.)*. Eodem modo rescripsit in *Burgen.* 5. Iul. 1627. *(lib. 13. decret. pag. 267.)* et saepius Bened. XIV.

de Syn. dioec. lib. 13. cap. 1. n. 10. et seq. Hinc est, quod Capitulum non exemptum constitutionibus synodalibus, sive aliis legibus etiam per edicta ab Episcopis absque illius consilio et assensu promulgandis subiici declaravit S. C. Conc. in *Gerunden. Exempt.* 19. Dec. 1739. ad 4.

172. Cum Episcopus Asculanus Synodum habiturus decreta quaedam, quae ferre constituerat, Capitulo ecclesiae cathedralis et parochis civitatis legenda tradidisset, nimis aspera ea esse rati parochi per procuratores Episcopum adierunt, ut ea moderaretur, ac protestationem in Synodo ediderunt. Quae cum prospere non successissent, demum protestationem, qua cleri mentem ab illorum decretorum approbatione alienam esse dicebant, obtulerunt procuratori cleri, eoque illius receptionem scripto fateri recusante, ope publici notarii eamdem in eius acta insinuandam curaverant. Moniti postea, ut quae emollienda cuperent, specifice indigitarent, cleri tantum nomine expuncto, renovarunt protestationem. Re delata ad S. C., cum rescriptum prodiisset: « Episcopus procedat prout de iure », vocatis parochis Episcopus iniunxit, ut recollectiones spirituales in religiosis domibus unicuique ab Episcopo designandis iuxta instructionem dandam earumdem recollectionum directoribus explerent. Provocarunt ab hoc decreto parochi, et dubio proposito: « An decretum poenale Episcopi sit exse» quendum in casu? » S. C. rescripsit: « Ad mentem, et mens » est, quod suspenso decreto poenali, una simul et publice pe» tant veniam ab Episcopo. *Asculana* 29. Aug. 1767.; » sed huius causae folium habetur ad diem 11. Iulii eiusdem anni.

Episcopus Aquinas, postquam clericis suae dioeceseos hanc legem imposuerat, ut synodales constitutiones ab ipso in lucem editas sub poena suspensionis et censurarum emerent, canonicos cathedralis ecclesiae, cum huic mandato non satisfecissent, in suspensionem a divinis incidisse declaravit. Ab hac sententia cum canonici appellassent, suspensionem non teneri S. C. iudicavit. (*Aquin.* Suspens. et Censur. 28. Febr. 1750.). Simili modo clericos dioecesanos ad emenda synodi exemplaria cogi non posse censuit in *Larinen.* 30. Aug. 1732. ad Dub. 12.

173. S. C. respondit: « Vicarium Generalem in Synodo dioe» cesana habere locum ante canonicos et dignitates ecclesiae ca» thedralis, si non sint parati. *Petragoricen.* 16. Sept. 1649. (ex » lib. 18. decret. pag. 678.), relata a Bened. XIV. *de Syn. dioec.*

» lib. 3. cap. 10. n. 4., qui tamen ex ipsis S. C. declarationibus » addit: « nisi Vicario assistat consuetudo etiam tunc praecedendi, » aut nisi ipse pariter sit indutus habitu praelatitio, rocchetto » videlicet ac mantelletta, iuxta alias eiusdem S.C. declarationes.»

An in Synodo dioecesana Capitulum collegiatae sit parocho matricis ecclesiae praeferendum? S. C. Rituum respondit: « In » Synodo canonicos collegiatae praeferendos esse cuilibet parocho, » etiam matricis ecclesiae eiusdem loci. » *Montis Regalis* 4. Augusti 1657. ad 3.

174. « S. C. censuit, Episcopum non posse cogere ad acce- » dendum ad Synodum habentes beneficia simplicia, nisi ex con- » suetudine aliud observatum fuerit. *Tulen.* 17. Mart. 1593. (Ex » lib. 7. decret. p. 69. relata a Bened. XIV. *de Syn. dioec.* lib. 3. » cap. 6. num. 1.). »

Episcopo Balneoregiensi petenti sibi responderi: « An ipse » cogere posset simplices sacerdotes non beneficiatos suae dioe- » cesis ad interessendum Synodo dioecesanae? et quid, si con- » currat consuetudo? S. Congr. respondit: Ad 1. non posse co- » gere, quando in Synodo agendum sit de reformatione morum, » sive de aliqua re concernente totum clerum, vel de intimandis » decretis factis in Synodo provinciali, hoc autem casu in ipsa » Synodi convocatione faciendam esse mentionem, quod de prae- » dictis sit tractandum. Ad 2. concurrente consuetudine, posse.» 15. Dec. 1629. (lib. 14. *decret.* relat. a Bened. XIV. l. c. n. 2.).

175. Utramque responsionem confirmavit in *Ianuen.* 10. Septembris 1633., addens in circumstantiis, in quibus simplices beneficiarii, aliique de clero Synodo adesse coguntur; eos non esse admittendos ad votum ferendum pro confirmatione iudicum et examinatorum synodalium *(Ex lib. 14. decret. pag. 780.* apud Bened. XIV. *loc. cit. n. 3.).* Repetitae sunt denique in *Forosempronen.* 17. Ian. 1654., adiuncta ad Episcopum secreta monitione, ne absque necessitate cogeret clericos et sacerdotes ad interessendum Synodo *(Ex lib. 19. decret. p. 302.* apud Bened. XIV. *l.c.).*

176. S. C. censuit esse iniungendum omnibus Regularibus, qui vel Capitulis regularibus non subduntur, vel curam animarum exercent, ut ad Synodos dioecesanas accedant sub poena privationis vocis activae ac passivae ipso facto incurrendae, atque aliis poenis arbitrio Episcoporum imponendis, etiam excommunicationis, adeo ut ius declarandi, atque poenas imponendi ad

Episcopum, non obstante quacumque consuetudine, pertineat; eisdemque Episcopis ius sit praedictos Regulares, qui nullis Capitulis subduntur, absolute cogere ad Synodi dioecesanae observationem, eos vero, qui ratione curae animarum interfuerint, ad servanda ea omnia, quae in Synodo decreta fuerint circa curam animarum et administrationem Sacramentorum. 17. Dec. 1604. *(Ex lib. 10. decis. p. 102.* apud Bened. XIV. *lib. 3. cap. 1. n. 10.).* Quod de parochis regularibus hic statutum est, iterum confirmavit S. C. in *Passavien.* 1. Oct. 1661. *(lib. 22. decret. pag. 661.* apud Bened. XIV. *loc. cit.).*

Ad dubia « 1. An patres guardiani ceterique Superiores par-
» vorum conventuum (idest eorum, in quibus non sunt sex Re-
» gulares ex decret. Innoc. X. *Ut in parvis*) teneantur accedere ad
» Synodum dioecesanam, quatenus fuerint vocati ab Episcopo
» tamquam Sedis Apostolicae legato; et quatenus affirmative;
» 2. An casu, quo non interveniant, subiacere debeant mulctae
» in praedicta Synodo adversus contumaces comminatae? S. C.
» respondit ad 1. Affirmative. Ad 2. Affirmative arbitrio Ordinarii,
» excepta mulcta pecuniaria. (*Pientina* 17. Iul. 1703. Bened. XIV.
» lib. 3. cap. 2. n. 6. ac seq.). »

177. Episcopum procedere posse ad poenas etiam censurarum contra Regulares exercentes curam animarum in ecclesiis parochialibus Regularium, si renuant accedere ad Synodum, non autem contra Superiores eorumdem Regularium declaravit S. C. C. in *Segovien.* 1. Aprilis 1657. *(Ex lib. 19. decret. p. 360.* Ben. XIV. *lib. 3. c. 1. n. 13.).*

Ad dubium: « An Rectores, qui sunt Nullius dioecesis, tenean-
» tur accedere ad Synodum dioecesanam illius Episcopi, qui tam-
» quam proximior potest eos visitare? S. C. respondit: teneri. »
12. Febr. 1622. (*Ex lib. 12. decret. pag. 90.* Bened. XIV. lib. 3. cap. 5. num. 3.).

178. Collegiata S. Agathae Cremonae, olim regularis, subiecta immediate fuit Sedi Apostolicae, atque eo privilegio fruebatur etiam, postquam ad saecularem statum redacta erat. Inter Episcopum Cremonensem et Praepositum huiusce ecclesiae, occasione Synodi, plura controversiae capita suborta sunt, quae sequentibus dubiis continentur. « 1. An Praepositus S. Agathae possit
» ultra usum mitrae in cathedrali et actionibus synodalibus uti
» baculo, aliisque pontificalibus et luminibus aureis, cum sepa-

» rato genuflexorio et sede, occasione celebrationis Missae in Sy-
» nodo? 2. An sedes Capituli S. Agathae in cathedrali et Synodo,
» ultra tegumentum panni viridis in capite, ubi sedet Praeposi-
» tus, debeant ornari tapeto? 3. An liceat dicto Capitulo intra
» cathedralem, et in omnibus actionibus et processionibus syno-
» dalibus, habere semper crucem propriam erectam? 4. An Prae-
» positus et canonici subsint scrutinio Synodi dioecesanae? 5. An
» Episcopus possit procedere ad poenas canonicas contra Prae-
» positum et Capitulum ob non accessum ad Synodum? 6. An
» Episcopus in visitatione possit cogere Capitulum ad redditio-
» nem rationis in casu? » S. C. *Cremon. Synodi* 5. Apr. 1732.
rescripsit: « Ad 1. negative, excepto casu mitrae simplicis in acti-
» bus synodalibus tantum. Ad 2. negative intra ecclesiam cathe-
» dralem. Ad 3. negative intra ecclesiam cathedralem. Ad 4. 5.
» et 6. Affirmative, et amplius in omnibus. »

179. Nemo profecto erit, qui ignoret, absolutissimum *de Synodo dioecesana* tractatum a Bened. XIV., cuius auctoritatibus tam saepissime utimur, editum fuisse: ad eum itaque recurrat oportet, quisquis Synodi celebrationem inchoare sibi proponit.

« V. An verbum Dei per seipsum praedicaverit, et an legi-
» timo concurrente impedimento, viros idoneos assumpserit ad hu-
» iusmodi praedicationis officium salubriter exsequendum. »

Summarium. 180. Conc. Trid. Episcopis praecipit, ut per se vel per alios praedicationis munus obeant. – 181. Quam gravissimum sit hoc munus, innuitur. – 182. Episcopo fas est praedicare in quacumque ecclesia etiam regulari. – 183. Quando praedicat Episcopus, silere debent alii concionatores, etiam regulares. Regulares silere debent etiam tum, cum Episcopus coram se concionem haberi facit. – 184. At non expedit, ut id peculiari edicto promulgetur. – 185. Concionatores sunt ordinarii vel extraordinarii. – 186. 187. Approbare concionatores spectat ad Episcopum etiam in ecclesiis exemptis, licet electio spectet ad alios. – 188. Ordinarius eligit concionatores, nisi adsit contraria consuetudo. – 189. At vero, nulla habita consuetudinis ratione, in cathedralibus spectat ad Capitulum, seu ad Episcopum cum Capitulo, vel eius consilio. – 190. At si municipium in possessione sit eligendi concionatorem, et eleemosynam solvendi, manuteneri debet. Potest Episcopus ius electionis hoc in casu sibi vindicare, dummodo eleemosynam solvendam assumat. – 191. Consuetudo eligendi praedicatorem in ecclesiis inferioribus non est sublata. – 192. Si

consuetudo sit, ut Episcopus eligat et communitas solvat, consuetudo servanda est. – 193. Si communitas eligat, et non solvat, dummodo consuetudo non sit immemorabilis, potest ab Episcopo impugnari. – 194. Communitas dare debet eleemosynam consuetam sine diminutione. Episcopo incumbit probare consuetudinem solvendi contra communitatem. – 195. Nominatio concionatoris fieri debet tempore per Synodum praefixo, vel duobus mensibus ante Quadragesimam. – 196. Si tamen nominatio fiat postea, re adhuc integra, attendenda est. – 197. Habentes ius nominandi non privantur iure suo, si nominatus ire nolit, vel nequeat. – 198. Causa *Cornetana* seu *Centumcellarum*. – 199. Si nulla consuetudo sit, locum habet adagium, *qui eligit solvit*. – 200. Si neque sit, qui eligat, in cathedrali Capitulum, in parochia parochus praedicatorem eligunt et sumptus praebent. Si parochus per se praedicet, non cogitur nominare praedicatorem. – 201. Sacras missiones populo praeberi, summopere commendat S. C. Concilii. Item Bened. XIV. – 202. Quanta sit earumdem utilitas. – 203. Hisce praesertim temporibus. Itaque SSmus D. N. eas impensissime inculcat. – 204. Quibus dotibus pollere debeant missionarii. – 205. Missionarii facultatibus extraordinariis, a S. Sede petendis, muniri ab Episcopo debent.

180. Quinta haec paragraphus apprime respondet Conc. Trid. *Sess. 5. cap. 2. de Reform.*, ubi legitur: « Quia vero christianae rei» publicae non minus necessaria est praedicatio Evangelii, quam » lectio, et hoc est praecipuum Episcoporum munus, statuit et de» crevit eadem sancta Synodus, omnes Episcopos, Archiepiscopos, » Primates, et omnes alios ecclesiarum Praelatos teneri per se » ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad praedicandum s. Iesu » Christi Evangelium. Si vero contigerit, Episcopos et alios prae» dictos legitimo detineri impedimento, iuxta formam generalis » Concilii viros idoneos assumere teneantur ad huiusmodi prae» dicationis officium salubriter exsequendum. Si quis autem hoc » adimplere contempserit, districtae subiaceat ultioni. » Insuper *c. 4. sess. 24. de Reform.*, ubi praedicatio dicitur esse munus praecipuum Episcoporum, tempora determinantur, quibus praesertim verbi Dei praedicatio obiri debet, nempe « saltem omnibus Do» minicis et solemnibus diebus festis, tempore autem ieiuniorum » Quadragesimae et Adventus Domini quotidie, vel saltem tribus » in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint etc. »

181. De gravissimo hoc, quod Episcopis incumbit, praedicationis officio, enixe agit etiam Innoc. III. in *cap. 1. de Off. ord.*, S. Carolus Borromaeus in *I. Conc. Med. p. 1. de praedicat.* haec

subdit: « Quod si levi de causa, aut quodam animi languore im-
» pediti non fecerint, sciant sibi praetermissi necessarii officii
» iudici Deo praecipue rationem esse reddituros. » Super hac eadem re multa doctissime disserit Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. 9. cap. 17. n.* 5.

182. Episcopo praedicare fas est in quacumque ecclesia, etiam regulari, suae dioecesis, nec ab ullo potest impediri ac prohiberi, ut pluries definivit S. C. Episc. et Regul., ac praesertim die 17. Ian. 1583. apud Barbosam in *Sum. Ap. dec.* verbo *Praedicare* et ad Conc. Trid. *Sess. 24. cap. 4. n. 3.* et penes Nicol. *Flosc.* verbo *Praedicator* n. 14. et Bened. XIV. *loc. cit. n. 7.* Non potest tamen praedicare extra suam dioecesim sine licentia Ordinarii loci; eadem *S. C. Theatina* 12. Decemb. 1614. apud Nicol. *loc. cit.*

183. Quando praedicat ipsemet Episcopus, silere debent alii concionatores; itaque his potest praecipere Episcopus, ut eo tempore se a praedicatione abstineant; sic de mandato s. m. Urbani VIII. statuit S. C. Conc. in *Bituntina* 2. Maii 1629. apud Ferraris verbo *Praedicare n. 25.*

Quin etiam, dum Episcopus per semetipsum praedicat, neque Regulares in propriis ecclesiis praedicare possunt ex decr. S. C. Conc. *in Pacen.* 26. Apr. 1607. *ad 4. (Lib. 89. Pos. pag. 170.), in Brundusin.* 19. Mart. 1645. *(Lib. 17. decret. pag. 445)* apud Bened. XIV. *loc. cit. n. 7.* Idipsum valet, quando Episcopus coram se solemniter praedicari iubet: quod tamen non est intelligendum pro temporibus consuetis Quadragesimae et Adventus et aliis per annum diebus, hoc enim cederet in magnum animarum detrimentum, quas eo praesertim tempore evangelico pane depascere fas est; sed accipi debet pro circumstantiis extraordinariis, quando idem *ex causa publica, convocatis clero et magistratu, coram se praedicare faciat,* prout declaravit S. C. C. in dicta *Brundusina* apud Bened. XIV. *loc. cit.*

184. Itaque Summus hic Pontifex. *(loc. cit. n. 8.)* ex auctoritate S. C. Conc. die 12. Iul. 1687. docet, posse quidem Episcopum in peculiaribus eventibus, in quibus opportunum reputet solemnem indicere concionem coram se ab alio habendam, prohibere Regularibus, ne ea ipsa hora in suis ecclesiis ad populum verba faciant; minime tamen expedire, ut constitutione seu edicto illis generatim praedicare prohibeat, quotiescumque ipse

coram se solemniter praedicare faciat; secus enim innumera orirentur dubia et controversiae, an concio coram Episcopo habita ex illis sit, quae sub interdictione cadant. Cetera de praedicatione Regularium exponentur *cap. IV.* §. *4.*

185. Quoniam Episcopus per se non potest iuxta ovium suarum indigentiam divini verbi opus ubique in sua dioecesi exercere et excolere, adeoque operarios cogitur assumere, quos mittat in messem, illud necessario consequitur, ut pro suo debito omnibus modis curet et advigilet evangelicum panem famelicis ovibus in singulis paroeciis fideliter ac sedulo frangi et distribui per sacros praecones, qui quidem vel ordinarii sunt vel extraordinarii. Ordinarii dici possunt primo parochi, secundo concionatores Adventus et Quadragesimae. Extraordinarii sunt, qui sacris missionibus aut spiritualibus exercitiis populo aut clero suppeditandis dimittuntur: de unis et alteris nonnulla disseramus.

186. Remisso reservatoque sermone de parochis ad cap. III. §. 9., ubi de hoc ipsorum ministerio speciatim agendum est, a concionatoribus Adventus et Quadragesimae exordium duco. Tria vero potissimum agenda occurrunt: quis eos approbare, quis nominare, quis stipendium solvere teneatur. Sequemur autem doctrinam et ordinem a Ferraris traditum verbo *Praedicare a n. 33.:* quidquid enim docet, per declarationes a S. Congregationibus in rem apposite emissis confirmat. « Approbare praedi-
» catores spectat ad Episcopum, licet electio spectaret ad alios.
» S. C. Episc. et Regul. in *Aquen.* 8. Apr. 1603. apud Nicol. *Flosc.*
» verbo *Praedicator, n. 15.* Unde Praelatus exemptus inferior Epi-
» scopo (nempe primae ac secundae speciei), qui non habet ter-
» ritorium separatum cum vera qualitate *Nullius,* non dat licen-
» tiam neque benedictionem praedicatoribus, qui praedicare de-
» bent in locis suae iurisdictionis, sed ista facultas spectat ad
» Episcopum, in cuius dioecesi locus exemptus existit. S. C. Conc.
» 21. Nov. 1596., Pignat. *tom. 10. cons. 151. n. 15. et 17.,* Petra
» *tom. 4. ad Constit. IV. Callisti III. Sect. 2. n. 57.,* ubi addu-
» cit plures S. Congreg. Conc. et Rotae decisiones. »

187. Hinc quae modo dicta sunt, locum habere pro concionatoribus in ecclesiis conventualibus ordinis militaris S. Stephani, et prioratuum religionis Hierosolymitanae territorium separatum non habentibus ostendit idem Ferraris *loc. cit. n. 35. et 36.,* allegatis de more S. C. Conc. resolutionibus.

188. « Ordinarius debet eligere praedicatores, nisi in contra-
» rium sit consuetudo ab immemorabili tempore. (S. C. Conc. apud
» Zerol. *in Pr. episc. p. 1.* verbo *Praedicatio* §. *7.*, Barbosa *de*
» *Officio et Potest. Episcopi, part. 3. Alleg. 76. num. 5.*).

189. » Electio tamen et deputatio praedicatoris in sua cathe-
» drali spectat ad solum Episcopum, nulla habita ratione con-
» suetudinis etiam immemorabilis, quae competeret Capitulo, seu
» Episcopo cum Capitulo, vel de consilio Capituli. S. C. C. in *Abu-*
» *lensi.* 3. Aug. 1586. apud Barbos. in *Sum. Apost. decis.* verbo
» *Praedicator. n. 11.*, Pignat. *tom. 4. c. 206. n. 41*... Addenda
» sunt sequentia dubia resoluta a S. C. Conc. 5. Sept. 1705. *in*
» *Urgell. Iur. concionandi*, videlicet:

I. » An concionator deputatus ab Episcopo ad concionandum
» in cathedrali aliisque ecclesiis in eius ambitu existentibus, te-
» neatur exhibere literas patentales Capitulo?

II. » An liceat Capitulo seu eius Decano retinere clavem pul-
» piti eiusdem ecclesiae cathedralis?

III. » An Episcopus procedere possit per censuras in casu,
» quo Decanus et Canonici se opponant in casu, non obstante,
» quod Capitulum se tueretur observantia sibi favorabili ac prae-
» tensione ordinariae iurisdictionis super ecclesia cathedrali eius-
» que ambitu?

» Sacra Congregatio die, quo supra, respondit: Quoad I. et II.
» Negative; quoad III. Affirmative et amplius in omnibus. »

190. » Si civitas seu universitas (scilicet municipium) sit in
» possessione nominandi et praesentandi praedicatorem pro ca-
» thedrali cum onere solvendi eleemosynam, debet manuteneri
» in tali possessione; at si Episcopus vellet ius nominandi sibi
» vindicare (prout vere potest), non posset eamdem ad solutio-
» nem cogere, sed teneretur de proprio expensas et eleemosy-
» nam subministrare. Sic pluries respondit S. C. Conc. (apud Pi-
» gnat. *tom. 4. consult. 206. n. 41.*) et signanter 11. Iun. 1596.
» decreto, quod ipsis verbis exscribit, et (pergit) sic pluries re-
» spondit etiam S. C. Episc. et Regul. apud Pignat. *loc. cit.* »....

191. « Consuetudo immemorabilis nominandi, vel praesentandi
» praedicatorem Episcopo pro ecclesiis inferioribus non est sub-
» lata, ut decisum fuisse refert Barbosa supra Conc. Trid. *Sess. 5.*
» *cap. 2. n. 16.*, Pignat. *loc. cit. n. 26.* Unde si communitas vel
» dominus loci temporalis nominat praedicatorem et solvit elee-

» mosynam, consuetudo huiusmodi servanda est. S. C. Episc. *Apru-*
» *tina seu Theramen.* 7. Febr. 1615., S. Cong. Conc. in *Aquilana*
» 2. Iun. 1696.

192. » Item si Episcopus consueverit eligere, et communitas
» solvere, talis consuetudo servanda est; absque eo, quod uni-
» versitas seu communitas possit praetendere nominationem. S. C.
» in *Ostunen.* 15. Nov. 1692. et in *Bovien.* 20. Iun. 1693.

193. » Si autem communitas seu universitas, vel dominus loci
» temporalis nominat, et non solvit eleemosynam, tunc, nisi con-
» suetudo esset immemorabilis et probata, posset et deberet Epi-
» scopus hoc ius impugnare et sibi vindicare, deputando prae-
» dicatorem pro lubitu; in hoc enim casu nulla concurrit aequi-
» tas, neque adest correspectivitas nominationis ad eleemosynam,
» ut docet Cardinalis de Luca *Adnot. ad Concilium Tridentinum*
» *discurs. 3. n. 6.* »

194. « Communitas dare debet praedicatoribus mercedem dari
» solitam, nec potest ipsam imminuere et reducere ad certam
» parvam quantitatem. (S. C. Conc. in *Viterbien. Civit. Vetul.* Se-
» ptemb. 1620. et pluries *S. C. Episc. et Regul.* apud Nicol. in
» Floscul. verb. *Praedicator. n. 21.*).

» Episcopus praetendens communitatem teneri praestare elee-
» mosynam pro praedicatore Cathedralis, tenetur ipse probare
» consuetudinem immemorabilem. (S. C. Conc. in *Sutrina* 10 Mart.
» 1618. et 10. Iul. 1627. apud Barbosam in *Summa Apost. Decis.*
» verbo *Praedicator* num. 107.). »

195. « Habentes ius nominandi praedicatorem quadragesima-
» lem debent illum nominare et praesentare Episcopo in termino
» a Synodo dioecesana praescripto, vel ante festum Nativitatis
» D. N. I. C., vel duobus mensibus ante Quadragesimam, alias
» nominatio devolvitur ad Episcopum. (S. C. Concil. in *Narnien.*
» 24. Febr. 1625. et in *Theanen.* 14. April. 1685.) Vel debent
» praesentare Episcopo intra mensem Nov. Quadragesimae prae-
» cedentem; et si praesentatus fuerit reiectus, alium per totum
» mensem Decemb. nominare et praesentare, alias pro illa vice
» ius amitterent et ad Episcopum devolveretur, et solitam eleemo-
» synam adhuc cogerentur solvere, ut pluries decrevit S. C. Episc.
» et Regul. apud Pignatelli *t. 4. Consult. 206. num. 54.*

196. « Si tamen nominatio et praesentatio praedicatoris fiat
» in re integra paulo post terminum elapsum, admitti debet sal-

» tem ex gratia. (S. C. Episc. et Regul. in *Nucerina* 29. Ian. 1627. » apud Pign. *loc. cit. num. 54.*). »

197. Qui ius habent nominandi, si in tempore nominaverint, et nominatus ad concionem ire nolit aut nequeat, idcirco privandi non sunt iure suo sine culpa, nisi acciderit id ultimis ante Quadragesimam diebus, quia tunc providebit Episcopus; nec universitates habentes dictum ius recusare poterunt praedicatorem, vel ei eleemosynam solitam denegare. (S. C. Episc. et Regul. in *Montis Falcici* 18. Sept. 1648. Vide Ferrar. *loc. cit. num. 50. et 51.*).

198. Ex his, quae obiter exposita sunt, luculenter eruitur, stipendium praedicatori persolvi debere ab iis, qui ad illud solvendum ex consuetudine tenentur; id enim consentaneum est dispositioni Conc. Trid. *Sess. 24. c. 4. de Reform.*, ubi huiusmodi stipendium *impensis eorum* rependi statuitur, *qui eas praestare vel tenentur vel solent.* Id confirmatur millenis S. Congregationum resolutionibus, et nuperrime in *Cornet.* et *Centumcell. Super Stip. Conc.* 29. Aug. 1856. a S. C. Episc. et Regul. Namque cum commendatarius S. Spiritus in Saxia stipendium praedicatori Montis Romani, ut antea consueverat, pendere detrectaret ex eo, quod omni iurisdictione tam baronali, tum spirituali sese exuisset, retenta dumtaxat proprietate bonorum, quae ibidem possidebat, S. Congr. declaravit « spectare solutionem ad piam domum S. Spi- » ritus tam quoad praeteritum, quam relate ad futurum, salvo » iure praesentationis favore eiusdem piae domus. »

199. Si nullus sit, contra quem allegari possit consuetudo stipendium pensitandi, sed adsit, qui ex consuetudine concionatoris eligendi ius habeat, tunc locum habet adagium: *qui eligit, solvit* (S. C. Episc. et Regul. in *Ugentina* 9. Aug. 1604. penes Nicol. *Lucubr. utr. iur. tom. 2. tit. 31. n. 5.* §. *Sed regulariter.*).

200. Si neque sit, qui eligendi concionatorem ius habeat ex consuetudine, tunc eadem « cessante (sic Pignatell. tom. 4. » *Cons. 206. n. 58.*) praestare eleemosynam praedicatoribus in » cathedrali spectat ad Episcopum, in collegiatis ad Capitulum, » in parochialibus ad parochum, eadem S. C. Episc. in *Faventina* » 17. Martii 1602. Si tamen parochus est aptus ad declarandum » Evangelium, ad aliud compelli non potest. Et si universitas » praetendit meliorem praedicatorem, debet illum eligere cum » Ordinarii approbatione, et expensas subministrare. Eadem S. C. » Episc. et Regul. in *Firmana* 15. Iunii 1590. »

201. Extraordinarium sacrarum missionum remedium S. C. Concilii solemne semper habuit Episcopis proponere et impense commendare in responsionibus, quas ad relationes de statu dioeceseon ipsis mittit. Quae quidem disciplina hodiedum etiam accurate servatur, laudibus impertitis, quando eas adhibitas fuisse perspicitur, et stimulis ad eas habendas adiectis, quando praesertim fidem vel mores in populo aliquanto remissos ac relaxatos fuisse constiterit. Porro nemo nescit, probos ubique homines inveniri; sed longe plures sunt, qui, potissimum in locis montanis, et a sede episcopali seiunctis, vitam ab omni virtute alienam traducunt, (veluti aiebat s. m. Bened. XIV. in saluberrimis encyclicis ad Antistites regni Neapolitani incip. *Gravissimum* diei 8. Sept. 1745.) « qui si a fide non aberrant, uti confidimus, cor-
» ruptis tamen moribus ac flagitiis, in se concitant divinam ira-
» cundiam, et properant ad sepulchrum, quin antea dignos poe-
» nitentiae fructus ostendant. »

202. Itaque ea, qua pollebat experientia et usu, admonebat « ad improbos mores corrigendos, qui vel serpere incipiunt (sic
» ipse pergit) vel nimis iam invalescunt, vel tandem diuturnitate
» confirmati dioeceses latius occuparunt, nihil magis conferre,
» quam alienam opem ac vires implorare, videlicet sacras mis-
» siones ubique indicere, praesertim iis in locis, quae magis a
» civitatibus seiunguntur. » Id vero plurimorum Antistitum cum scientia tum sanctitate vitae ac singulari erga suos greges sollicitudine praestantium exemplo confirmat.

203. Iamvero si eo tempore tam utile ac necessarium reputabatur huiusmodi sacrarum missionum subsidium, quid erit iudicandum de praesenti tempestate, qua inter fideles tantopere refrigescit charitas, atque adeo fides ipsa tam imminuta ac labefactata misere dignoscitur? Hinc SSm̃us D. N. in suis encyclicis Literis ad Italiae Episcopos incip. *Nostis quidem* diei 8. Dec. 1849. §. *Equidem,* opportunissime monet: « Attamen illorum (nempe
» parochorum et concionatorum Adventus et Quadragesimae)
» operae adiungere interdum oportet extraordinaria subsidia spi-
» ritualia exercitiorum et sacrarum missionum, quas, ubi ope-
» rariis idoneis commissae fuerint, valde utiles, benedicente
» Domino, esse constat tum fovendae bonorum pietati, tum pec-
» catoribus et longo etiam vitiorum habitu depravatis hominibus
» ad salutarem poenitentiam excitandis, atque adeo ut fidelis

» populus crescat in scientia Dei, et in omni opere bono fructi-
» ficet, et uberioribus coelestis gratiae auxiliis munitus a per-
» versis inimicorum Ecclesiae doctrinis abhorreat. »

204. Ut autem uberior spiritualium fructuum seges recolligatur, praeter preces Deo effundendas, (etenim « neque qui plantat » est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus) » maxima cura ponenda est in eligendis viris ad sacras missiones praebendas addictis, qui doctrinae laude apprime praecellant et populum summa diligentia instituant. « Illi potissimum (sic lau-
» datus Bened. XIV. *l. c.* §. *Sed ne*) missionarii vocari debent,
» qui postquam labes et scandala populi certe deprehenderint,
» ipsorum gravitatem ac turpitudinem suis concionibus ostendant,
» et vehementer arguere possint.... At vero missionarii suae vitae
» ratione atque exemplis populum ad virtutem incendere debent.
» *In omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum,* inquit
» Apostolus ad Titum; S. Lucas in *Act. Apost.* testatum reliquit,
» quod Salvator Dominus *coepit facere et docere.* Postremo mis-
» sionarios Deo se penitus devovere fas est, nec ullam admiscere
» cupiditatem inanis gloriae vel spem emolumenti, licet exigui,
» dum populis erudiendis incumbunt. »

205. Quoniam eiusmodi verbi divini praecones facultatibus extraordinariis indigent, ut hoc utilissimum opus ipsi feliciter prosequantur, veluti ipse etiam Pontifex perpendebat, eas non dubitent Episcopi ab Apostolica Sede mature expostulare, quae profecto pro sua auctoritate maternoque pietatis studio remedia etiam extra ordinem morbis adhibenda largiri nullatenus renuet.

VI. « An habeat depositarium poenarum et mulctarum pecu-
» niariarum, et an eaedem fuerint piis usibus applicatae. »

Summarium. 206. Tridentina Synodus aliquoties mulctas pecuniarias imponi iubet ad criminum coercitionem. – 207. Quae tamen non exiguntur extra iudicium. – 208. Parce admodum ad eas mulctas recurrendum est, cum poenarum electio Episcopi arbitrio relicta fuerit. Itaque S. C. aliquoties eas omnino tolli iussit. – 209. Aliquando etiam temperavit. – 210. Cui applicandae sint. – 211. 212. An Episcopus egenus sibi ipsas addicere possit. – 213. Si mulctae in Synodo piis locis assignatae sunt, non potest eas sibi Episcopus egenus addicere. – 214. Neque Capitulum neque Vicarius Capitularis possunt unquam eas sibi addicere. –

215. Mulctarum depositarius deputari debet. Qui cautionem praebeat de bene administrando et rationem reddat. Episcopus mulctas apud se retinere non debet. – 216. Depositarius eligatur inter Canonicos Cathedralis, si fieri potest.

206. Mulctae pecuniariae solutio in vindictam patrati criminis, tametsi sobrie ab Episcopis praescribenda, saepenumero tamen ad criminum coercitionem saluberrima agnoscitur. Hinc Tridentina Synodus sacrorum canonum disciplinae adhaerens, pecuniarias poenas aliquoties imponendi potestatem Episcopis vindicavit. Sic in *cap. 3. sess. 25. de Reform.* decrevit: « Liceat eis (Episcopis), » si expedire videbitur, in causis civilibus ad forum ecclesiasti- » cum quomodolibet pertinentibus contra quoscumque etiam laicos » per mulctas pecuniarias, quae locis piis ibi existentibus, eo ipso » quo exacta fuerint, assignentur.» Itidem *Sess. 6. c. 1. de Reform.* eadem Synodus Episcopos sine causa legitima a suis dioecesibus absentes poena mulctavit omissionis quartae partis fructuum unius anni fabricae ecclesiae et pauperibus loci per Superiorem ecclesiasticum applicandorum. Et in cit. *Sess. 25. cap. 14.* in clericos concubinarios, per monitionem non resipiscentes, poena animadvertit privationis tertiae partis fructuum suorum beneficiorum ac pensionum « quae fabricae ecclesiae aut alteri pio loco, arbitrio » Episcopi applicetur: » crescente vero contumacia, eosdem omnibus spoliat beneficiorum fructibus ac proventibus, quos proinde praedictis pariter locis piis applicari praescribitur.

207. At videt unusquisque, eiusmodi poenas exigi solum per sententiam iudicialem, et causa cognita, non vero extra iudicium a diffamatis de aliquo crimine, ut illius solutione iudicialem inquisitionem evitent; « ita enim (ut verbis utar Benedict. XIV. *de* » *Syn. dioec. lib.* X. *cap. 9. n. 7.* qui auctoritate nititur Fagnani » *Cap.* Irrefragabili §. *Ceterum num. 15. de Off. Ord.*) viderentur » delicta non puniri, sed tolerari, et pecuniae solutione impu- » nitas emi delinquendi. »

208. Idem Pontifex *loc. cit. n. 8.* monet etiam Episcopos, ut parce ad hoc remedium recurrant, « ne videatur (Episcopus) illas » ferre pro quaestu et pecuniae emungendae causa. » Id enim S. C. Conc. menti consonum esse declarat; et sane (sic ille pergit aliqua particularia referens exempla): « Iussit Tridentinum *Sess. 5.* » *cap. 2. de Reform.*, ut animarum Rectores *diebus saltem Domi-*

» *nicis et festis solemnibus plebes sibi commissas, pro sua et earum* » *capacitate, pascant salutaribus verbis*, voluitque, ut, si *ab Epi-* » *scopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per* » *censuras ecclesiasticas, seu alias, ad ipsius Episcopi arbitrium,* » *cogantur*. Hinc sibi licuisse putavit Episcopus Novariensis in » suis Constitutionibus synodalibus parochos huic decreto contra- » venientes, pecunia mulctare. Sed S. C. Conc. die 15. Iun. 1658. » etsi de potestate Episcopi non dubitaverit, id tamen fieri non » decuisse respondit. Episcopus Assisiensis in sua Synodo excom- » municationem et quinquaginta aureorum poenam decreverat in » parochos e sua parochia duorum dierum spatio sine Episcopi » licentia absentes. Sed eadem S. Congregatio delendam censuit » e decreto excommunicationem latae sententiae, et poenam pe- » cuniariam non imponendam in certa quantitate, sed relinquen- » dam arbitrio Episcopi, qui, cum casus contingeret, ita illam » temperaret, ut responderet tempori absentiae, et reditibus pa- » rocho ex sua ecclesia obvenientibus; uti habetur *lib. 153. Me-* » *morabilium p. 953*. In Synodo Brundusina statutum fuerat, ut » sacerdotes aliique inferiores clerici inservire deberent ecclesiae, » cui iuxta decretum Conc. Trid. *Cap. 16. sess. 23. de Reform.* » erant adscripti, singulis Dominicis aliisque festis diebus, et in » tota octava Corporis Christi, atque insuper solemnibus suppli- » cationibus per annum fieri consuetis interesse, sub poena du- » catorum 50, seminario applicanda; sed S. C. die 19. Iul. 1618. » admonendum censuit Episcopum, ne ad poenae exactionem » procederet, eo quod Trid. *cit. loc.* clericis ecclesiam deseren- » tibus, cuius obsequiis in eorum ordinatione sunt mancipati, » interdicendum dumtaxat statuat exercitium sacrorum. »

209. Persaepe S. C. Conc. animadvertens, quantitatem mul- ctae pecuniariae immodicam esse, eamdem temperavit immi- nuitque. In *Bisaccien.* 15. Martii 1738. Episcopus edictum pro- mulgaverat, quo ecclesiastici viri semper in anno a mane ad vesperas, excepto tempore a festo Omnium Sanctorum ad Pascha, talarem vestem deferre iubebantur sub poena solutionis quinque ducatorum, quotiescumque hanc dispositionem violarent; itaque proposito decimo dubio: « An et quomodo sit observandum edictum » promulgatum ab Episcopo super delatione habitus talaris in » casu? « respondit: » Affirmative, moderata poena ad unum du- » catum tantum citra approbationem limitationis et amplius. »

In *Acerrarum* 23. Aug. 1727. dub. 5. Episcopus poenam ducatorum 14 contra canonicos, qui collationibus casuum moralium et sacrorum rituum non interessent; at S. Congr. poenam ipsam ad unum ducatum pro qualibet vice reduci iussit.

210. Circa mulctarum destinationem et usum S. C. Cong. (penes Bened. XIV. *loc. cit. cap. 10. n. 1.*). Fagnani vestigia secuta tria haec declaravit, videlicet primo, mulctas a Tridentino inflictas clericis non residentibus aut concubinariis semper locis piis esse applicandas; secundo, mulctas indeterminatas, quae Episcopi arbitrio decernuntur, similiter non posse nisi in opera pia erogari; tertio, poenas, quas certa mensura designant canones, vel synodicae constitutiones, servari posse integras egenti Episcopo, si vere egeat.

211. Quidquid vero sit de tempore antiquiore, quo iuxta mentem S. Congr. autumabatur Episcopum egentem sine ulla venia mulctas istas sibi retinere posse, haud ita pridem obtinuit, ut, quoties Episcopus sibi huiusmodi mulctatitiam pecuniam applicari cupiat, S. C. omnino adeat, quae (prout in *Novarien.* 11. Maii 1658.) « pro diversitate circumstantiarum et Episcopo-
» rum, prout ipsis et eorum integritati ac bonitati magis aut
» minus fidit, similia indulta applicandi poenas pecuniarias con-
» cessit. » Quae tamen indulta nunquam in perpetuum impertiuntur (teste eodem Bened. XIV. *loc. cit. num. 2.*), sed tantum ad tempus.

212. Iuverit hic in confirmationem earum rerum, quae modo expositae sunt, referre S. C. decretum diei 15. Ian. 1656. adnotatum lib. 19. decret. pag. 534. ad Episcopum Anglonensem, quod ex Bened. XIV. *loc. cit.* exscribimus. « SSm̃us D. N., audita sen-
» tentia S. C. Conc., veris existentibus narratis, in quibus gra-
» vatur conscientia ipsius oratoris, benigne annuit, ut per trien-
» nium percipere possit poenas et mulctas pecuniarias, quae in
» sacris canonibus seu statutis synodalibus pro delictis ad certam
» summam fuerunt praefinitae, non autem poenas et mulctas,
» quae vel ab eius arbitrio pendent, vel per sententias, nulla
» praecedente canonum vel statutorum synodalium determina-
» tione, imponuntur, nec poenas clericorum non residentium vel
» concubinariorum, quae piis locis omnino applicentur. »

213. Quod si statutum synodale poenam pecuniariam piis locis applicandam esse sanciverit, tum « sciant Episcopi (verba sunt

» Bened. XIV. *l. cit. n. 3.*) poenas eiusmodi, quoad eam partem, » quae est certo loco seu pio operi applicata, numquam sibi, » quantacumque laborent inopia, fore ab Apostolica Sede con- » cedendas, nisi probaverint, locum seu opus pium ea pecunia » non indigere: neque enim Sedes Apostolica, ut uni gratificetur, » vult iuri quaesito alterius praeiudicium inferre. »

214. Ea quae in Episcoporum indigentium utilitatem hac in re indulgeri posse hactenus constitutum est, non suffragari ullo modo sive Capitulo, sive Vicario Capitulari, sede vacante, pluries declaravit S. C. Conc.: poenarum enim huiusmodi cumulus omni ex parte locis piis consecrari debet, ut eadem decrevit in *Mazarien.* 6. Decembr. 1643. *(lib. 17. decret. pag. 119. a tergo)* et in *Elnensi* 28. Mart. 1648. *(lib. 18. decret. pag. 464. et seq.)* penes eumdem Bened. XIV. *loc. cit. n. 4.* Nam ceteroquin congrua pro Vicario Capitulari adsignatio desumenda est ex emolumentis, quae ex iurisdictione, aut sigillo, vel aliunde proveniunt, prout paulo post ostendemus in *Appendice de Taxa.*

215. Simul ac mulctae seu poenae pecuniariae ab administris Episcopi exactae fuerint, iuxta encyclicas literas S. C. Episc. et Regul. 5. Febr. 1678., quas refert Cleric. *de Benef. disc. 100. n. 4.*, statim custodiendae tradi debent probo et fideli depositario, ut hac ratione semper innotescat, quantum a delinquentibus exactum sit, et ad quem usum erogatae. Unde debet eligi depositarius ex mente S. C. Episc. et Regul. *(apud Nicol. Flosc.* verbo *Poena n. 6.)*, qui cautionem praestet de bene administrando, et expendendo, cum mandato subscripto ab Ordinario et duobus capitularibus. (S. C. Episc. et Regul. *apud Nicol. loc. cit. 1652.*). Quorum Canonicorum alter eligatur ab Episcopo, alter a Capitulo, S. C. Episc. *apud Nicol. loc. cit. 1654.* Nec ullo modo pecunias mulctarum apud se retineat Ordinarius. (S. Congregatio Episc. et Regul. *apud Nicol. loc. cit. 1596.*).

216. In depositarium eligi debet, quoad fieri potest, canonicus cathedralis iuxta Fagnanum Cap. Presbyteri *n. 33. de Poenis, et* Monacell. *Form. leg. tit. 1. Form. 13. n. 7. et seq.*, ut legitur apud S. C. in folio *Bisaccien.* 1. Mart. 1738. §. *Examen* « qui (canonicus) suae administrationis quotannis, praesente Ca- » pitulo, rationem reddat »; et consonat *Lavallen.* 14. Iun. 1642. *(lib. 17. decret. pag. 55.)*, *ac Civit. Castellan. 1592. (lib. 17. decret. pag. 55.)*.

« §. VII. Quaenam taxa, et an Innocentiana in sua cancellaria » observetur. »

Summarium. 217. Innocentius XI. specialem Congregationem instituit, quae taxam in cancellariis episcopalibus adhibendam conficeret. – 218. Dubitatum aliquando est, an eadem extra Italiam obligaret; nam S. C. in *Tarraconen.* definire noluit. – 219. Causa *Vasionen.* aliaque sine titulo dioecesis sententiam dubitantem roborare videntur. – 220. Dispositiones in taxa sancitae nituntur particularibus declarationibus S. C. Conc., quae pro toto orbe catholico vim habent. – 221. In provincia Romana Benedictus XIII. Innocentianae taxae observantiam inculcat. Quid insuper statuat idem Pontifex pro ceteris Episcopis. – 222. Innocentiana versatur in rebus mere spiritualibus, non in contentiosis. – 223. Quae taxa sequenda sit in contentiosis a curiis Pontificiae ditionis. – 224. Invaluit, ut Antistites ad maiorem tranquillitatem sponte S. Congregationi taxam expendendam et comprobandam deferant; et S. C. solet etiam ad hoc eos adhortari.

217. Innocentiana taxa, de qua in hoc articulo sermo est, nomen mutuatur a s. m. Innocentio XI. Hic enim Pontifex non minus sanctitate vitae, quam impensa ecclesiasticae disciplinae sollicitudine perillustris, cum precibus complurium Antistitum excitatus fuisset, ut normam in cancellariis ecclesiasticis sequendam constabiliret, specialem Congregationem ex duabus Congregationibus Concilii et Episcoporum et Regularium desumptam deputavit, quae, collectis undequaque declarationibus ab iisdem Congregationibus super negotio, de quo agebatur, identidem emissis et in ordinem digestis, taxam conficeret numeris omnibus absolutam. Hisce mandatis obsecuta eadem S. C. hanc taxam reapse, maxima adhibita maturitate ac diligentia, perfecit, eamdemque propterea merito Innocentianam appellavit. Ea siquidem sub oculis illius Pontificis exhibita, ab eodem omni ex parte approbata et rata habita est die 1. Oct. 1678., referente Ioan. de Luca, auditore SSmi et Secretario Memorialium, postea amplissimo S. R. E. Cardinali, eodemque summo utriusque iurisprudentiae lumine. Die vero insequenti 8. illius mensis et anni a S. C. Concilii Secretario ex Pontificio mandato ad quoscumque locorum Ordinarios eadem taxa transmissa est. Pro maiori commoditate integram totam exhibebimus in volumine III. sub num. 20.

218. Quoniam vero italico idiomate promulgata fuit in modum edicti, minime vero iuxta stylum Constitutionum Apostoli-

carum, dubitatum est, an eadem vim suam exsereret extra Italiam. Hanc disputationem inter alios instituit Card. Petra *Ad Const. Ap. tom. 1. Prooem. §. 3. n. 32.* adducens causam *Tarraconen. Taxae Innoc.* diei 2. Maii 1699. inter Cathedralis Capituli Canonicos, qui vehementer de taxae immodicitate contra Archiepiscopum conquerebantur. At proposito dubio: « An taxa Innocentiana servanda sit in omnibus curiis, etiam extra Italiam? » S. C. rem definire noluit, sed ad D. Secretarium remisit, nec aliud ea de re ulterius actum apparet, ut in lib. 49. decret. pag. 165. Giraldius *Ius Pont. P. II. sect. 53. pag. 870.* alias etiam Sacrae Congregationis resolutiones eamdem rem comprobantes adducit.

219. Contra vero in *Vasionen. Taxarum synod.*, cum consules civitatis quaererentur de taxa in Matrimonio, in Baptismo, in funeribus persolvenda, quam ultra id, quod Innocentiana permittit, in Synodo praefixerat Episcopus, dubium propositum est die 6. Februar. 1734.: « An taxae praescriptae in Synodo dioecesana » Vasionis sint observandae et exsecutioni mandandae in casu? » S. C. respondit: « Negative et amplius. » Cum tamen in hac *Vasionen.* de tribus tantum particularibus capitibus ageretur, et insuper Vasionensis civitas, utpote eo tempore civili Summi Pontificis ditioni obtemperans, inter Italicas quodammodo recenseri posset, exemplum inde petitum controversiam non adeo punctim dirimere videtur, ut omnis dubitatio eliminata dicenda sit. Addi etiam potest alia causa, cui titulus, *Dubia super exsecut. disp. matr.*, ad diem 16. Decembr. 1786., cuius in *folio* non exprimitur, quo in regno sita esset dioecesis illius Vicarii, qui controversiam instruxerat. Quoniam vero omne dubium remisisset apertissima taxae Innocentianae dispositio §. *In causis et materiis respicientibus matrimonium*, hinc argui posse videtur, quod regnum illud in Italia minime existeret; proptereaque dubitabatur, an applicationi taxae Innocentianae locus esset, et idcirco ad regulas iuris communis recurrendum erat, utpote reapse factum est in *folio* conscribendo.

Dubia porro ita concepta erant.: « 1. An liceat Vicario Generali aliquid muneris sive stipendii etiam modicum accipere » pro subscriptione et sigillo, sive alia qualibet de causa et titulo » in exsecutione Literarum Apostolicarum dispensationis matrimonialis in casu? 2. An, quibus, et quomodo sit locus restitutioni? » Sacra Congregatio respondit die 20. Ianuarii 1787.: « Ad 1. Ne-

» gative. Ad 2. Ad D. Secretarium cum SSmo pro absolutione ad » cautelam et condonatione. » Adnotandum, quod non modo in ea dioecesi, sed et in aliis illius regni partibus ab immemorabili quidquam plus minus pro subscriptione ac sigillo accipi solebat. Illud etiam adnotandum est, quod S. C. in responsione fortasse non praeteriisset addere *negative iuxta taxam Innocentianam*, si hanc eo in regno vim habere iudicavisset.

220. Quidquid vero sit de huiusmodi controversia ad trutinam iuris revocata, quamvis taxa ista universim inspecta extra Italiam obligare tuto dici forte non possit, attamen dispositiones ibidem collectae, quoniam Concilio Trid. et declarationibus SS. Congregationum apprime respondet, seorsim spectatae profecto posthaberi ac negligi a nullo Episcopo debebunt.

221. Ceterum intra Romanam provinciam eius taxae observantiam enixe praecipit et inculcat Bened. XIII. in Syn. Rom. anni 1725. *tit. X. cap. unic.* Subinde vero disponit: « Quoad casus » in ipsa taxa non comprehensos propriam uniuscuiusque dioe- » cesis servandam declaramus. Propria autem ubi non habetur, » eam Romanae provinciae Episcopi in prima eorum Synodo dioe- » cesana, regionis more spectato, statuant ac conficiant, et ad » Nos pro approbatione transmittant: alii vero, Nobis et S. Sedi » immediate subiecti, vicini Metropolitani taxam, in eorum tribu- » nali servandam, accipiant. Reliqui demum aliorum quorumcum- » que locorum Episcopi, qui similiter propria taxa carent, ut quae » notarii aliique officiales in singulis causarum, functionum, scri- » pturarum, ceterarumque actionum generibus, recipere stipendia » debent, innotescat, eam in prima pariter eorum Synodo, eadem » habita locorum circumscriptione, constituant, et ad primum » eorum provinciale Concilium deferant approbandam. Quae de- » inde taxae, typis datae, pro communi omnium notitia suis re- » spective affixae semper maneant in cancellariis. »

222. Taxa Innocentiana tantummodo versatur in rebus mere spiritualibus, minime vero in causis contentiosis sive civilibus, sive criminalibus et mixtis, veluti diserte praemonetur in exordio eiusdem Innocentianae, atque adeo §. *In beneficiis* advertitur, fieri debere « *alteram taxam causarum profanarum, civilium, criminalium, et mixtarum.* »

223. In ditione Pontificia iuxta edictum Emi Card. Gamberini, Secretarii Status, diei 17. Dec. 1834. §. 351. sancitur, ne iudices,

cancellarii, aliique officiales ecclesiasticis curiis addicti ab aerario publico stipendium recipiant; sed in §. seq. 352.: « quod ex can- » cellariarum taxis percipitur, curiis respectivis editur. » Post haec circa curias ecclesiasticas §. 358. abolitae et abrogatae sunt *Sportulae*, quarum nomine veniunt honoraria iudicibus pro causis iudicialibus in certa quota pecuniae a partibus litigantibus praestanda. (Ferraris verbo *Iudex n. 46.*). In §. *361.* eiusdem Gamberini edicti statuitur, taxas iudiciarias determinari a repartitione vulgo *Tariffa*, quae exhibetur in eodem edicto titulo eodem Sect. 4. a §. 406. et seq., quae repartitio a fori ecclesiastici iudicibus et tribunalibus observanda esse conceptis verbis perhibetur. Porro in dicta sectione quarta primo praefiniuntur taxae pro cancellario, et sic deinceps pro aliis personis tribunali addictis, prout ibidem videre est in dicta §. 406.

224. Antequam huic de taxa articulo finis imponatur, tamquam coronis adiicitur, quod ultimis hisce temporibus quamplures Episcopi intra et extra Italiam, et nominatim ex Galliis sponte sua taxam in cancellaria sua servatam Sacrae Congregationi detulerunt, ut Apostolicam eiusdem sanctionem reportarent. Sacer Ordo probe noscens, hanc Sanctae Sedis adeundae viam idoneam esse atque percommodam, ut animorum anxietas hac in re Episcopis adimatur, quaedam uniformitas, quoad fieri potest, ubique servetur, et immodicarum taxarum periculum removeatur, preces libens excipere, consuetum de singulis praepositae taxae capitibus examen instituere, remque omnem SSmo D. N. referre non abnuit, qui pro paterna sua benignitate Pontificiae suae auctoritatis robur adiungere dignatus est. Insuper in responsis ad Antistitum relationes, quando opportunitas occurrit, Episcopos pro more ferme invitat, ut taxam, modo sibi placeat, eidem S. Congregationi examinandam deferant, indeque Apostolicam confirmationem consequantur. Hinc factum est, ut modo passim huiusmodi taxarum examen postuletur. Itaque si quis adest Episcopus, (idque de Episcopis Italiae quoque dicimus, qui forte in sequenda Innocentiana contrariam consuetudinem, aut quascumque alias difficultates offendunt), qui taxam Innocentianam adamussim non servet, deque ea aliquem animo scrupulum foveat, non dubitet Sacr. Congregationis examini eamdem subiicere. Poterit etiam, ut plerique faciunt, suas peculiares addere animadversiones, si opus sit; nam Pontifex pro sua clementia ad relationem D. Secreta-

rii procul dubio non dedignabitur earum animadversionum debitam habere rationem, prout melius in Domino videbitur.

APPENDIX.

De taxa.

Summarium. 225. Adduntur aliquae causae, quae ad cancellarias episcopales referuntur. – 226. 227. 228. 229. Literae S. C. et decretum eiusdem super asservatione scripturarum editum anno 1625., confirmatum 1825. Notula singularum scripturarum. – 230. 231. 232. Facti species causae *Romanae et aliarum* inter cancellarios et notarios. – 233. Iura pro notariis deducta. – 234. Item pro cancellariis. – 235. Dubia in specie resolvenda proposita cum suis resolutionibus, ex quibus eruitur, quod cancellarii, tabellionatu carentes, neque in vim legis anno 1822. pro tabellionibus emanatae, neque declarationum Sacrae Congregationis rogare possunt acta notarilia respicientia contractus locorum piorum, dotes Monialium, patrimonia ordinandorum, aliaque huiusmodi. Quin Episcopi non possunt per legem aut edictum, aut per aliam rationem directam aut indirectam iniungere, ut acta praedicta unice per suum cancellarium celebrentur. Notarii tamen simplex omnium actuum exemplar curiae tradere tenentur. – 236. Cancellarii appellationem interponunt. – 237. Quid egerit S. C. Concilii. – 238. Dubia iterum proponuntur et confirmantur, addita mente ad primum dubium, ut sanarentur acta in antecessum a cancellariis confecta. – 239. Cur id factum fuerit. – 240. Causa *Ariminen.*, ubi acta licitationum ad pia loca pertinentia curiae episcopali adiudicantur. De cetero quae posthac solemniter a S. C. Conc. declarata sunt, S. C. Episc. et Regul. praeoccupavit. – 241. Acta respicientia licitationes bonorum, quae ad capellanias mere laicales spectant, non a curia, sed ab eo, qui bona capellaniae administrat, peragenda sunt. – 242. De tabulariis a Sixto V. in qualibet dioecesana curia, necnon instituto saeculari vel regulari praescriptis, in quibus inventaria omnium bonorum ecclesiasticorum deponantur. De legibus circa huiusmodi tabularia servandis iuxta Constit. Bened. XIII. incipien. *Maxima vigilantia* remissive. – 243. Emolumenta ex iurisdictione et sigillo, sede vacante, provenientia iuxta Clement. 6. cap. *Statuimus de Elect.*, successori reservanda sunt. Deductis tamen expensis pro charta, cera, ministris, honorario Vicarii Capitularis ac similibus. Quae confirmantur auctoritate S. Cong. Conc. – 244. 245. Distinguenda sunt emolumenta Vicario ratione officii debita ab iis, quae Episcopo ratione iurisdictionis debebantur. Prima Vicario Capitulari cedunt, secunda successori reservantur, vel a Camera Apostolica percipiuntur. De causa *Ianuen.* in qua consuetudo emolumenta

omnia percipiendi a Capitulo allegabatur. – 246. Doctores disputant, an hac in re consuetudo valeat. – Negativam sententiam tenuit S. C. Conc. – 247. Rationum monumenta a Capitulo deducta. Causa *Ianuen.* dilata fuit, nec amplius proposita. – 248. S. C. Conc. in *Mexicana* Vicario Capitulari indulsit quartam partem redituum ex quocumque titulo mensae obvenientium. – 249. Deinceps in *Angelopolitana* declaravit, quartam eam partem computandam esse iuxta tempus muneris ab eodem Vicario gesti. – 250. In *Mexicana* praedicta ad secundum dubium postulabatur, ut generalis pro toto Mexico regula sanciretur. Sed resolutio dilata est usque dum audirentur singuli Episcopi Mexicani cum suis respective Capitulis. Neque amplius ab hoc tempore proposita.

225. Ea, quae acervatim in hac appendice congerimus, extra limites argumenti, quod iuxta vestigia Benedictinae Instructionis tractandum hoc loco est, vagari et non ita cominus congruere videbuntur. Id nobis non immerito fortasse culpae verti posse non diffitemur: at vero non inconsulto id peccatum admittimus; facillime enim nobis pollicemur, a lectoris benignitate veniam nos asseculuros, cum ipse perpenderit utilitatem nequaquam levem, quae ex earum rerum expositione in usum quotidianum dimanat. Quapropter ut ad rem veniamus, quoniam de cancellariis episcopalibus in praeterito articulo aliqua attingere coegit modo susceptus de taxa sermo, operae pretium nos facturos esse ducimus, si alia nonnulla superaddamus. Inter huiusmodi res memoratu digna est causa *Romana et aliarum* inter curiarum ecclesiasticarum cancellarios ac tabelliones agitata. De qua priusquam eloquamur, necessarium est, verba aliqua facere de resolutione S. C. Conc. die 19. Dec. 1625. Porro Sac. Congregatio resolutionem istam anni 1625. in formam decreti redegerat, quod una cum suis literis, decretum illud comitantibus, Vicario Perusino, qui controversiae promotor fuerat, remittendum curavit. Nos hic primo loco literas ex omni parte exhibemus e scripturis depromptas memoratae causae *Romanae*. Potest insuper consuli Ferrarius verbo *Cancellarius n. 20.*, Pignatel. *tom. 4. cons. 210. n. 3. et 4.*

226. En literae: « Cum actum esset in S. C. Cardinalium Conc. » Trident. Interpretum de asservatione scripturarum fori episco- » palis Civitatis Castelli, Congregatio, auditis partibus, censuit, » scripturas omnes rogatas a cancellario episcopali, tamquam il- » lius curiae cancellario, esse asservandas et custodiendas in can- » cellaria ipsius Episcopi, et ne in eiusmodi scripturarum sepa-

» ratione oriantur controversiae et scandala, tibi, quod facimus, » committendum duxit, ut illuc te transferas, et scripturas in fo- » lio his literis adiuncto exaratas, ac si quae aliae rogatae fu- » erint a cancellario episcopali, tamquam illius curiae cancella- » rio, separes a scripturis archivii communitatis, et ad cancella- » riam ipsius Episcopi deferendas cures; quod pro tua diligentia » sedulo efficies, et bene valebis in Domino. »

Una cum hisce literis adiunctum fuit exemplar decreti, in quo nominatim ordine descriptae sunt scripturae in cancellaria custodiendae. Nos ipsum decretum heic afferimus, ut sequitur:

227. « DECRETUM. In causa asservationis scripturarum inter » Episcopum et Communitatem Civitatis Castelli S. C., partibus » auditis, censuit scripturas omnes rogatas a cancellario episco- » pali, tamquam cancellario illius curiae, esse asservandas et » custodiendas in cancellaria ipsius Episcopi; nunc ad evitandas » dissensiones et scandala, quae in separatione huiusmodi scri- » pturarum oriri possunt, supplicatur eidem Congregationi, ut pro » consueta benignitate dignetur declarare, ipsas scripturas ad » curiam episcopalem pertinere cum clausula, et si quae aliae.....

» Processus et acta civilia, criminalia, et mixta facta in foro » episcopali, sententiae in eiusdem causis latae reis inquisitis in » curia episcopali.

» Compositiones cum reis inquisitis in curia episcopali.

» Praecepta et decreta quaecumque inter personas ecclesia- » sticas, aut etiam laicas in causis et negotiis spiritualibus, vel » alias ad forum ecclesiasticum pertinentibus.

» Edicta cujusvis generis.

» Statuta et ordinationes ecclesiasticorum.

» Mandata procurae pro gerendis negotiis episcopatus.

» Scripturae mulctarum et poenarum.

» Item supplicationum et absolutionum.

» Acta Synodi.

» Visitationes ecclesiarum et piorum locorum earumque de- » creta.

» Regesta Bullarum Apostolicarum ad eamdem curiam di- » rectarum.

» Collationes et institutiones in permutatione, et scripturae » omnes beneficiales.

» Instrumenta traditionis possessionis eorumdem beneficiorum.

» Uniones beneficiorum.

» Erectiones parochialium beneficiorum, cappellarum et fon-
» tis baptismalis.

» Acta cognitionum patronatuum tam ecclesiasticorum, quam
» laicorum seu mixtorum.

» Scripturae concernentes exsecutionem dispensationum ma-
» trimonialium et aliarum Literarum Apostolicarum.

» Remissiones denuntiationum, divortia et aliae scripturae
» matrimoniales.

» Explorationes voluntatum novitiorum, licentiae profitendi,
» et aliae huius generis scripturae ad monasteria Monialium spe-
» ctantes.

» Interpositiones auctoritatis et decretum in renuntiatione no-
» vitiorum, et aliarum personarum fori episcopalis, et instrumenta
» dotis Monialium.

» Licentiae accedendi ad monasteria Monialium, et in ea in-
» grediendi.

» Scripturae consecrationis ecclesiae, altarium, coemeteriorum,
» campanarum et huiusmodi.

» Item professionis fidei.

» Scripturae Visitationis Liminum.

» Scripturae ordinationis et collationis chrismatis.

» Monitoria ad finem revelationis.

» Approbationes confessariorum et curatorum.

» Dimissoriae et commendatitiae licentiae pro parochis, cano-
» nicis et aliis clericis discedendi a dioecesibus cum literis testi-
» monialibus.

» Scripturae erectionis et institutionis seminarii.

» Locationis et emphyteusis bonorum episcopatus et aliorum
» ecclesiasticorum.

» S. C. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum censuit, scriptu-
» ras superius expressas, ac si quae aliae rogatae fuerint a Can-
» cellario episcopali, tamquam cancellario illius curiae asservan-
» das esse in cancellaria ipsius Episcopi. Datum Romae 9. De-
» cembr. 1626. » I. Card. S. Susannae.

228. Hactenus de prima propositione causae anni 1626.; modo de alia, quae locum habuit anno 1825. quaeque sic est: « *Romana* » « Institit R. P. D. Ioseph Ugolini, Praefectus archiviorum,
» ad evitanda scandala et controversias inter Episcopos et com-

» munitates civitatum, ut iterum declararetur a S. C., an servan-
» dae sint in cancellaria episcopali tamquam illius curiae can-
» cellaria, videlicet:

» Processus, et acta civilia, et cetera » *(Sequitur mox relata*
» *notula de verbo ad verbum repetita).* S. C. Emorum S. Rom. Ec-
» clesiae Card. Conc. Trid. Interpretum inhaerendo declarationi-
» bus, alias factis, rescripsit, scripturas omnes in superius descri-
» pto folio, etiam postremo loco indicatas, et si quae aliae ro-
» gatae fuerint a cancellario episcopali, tamquam illius curiae
» cancellario esse asservandas in cancellariis episcopalibus. « Emus
» Card. *de Gregorio,* Praef. A. D. *Gamberini,* Secretarius. »

229. In Conc. Romano anni 1725. in *Append. num. 11.* datur notula scripturarum, quae in cancellaria asservari debent iuxta resolutionem S. C. Conc. anni 1625., eademque italico idiomate reddita et distincta in quatuor paragraphos, quarum in prima scripturae recensentur pertinentes ad personas ecclesiasticas, in altera ad loca sacra et ecclesiastica, in tertia ad negotia sacra et ecclesiastica, in quarta ad causas civiles et ecclesiasticas. Ceterum licet ordo fuerit inversus, neque cum eo, quem paullo ante exhibuimus, concordet, substantia tamen eadem est.

230. Hisce praestitutis, veniamus propius ad causam *Romanam et aliarum* apud S. C. Conc., in qua acri certamine disceptatum est inter tabelliones et cancellarios curiarum episcopalium pontificiae ditionis super iure conficiendi instrumenta actorum ad ecclesias piaque loca pertinentia.

« Plures (ita in eiusdem causae *folio,* quod prostat in *tom. 107.*
» *Resol. anni 1847. pag. 154.)* identidem prodierunt Romanorum
» Pontificum Constitutiones circa asservationem scripturarum ac
» instrumentorum in publicis archiviis ad id institutis. Pluries
» etiam disceptatum deinde est inter Episcopos et communitates,
» quaenam scripturae conservari deberent in publicis archiviis,
» quaenam in cancellariis episcopalibus. Ad hanc componendam
» quaestionem actum primum est apud hanc S. C. sub die 19.
» Decembr. 1625., iterum die 9. Iul. 1825., quibus definitum fuit,
» ut in cancellaria episcopali conservarentur *scripturae omnes*
» *rogatae a cancellario episcopali, tamquam cancellario illius cu-*
» *riae;* et adiectus fuit catalogus earumdem scripturarum. Factum
» proinde est, ut cancellarii episcopales, etsi notarili privilegio
» destituti, tamen supra memoratis resolutionibus innixi ius sibi

» addixerint rogandi acta omnia, et scripturas locorum piorum
» ac ecclesiasticarum personarum in citatis catalogis relatas.

» 231. Imo eo usque res pervenit, ut nonnulli locorum Ordi-
» narii leges synodales decretaque condiderint, quibus nedum
» praefatam rogandi facultatem suis cancellariis tribuebant, sed
» etiam *privativum ius rogandi;* quod deduxerant tum ex quo-
» dam decreto edito anno 1640. a Card. Barberinio S. R. E. Ca-
» merario, tum ex resolutione S. Congregationis in *Urbanien. et*
» *Vaden.* 15. Apr. 1758. aliisque dispositionibus latis a variis ar-
» chiviorum praesulibus, et nuperrime anno 1840. a cl. me. Card.
» Gamberini, tunc Secretarii Status pro negotiis internis munere
» perfungente: etsi varia non deessent decreta a Congregatione
» tum Immunitatis, tum Episc. et Regul. edita, quae praefatum
» *ius privativum* denegabant.

» 232. Hinc frequentes notariorum querelae, quibus iura sua
» laesa conclamabant, quaeque tandem ad S. Sedem delatae fue-
» runt. Summi autem Pontificis imperio quaestio enodanda able-
» gata fuit ad amplissimum hunc Ordinem, qui, ut rite in re
» tanti momenti procederet, mandavit Episcopis Pontificiae di-
» tionis, ut iura cancellariorum in medium proferrent. Multa Epi-
» scoporum responsa prostant apud acta S. Cong., quae omnia
» nimis longum esset hic exscribere. Innuere tamen sufficiat,
» nonnullos Episcopos iura cancellariorum depromere tum ex
» monumentis supra relatis, tum ex consuetudine, quae in dioe-
» cesi invaluit; nonnullos vero, quamvis fateantur, promiscue
» praedictas scripturas rogatas fuisse a notariis et cancellariis,
» attamen convenientius utiliusque locis piis existimant, si can-
» cellariis iisdem *privative* tribuatur. Quae cum ita sint, ut mu-
» neris nostri partes expleamus, subiicimus quae contendentes in
» suis allegationibus hinc inde disputant, in quibus etiam fuse
» legent EE. VV. Pontificias Constitutiones ceteraque monumenta,
» quae supra tantum, ne patientia vestra abuteremur, recensui-
» mus. » Hactenus *folium* S. C.

233. Pro notariis causam dicebat advocatus Villani, celeberrimus textus civilis professor in archigymnasio Romano, eiusque contentionis vis ac robur in eo situm erat, quod ius tabelliones constituendi inter iura regalia connumeretur, adeoque vere supremo principi unice competeret: quoniam vero ex praescripto plurium sanctionum Pontificiarum, ac nominatim ex Motu Proprio

s. m. Pii VII. anni 1822. abrogata sublataque fuerunt privilegia quaeque creandi tabelliones, illud necessario consequebatur, ut abrogatus sublatusque foret usus apud curias ecclesiasticas invectus, ex quo cancellarii ius sibi ac privilegium arrogabant conficiendi acta, quae ad loca pia pertinerent.

234. Contra vero advocatus Lauri respondebat, huiusmodi ius cancellariis competens, inter privilegiorum classem non esse recensendum, adeoque sanctionibus Pontificiis, quae obiiciebantur, obnoxium non esse ullimode reputandum. Utique tuebatur, habendum esse veluti ius a iure communi non scripto derivans, quod ceteroquin a consuetudine profluebat immemorabili, constanti, universali, quaeque ipsius S. C. decretis sancita fuerat et confirmata.

235. Itaque in plenis comitiis diei 28. Aug. 1847., quae sequuntur dubia proposita sunt.: « 1. An cancellarii episcopales, » uti cancellarii tantum, quin ad formam Motus Proprii die 30. » Maii 1822. muniti sint privilegio tabellionatus, rogari possint » de publicis instrumentis actuum et contractuum notarilium, » qui confici debent iuxta formas a dicto Motu Proprio requisitas, » quando interesse ecclesiarum locorumque piorum concernunt, » videlicet alienationum, permutationum, censuum, constitutio- » num, patrimoniorum sacrorum et dotum monialium, transa- » ctionum, erectionum, emphytheuseos et aliorum huiusmodi in » casu? 2. An iisdem cancellariis competat ius privative cele- » brandi omnes actus et contractus, de quibus in primo dubio, » etiam in vim resolutionis S. C. Concilii die 9. Iulii 1625. et » aliarum resolutionum alias latarum in casu? » Et quatenus Negative: « 3. An saltem Episcopus prohibere possit, ne ceteri no- » tarii praeter unum cancellarium suum celebrent instrumenta, » de quibus in primo et secundo dubio, tam generaliter ferendo » legem, vel vulgando edictum, quam specialiter, veluti iniun- » gendo in decretis et rescriptis, vel alio modo directo vel in- » directo, ut instrumentum celebretur per acta cancellarii sui in » casu? » Quorum omnium in sequenti Congregatione die 28. Augusti prodiit resolutio favore notariorum hisce responsionibus: « Ad 1. Negative. Ad 2. Negative, iniuncto tamen notariis onere » tradendi curiis Ordinariorum copiam simplicem omnium actuum. » Ad 3. Provisum in 2. »

236. Ob appellationem a cancellariis interpositam rediit iterum causa in comitiis die 29. Ianuarii subsequentis anni, et

quantumvis contumaces forent ipsi cancellarii, ut paullo maturius in re tanti momenti agerent Emi Patres, dilata propositione ad congregationem huius *diei omnino*, mandarunt, ut *interim scriberetur Episcopis iuxta minutam a S. C. approbatam*. Mandatis hisce obsequens S. C. Secretarius literas ad mentem Emorum Patrum exaratas Ordinariis Pontificiae ditionis transmisit, eosque de hoc potissimum admonitos voluit, ut, *si quid favore cancellariorum deducere censuerint, id quam citius perficere non praetermitterent*.

237. Porro acceptae sunt ab Episcopis relationes allegationesque cancellariorum, de quibus ut gravius iudicium ferrent Emi Patres, opportunum visum est typis easdem committere iisdemque Patribus distribuere. Itaque resumptis iurium deductionibus in prima causae propositione exhibitis, in disceptationem vocatae sunt sequentes dubiorum formulae:

238. « 1. An sit standum vel recedendum a decisis in primo » dubio in casu? 2. An sit standum vel recedendum a decisis » in secundo dubio in casu? 3. An sit standum vel recedendum » a decisis in tertio dubio in casu? » Die 15. Iulii 1848. Emi Patres rescripserunt: « Ad 1. In decisis, et ad mentem; mens est, » ut consulatur SSmo pro sanatione, quatenus opus sit pro in- » teresse partium, omnium actuum et contractuum a cancellariis » peractorum. Ad 2. et 3. in decisis. »

239. Causa nimirum, ob quam S. C. in primo dubio suam mentem edidit, haec fuit, ut ansa auferretur iis, qui hac resolutione abuti vellent, ut instrumentorum, quae a cancellariis confecta fuissent, auctoritatem in dubium et disceptationem non sine ingenti incommodo deducere conarentur.

Eamdem insuper resolutionem in omnibus approbavit SSmus D. N. ac confirmavit, et R. P. D. Secretario mandatum dedit, ut per appositas encyclicas literas Ordinariis ditionis Pontificiae eamdem significaret.

240. Quoniam de causa *Romana et aliarum* diximus, ratio postulat, ut de alia causa *Ariminensi* penes S. C. Episc. et Regul. agitatam sermonem habeamus; maxima siquidem cum ea huic est similitudo et connexio, adeoque ipsam praeterire fas nequaquam videtur. Occasione itaque, qua municipalis Sabiniani moderator, utpote hospitio charitatis praepositus, beneplacitum a S. C. Episc. et Regul. imploraverat pro locandis ad novennium

loci pii bonis, Episcopus dioecesanus de more ab eadem S. C. hac de re sententiam rogatus, dubia quaedam promovit super iure conficiendi acta ad eiusmodi contractum pertinentia. Itaque, auditis utrinque partibus, in comitiis die 3. Mart. 1837. causa proposita est cum titulo *Arminen. Iurium Cancellariae Episcopalis* et cum dubiis, quae modo ipsis verbis subsequuntur:

1. « An acta pertinentia ad affixionem edictorum et hastam » perficienda sint ab Ordinario sive per se, sive per deputationem » personae ecclesiasticae, et ope suorum ministrorum, aut potius » spectent ad administratores hospitii charitatis et ministros eius» dem, salvo favore Ordinarii iure eadem approbandi ac depu» tandi personam ecclesiasticam, quae iisdem assistat? »

2. « An Ordinarius impedire possit pii loci notario, quominus » roget instrumenta locationis, itemque praetendere, ut instru» mentum a curiae ministris rogetur? »

Et quatenus Negative,

3. « An notarius memorati pii loci possit obligari ad deponen» dum in cancellaria episcopali exemplum rogati instrumenti? »

Emi Patres rescripserunt:

« Ad 1. Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.

» Ad 2. Negative.

» Ad 3. Affirmative. »

241. Notandum vero, quod si ageretur de locandis bonis ad capellaniam mere laicalem pertinentibus, ius conficiendi acta licitationis minime ad episcopalem curiam, sed ad eos, quibus bonorum capellaniae administratio incumbit, pertinere dicendum esset. Cum enim municipium Spoletanum ecclesiam quamdam suo sumptu aedificasset, et capellaniam inibi erexisset, quae numquam in beneficii ecclesiastici titulum erigi conferrique posset, praetereaque ad municipium bonorum capellaniae administratio libere pertineret, S. C. Episc. et Regul. in comitiis die 5. Sept. 1834. declaravit, eidem municipio competere facultatem conficiendi acta licitationis circa venditionem cuiusdam capellaniae domus, etiamsi Episcopus facultatem ipsam sibi, suaeque cancellariae competere acriter contenderet. Id enimvero eruitur ex literis eiusdem S. C. ad Archiepiscopum Spoletanum conscriptis die 10. eiusdem mensis et anni, quae leguntur in regesto authentico S. C. Episcoporum ad dictam diem. Porro non est praetereundum, quod bona capellaniarum mere laicalium non censentur uti ecclesiastica; et

sane eadem sub censura ex cap. *Ambitiosae* non cadere, nemo nescit.

242. Quoniam vero de curiarum episcopalium tabulariis (quae res cum cancellariis magnam habet affinitatem) aliqua innuimus, non admodum ab instituto nostro nos deflectere videbimur, si, quod a Summis Pontificibus super iisdem tabulariis providentissime ordinatum est, ad mentem revocemus, eo nempe consilio, ut, sicubi earum sanctionum observantia partim vel penitus forsitan neglecta iacet, redintegretur ac stabiliter retineatur. Itaque ante omnia sciendum est, quod s. m. Sixtus V. dispositionem quandam ex iis, quae suo nomine *motus-proprii* appellantur, incipientem *Provida Romani* die 29. Aprilis 1587. edidit (et legitur in *Append. Conc. Romani* anni 1725. ad n. 9.), ex qua colligitur, eam fuisse eiusdem Pontificis mentem, ut in palatio Apostolico *tabularium ecclesiasticum generale* constitueretur, in quo omnium bonorum ecclesiasticorum, quae ad loca pia dioeceseon Italiae et insularum adiacentium itemque institutorum sive saecularium sive regularium pertinerent, inventaria rite confecta deponerentur.

At vero incredibilibus tam ingentis consilii difficultatibus deterritus animum ab eo iubendo opere dimisit, aut potius magna ex parte remisit: namque generalis illius tabularii loco praecepit atque mandavit, ut quaelibet totius Italiae et insularum adiacentium dioecesis, necnon certa instituta sive saecularia sive regularia peculiare suum tabularium construerent, in quo omnium bonorum, quae ad loca ipsorum iurisdictioni subdita pertinerent, inventaria asservarentur. Sixtina eadem dispositio bifariam dividi potest; prima pars curias afficit aliaque instituta, quibus onus iniungitur huiusmodi commune tabularium construendi; altera vero pars personas omnes complectitur, quae inventaria bonorum ecclesiasticorum ad commune idem tabularium remittere adiguntur. Praeterea multa ad rem conducentia sapientissime praescribuntur, inter quae non est silendum, ab ea lege non immunes declarari eos, qui ab episcopali iurisdictione quomodolibet exempti sunt, ac Sedi Apostolicae immediate subiiciuntur. Sixtinam dispositionem secuta est sequiori tempore Constitutio s. m. Benedicti XIII. incipien. *Maxima vigilantia,* quae reperitur in Bullario magno tom. 12. pag. 221. In hac Constitutione multa singulatim praecipiuntur, quae hic persequi longum esset, at ignorare ac

negligere nequaquam decet. Hinc eam dabimus in volumine III. sub n. 21. Monemus insuper, quod in Conc. Rom. *appendice n. X.* describitur accurata methodus, cuius vestigiis sive notarius, sive vicarius foraneus, aut quilibet ecclesiae rector insistens, articulatim facillimo negotio conficere possit inventarium bonorum, cuiuscumque generis ea sint, quae ad ecclesias, loca pia vel beneficia pertineant. Id autem idcirco adnotatum voluimus, ut pro re nata Antistites, qui Concilio Romano parent, omnino provideant, ut eidem methodo ab iis, ad quos pertinet, diligenter inhaereatur; qui vero non subsunt, normam et exemplum ab eadem methodo arripiant.

Post haec iuvat aliqua subdere de emolumentis ex iurisdictione et sigillo proficiscentibus, tum cum sedem episcopalem vacare contingat; siquidem persaepe ea in re non leve dissidiorum germen exsurgit. In quo liceat in medium proferre, quae habet *folium* S. C. Conc. in *Ianuen. Emolumentorum* 23. Februar. 1856. §. *Attamen:* « Indubii iuris apud omnes est, omnia emolumenta » ex iurisdictione et sigillo tempore sedis vacantis provenientia, » deductis expensis pro charta, cera, ministris curiae et similibus, » necnon pro honorario Vicarii Capitularis necessariis, Episcopo » successori esse reservanda. Textus est expressus in *Clement. 6.* » *cap. Statutum de Elect. et Elect. potest. – Statutum super bonis* » *ac Praelatis cathedralium regularium et collegiatarum ecclesia-* » *rum dimissis, aut obvenientibus tempore vacationis earum, fu-* » *turis successoribus fideliter reservandis editum, locum declaramus* » *habere in omni emolumento, quod provenit ex iurisdictione et* » *sigillo curiae ecclesiasticae vel saecularis, aut alias undecumque,* » *quod ad Praelatos (ecclesiis non vacantibus) pertineret; con-* » *suetudine qualibet contraria non obstante: ita tamen quod in* » *istis et similibus rationabiles deducantur expensae.* Atque ita » communi calculo docent Fermosin. *de Capit. sed. vacant., tract. 1.* » *quaest. 5. n. 4. 5. et 10. et quaest. 4. num. 104. et seqq.,* Pelle- » grin. *de Vicariis, part. I. sect. 4. subsect. 3. n. 15.,* Ventrigl. *in* » *prax. tom. 2. adnot. 15.* §. *1. num. 23. et seqq.,* et alii passim » cum Barbosa in *Collect. ad Conc. Trid. Sess. 25. cap. 11. n. 9.*

243. » Hanc pariter sententiam confirmant plura huius S. C. » decreta, uti *in Agrigentina* 17. Nov. 1594. *(lib. 8. decret. p. 79.),* » ubi S. C. censuit: *Emolumenta tempore vacationis sedis episco-* » *palis obvenientia ex iurisdictione et sigillo, aut alias undecumque*

» *neque ad Capitulum, neque ad Vicarium spectare, sed libere* » *futuro successori reservari, si ad Episcopum, ecclesia non va-* » *cante, pertinuissent; ex his tamen deducendum esse rationabile* » *salarium Vicario constituendum et persolvendum.* » Idem de- » cretum fuit in quadam causa *Nullius* die 11. Iul. 1616. *(lib. 13.* » *decret. pag. 55. et 56.)* in *Mazarien.* ad dub. 3., in *Cephaluden.* » 17. Nov. 1594., in qua tamen apposita fuit conditio: *nisi Capi-* » *tulo ex Apostolico privilegio concessa fuissent;* ac tandem in » *Ostunen. Procurat. et Resident.* 28. Iul. 1708. ad 2. et 3. dub. *(lib. 58. decret. pag. 266.).*

244. » Probe autem monent doctores, relata decreta de illis » emolumentis intelligenda esse, quae ex iurisdictione et sigillo » directe proveniunt; secus tamen de illis, quae proveniunt ex » causa personae iurisdictionem exercentis, ut notat *Add. ad Qua-* » *rant. in verb. Capitulum sede vacante;* ac proinde statuunt, quod » emolumenta illa, quae Episcopi Vicario ratione sui officii de- » bentur, sede vacante, cedere debeant beneficio Vicarii Capitu- » laris; quae vero non Vicario, sed Episcopo debebantur ratione » iurisdictionis, sigilli, aut alterius tituli, Camerae Apostolicae; » ubi vero Camera non habet ius, successori reservanda sint. » Leuren. *de Vicar., tract. 3. cap. 1. quaest. 465.,* et Ventrigl. » *loc. cit. num. 33.* »

245. In memorata *Ianuen.* agebatur de casu, in quo Capitulum Ianuense contra Archiepiscopum novellum attribuebat sibi ius ex immemorabili consuetudine profluens percipiendi suaque faciendi emolumenta omnia, quae tempore sedis vacantis ex iurisdictione et sigillo curiae, aut alias quomodocumque proveniebant. Itaque postquam ea, quae modo exscripsimus, disceptata fuerunt, eodem in *Folio* §. *Hisce* quaestio subiiciebatur, an legi hactenus expositae consuetudo contraria posset derogare? Quapropter rationum momenta in utramque partem ibidem exponuntur, ac speciatim pro parte affirmativa referuntur auctoritates Gaudentii a Ianua *de Visit. Praelat. ord. inf. dub. 13. sect. 2., de Vic. Cap. n. 20.* §. *2. in fin.,* necnon Gagliardi *Inst. Iur. Can. lib. 1. tit. 27., de Vic. Cap. et Ap. n. 10.*

246. At vero pro negativa praeter auctoritatem aliorum doctorum affertur disciplina S. C. Conc.; « nam in *Elven.* diei 28. Mart. 1648.» (pergit *Folium* causae *Ianuen.*), « in qua cum quae- » reretur in 4. dubio: *An Vicario Capitulari, seu illius notario*

» *liceat aliquid recipere pro literis dimissorialibus seu testimo-* » *nialibus ratione sigilli vel alterius causae?* » S. C. respondit: » *Vicarium Capitularem nihil posse percipere etiam pro sigillo,* » *non obstante immemorabili observantia. Notarium vero seu can-* » *cellarium, si nullum habeat salarium aut stipendium pro officio* » *exercendo, posse pro dimissorialibus literis decimam partem unius* » *aurei recipere, ita tamen, ut nihil directe vel indirecte Vicario* » *proveniat.* » Idemque statuit in *Goana* proposita inter supplices libellos in Congregatione diei 6. Mart. 1847. per haec verba: « *Emolumenta, quae, sede plena, ad Vicarium Generalem perti-* » *nuissent, Vicario Capitulari, sede vacante, competere; ea vero,* » *quae ad Archiepiscopum, successori Archiepiscopo, secluso pri-* » *vilegio Apostolico, esse reservanda, non obstante contraria con-* » *suetudine etiam immemorabili.* » Itaque super huiusmodi controversia, non paucis utrinque allatis argumentis, Emis Patribus propositum est dubium: « An constet de bono iure Capituli ca- » thedralis Ianuensis adiudicandi sibi emolumenta, quae tempore » sedis vacantis ex iurisdictione et sigillo curiae, aut alias unde- » cumque proveniunt; seu potius eadem emolumenta reservanda » sint Archiepiscopo successori in casu? » S. C. Conc. die 26. Februar. 1856. rescripsit: « Dilata, et coadiuventur probationes su- » per existentia immemorabilis consuetudinis. »

247. Cum itaque eadem causa iterum in consultationem vocata fuisset die 28. Mart. 1857., Ianuense Capitulum cum in facto immemorabilem consuetudinem in themate non deesse propugnabat, tum in iure animadvertebat, illud apud omnes doctores receptum esse, ut lex, quae generatim consuetudini derogat, haud afficiat consuetudinem immemorabilèm, nisi expresse id cautum fuerit. (Fermosin. *de Cons. qu. 3. n. 29. Gloss. 2. n. 12.*, S. Rota *Dec. 614. n. 1. p. II., decis. 286. n. 1. p. IV. tom. 1. Recent.*). Neque aliquid officere declarationes in *Goana et Elven.* editas idem Capitulum contendebat; ibi enim res erat cum Vicario Capitulari, aliisque curiae officialibus, qui pro aliis praescribere nequeunt, utpote personae distinctae, neque unam eamdemque personam cum successoribus constituentes. At in casu de corpore morali, nempe Capitulo agebatur, cuius persona nunquam moritur, adeoque praescriptionis capacem prorsus esse, nemo inficias iverit.

Iterum itaque proposito dubio, silente Archiepiscopo, S. C. rescripsit: « Dilata, et communicatis Archiepiscopo Capituli de-

» ductionibus, procurator fiscalis exhibeat iura mensae. » Verumtamen, quod sciam, causa isthaec numquam alias proposita fuit, et indefinita remansit.

248. Quod pertinet ad quotam emolumentorum, quae ad Vicarium Capitularem pertinet, modo vidimus, normam hanc a doctoribus tradi, quod nimirum emolumenta illa, quae ratione sui officii Vicario Episcopi debentur, sede vacante, cedere debeant beneficio Vicarii Capitularis. Qua in re praestat aliqua innuere de causa *Mexicana* 14. Febr. 1857., in qua S. C., peculiaribus inspectis circumstantiis, rescripsit, Vicario Capitulari dandam esse quartam partem redituum quorumcumque ad mensam pertinentium. Cum enim per plures annos, quibus sedes archiepiscopalis Angelopolitana vacavit, Vicarii Capitularis munus gradatim pertulissent tum Iosephus N. N., tum Angelus N. N., evecto postea ad sedem Angelopolitanam ipso Iosepho N. N., Angelus N. N. petiit a S. Congr., ut salarium pro gesto Vicarii Capitularis munere debitum solveretur, factoque dubio: « An et quomodo sit » locus solutioni salarii favore canonici Angeli N. N. pro gesto » munere Vicarii Capitularis in casu? » Emi Patres rescripserunt: « Attentis peculiaribus circumstantiis, affirmative pro quarta parte » redituum ex quocumque titulo mensae vacanti obventorum. »

249. Tametsi vero Angelus N. N. non omni vacationis tempore Vicarium Capitularem egisset, si quidem aliquot annis in eo munere Iosephus N. N. fuerat, nihilominus illius haeredes (ipse enim dum haec agerentur, diem supremum obiverat) quartam partem sibi arrogabant totius cumuli omnium annorum, quibus sedes vacua remanserat, iis etiam omnibus comprehensis, quibus Vicarius fuerat ipse Iosephus. At vero S. C. in *Angelopolitana Emolumentorum* 23. Martii 1861. edixit: « quartam partem emolu- » mentorum canonico Angelo N. N. assignatam computandam non » esse habita ratione ad totum tempus vacationis mensae episco- » palis, sed potius ad tempus gesti muneris Vicarii Capitularis. » Huiusmodi dubium, obtenta venia novae audientiae, consultationi iterum propositum fuit in comitiis 18. Aug. 1866., sed Emi Patres steterunt *in decisis et amplius*.

250. Quaerebatur in secundo praedictae *Mexicanae* dubio, quomodo providendum esset in futurum non solum in sede Angelopolitana, sed etiam in universa Mexicana provincia: eaque ratio fuit, cur causa *Mexicana*, licet speciatim de Angelopolitanae dioe-

cesis Vicario Capitulari ageretur, prima vice non *Angelopolitanae* sed *Mexicanae* titulum praeseferret. Haec autem quaestio nullam sortita est definitionem, quandoquidem S. C. die 14. Febr. 1857. rescripsit: « Dilata, et exquiratur votum omnium Episcoporum » Mexicanae provinciae, qui, auditis respective Capitulis, aperiant » sententiam super honorario Vicariis Capitularibus assignando.» At vero huic Sacrae Congregationis mandato satis non fuit factum, certe ob notas vicissitudines publicas, quibus Mexicana res tum civilis tum sacra pessumdata eversaque fuit, ita ut omnes Episcopi ex suis dioecesibus exsulare cogerentur, donec gloriosa Gallici Imperatoris arma, acto de perditissimis hominibus triumpho, Episcopos in suas sedes reportarunt (1).

VIII. « An aliquod habeat, quod sibi obstet circa exercitium » episcopalis officii, iurisdictionis ecclesiasticae, nec non tuendae » libertatis et immunitatis ecclesiarum.

Summarium. 251. Materiam huius paragraphi plene discutere brevitas proposita non sinit.– 252. Controversiae hac in re penes Episcopos exteros exortae ordinarie a S. C. Neg. eccl. ext. tractantur. – 253. 254. 255. Fuse narrantur origo et progressus eiusdem S. C. Neg. eccl. ext. etc.– 256. S.C. Conc. controversias huius generis ad eamdem amandat. – 257. De immunitate ecclesiastica quid statuat ius commune, remissive. – 258. Quid ius novissimum praesertim in ditione Pontificia, remissive.

251. Materia, quae in hac paragrapho continetur, eiusmodi est, ut eidem per omnes partes enucleandae locum cedere nequeamus. Nam sive officium et iurisdictio episcopalis consideretur, sive libertas et immunitas ecclesiarum inspiciatur, (quando utraque res tanto studio esset exponenda, quanto fortasse par est, ut dignosci possit, quibus in rebus Episcopi impedimenta, de quibus hic res est, offendere possint, ac soleant) non brevis quidem articulus, ut fert instituti nobis propositi ratio, sed ingens ac prolixa pertractatio esset suscipienda. Itaque satis sit pauca de utroque capite cursim indicare.

252. Ad primam partem huius paragraphi quod attinet, nempe ad impedimenta officii et iurisdictionis episcopalis, noverint ve-

(1) Circa honorarium pro Vicario Generali vide S. C. Episc. et Regul. *Sypont. Honor.* 11. Mart. 1845.

nerabiles Episcopi, qui Pontificiae ditioni non obtemperant, controversias hoc in argumento suboriri solitas, ut plurimum ad Sacram Congreg. Negotiis ecclesiasticis extraordinariis praepositam remitti. Quamvis itaque summopere expediat, atque adeo interdum necesse sit, easdem per summa capita in statu dioeceseos referendo indicare, nihilominus si quid eis occurrat, in quo S. Sedis consiliis ac provisionibus indigeant, satius erit, si recta via ad eamdem S. Congregationem confugium habeant, ut brevius ac citius sui voti compotes esse queant.

253. Quoniam vero de S. Congregatione Negotiis ecclesiasticis extraordinariis praeposita mentio facta est, non erit inutile, si quaedam de eius origine ac ministerio cognoscenda suppeditemus in gratiam exterorum Antistitum, quibus, uti saepe fit, plena et adaequata eiusdem cognitio non inest, eoque magis, quod eamdem adire sibi necesse sit aliis occasionibus, quibus eiusdem auxilio et auctoritate opus habeant.

Recentissima est eiusdem institutio, suamque ducit originem ex civilibus perturbationibus, quae sub exitum saeculi praeteriti et initium huiusce, quod modo vertitur, non modo civilem societatem sed etiam ecclesiam miserrime miscuerunt. Cum enim sacrarum rerum personarumque status vehementissime perversus et labefactatus fuisset, ad eumdem restituendum et reparandum necessarium esse vidit provida Summorum Pontificum mens, ut novis necessitatibus nova subsidia suppeditarentur. S. m. Pius VII. vix ad universalem regendam Ecclesiam anno 1800. divino beneficio evectus, incidit in ea tempora, quibus sacra res iam in Galliis prae omnibus aliis ditionibus maxime prostrata ac ferme penitus eversa, primo consule, posthac Galliarum imperatore adiuvante, erigi, et, qua daretur ratione, iterum ordinari coepta erat. Ex quo quam ingens ac multiplex ecclesiasticorum negotiorum moles eidem incuberit, facile quisque animo suo effingere potest. Quibus cum aliae S. Congregationes expediendis pares non essent, ac insuper omnia negotia ad unum, idemque caput revocare summopere conduceret, specialem eamque precariam Congregationem instituit, quae usque ad annum 1809. suam occupationem ac studium ecclesiasticis quibusque Galliarum negotiis impendit, atque adeo interdum ad negotia aliorum regnorum suam manum opemque contulit.

254. Anno 1814. cum Summus ille Pontifex post gloriosissi-

mum exilium, veluti aurum in igne probatum, sedem honoris sui singulari Dei providentia iterum recuperasset, e summa Pontificiae cathedrae specula sensit rem sacram non solum in Galliis iterum perturbatam, sed in omni pene Europa ita vastatam atque subversam, ut pro reparandis contritionibus Israel magno utique labore sollertiaque indefessa opus foret. Itaque per epistolium (vulgo *biglietto*) Emi Card. Pro-Secretarii Status dicto anno 1814. dati ad Revmum P. Fontana, postea S. R. E. Cardinalem, tum Barnabitarum Generalem, Congregationem, de qua loquimur, restituit, seu potius de novo in perpetuum creavit, cui octo Cardinales rerum ecclesiasticarum peritia usuque spectabiles, Secretarium et quinque Consultores addixit, eique munus adiunxit expendendi singula negotia, quae ex toto catholico orbe S. Sedi deferrentur, simulque auctoritatem contulit deliberandi quidquid pro rerum opportunitate rectis ac sanis ecclesiasticae disciplinae regulis ac pontificiae auctoritati magis conforme in Domino videtur. Eumdem Revmum Fontana primum Secretarium nominavit; inter Consultores viros doctrina insignes recensuit, quales nempe fuerunt Marcus Mastrofini, Aloysius Lambruschini, postea praeclarissimus Cardinalis ac Secretarius a Negotiis Pontificiae ditionis, et Maurus Cappellari, Gregorii XVI. nomine posterius ad Cathedram Pontificiam maximo cum Ecclesiae emolumento promotus.

255. Hinc factum est, ut huiusmodi Congregatio gravioribus totius catholici orbis negotiis expediendis operam daret, et rerum necessitate ita ferente, conspicuum et splendidum inter alias sacras Almae Urbis Congregationes locum acquireret. Ea porro ope sui Secretarii, qui continuo a nutu Cardinalis Secretarii Status dependet, ac hebdomada qualibet certo die Audientiam a Summo Pontifice obtinet, cum omnium ditionum Nuntiis, Internuntiis, aliisque rerum Pontificiarum gestoribus epistolare commercium habet, et, quando opus est, cum Oratoribus etiam exterarum nationum apud S. Sedem residentibus cominus agit, ut negotia, quae suborta fuerint, pertractet, ac de sententia S. C. et auctoritate Summi Pontificis expediat.

256. Cum itaque id, quod ab eadem statuitur, semper fere normam praebere debeat omnibus unius eiusdemque ditionis Episcopis, S. C. Concilii, dum alicui Episcopo singulatim respondendum occurrat, prudens existimat, se ab hisce rerum negotiis ab-

stinere. Rem itaque omnem eidem S. Congregationi remittit, ut una eademque pro omnibus ratio servetur. Aliter enim periculum esset, ne temperamenta pro uno inita cum ratione universim sancita minime conveniant: eoque magis, quod in eadem S. C. Neg. eccl. extr. praeposita secreti fides, adhibito iuramento ex instituto servanda sit. Consulatur opus, cui titulus « *Dizionario di erudizione storico-ecclesiastica, per Gaetano Moroni. Venezia 1840-1861. tom. 15. pag. 156.* et seq.

257. De libertate et immunitate ecclesiarum (quae altera huius capituli pars est) nemini ignotum esse potest, quantae innovationes iuri communi allatae fuerint ex pluribus concordatis, quae praesertim ultimis hisce temporibus Apostolica Sedes cum plerisque regnorum principibus inire debuit. Quocirca si qua controversia excitetur, a S. Congregatione ecclesiasticis negotiis extraordinariis praeposita pertractatur ac expeditur iuxta ea, quae modo diximus. Neminem etiam latet, in Alma Urbe S. Congregationem adesse, cuius est ecclesiarum libertatem immunitatemque tueri: porro iis, de quibus diximus, causis maxima ex parte eidem negotia relicta sunt, quae super hac materia in ditione Pontificia suboriuntur. Quibus in expediendis ius commune sequitur, excepto eo, quod ex novissimo temperatum fuit. Si ius commune quis nosse cupiat, rerum tractatores consulat, ac in primis, utpote recentiorem, L. Ferrarium verbo *Immunitas*, qui pluribus articulis hanc conficit tractationem, et Pontificum dispositiones vel allegat vel affert: inter quas non est praetereunda Constitut. Clement. XIII. 23. Aug. 1766. incip. *Praestat Romanum*, quam dabimus in volumine III. sub num. 22.

258. Ius novissimum ita describit Moronius in citato opere dicto tomo 15. pag. 210. latine versum. « In legum collectione, » quae quotannis ex camerali typographia in lucem eduntur super » Immunitate, pertractantur sequentia capita vol. III. pag. 1. et » 363. et vol. V. pag. 277. 307. et 308. *Privilegia et formae pro* » *exigendis taxis publicis, quae ecclesiasticis viris debentur; re-* » *gulae Immunitatis ecclesiasticae relate ad iudicia criminalia;* » *confirmatio privilegiorum ad ecclesiasticos spectantium in acti-* » *bus criminalibus. Quae crimina auferant ius immunitatis, et* » *quomodo procedatur ad exactionem reorum a locis immunibus.* » Consulatur etiam *Regolamento organico di procedura criminale* » *(Lib. 8. tit. 2. a n. 602., 5. Nov. 1831.);* necnon eiusdem *Ap-*

» *pendice al regolamento organico per norma delle curie ecclesia-* » *stiche nella procedura criminale* eiusdem diei », ac tandem Motus proprius diei 10. Novembris 1834. a s. m. Gregorio XVI. promulgatus.

« IX. An aliquod pium opus peregerit pro ecclesia, pro po- » pulo, aut pro clero. »

Summarium. 259. Coniecturaliter innuitur, quae vere fuerit Bened. XIII. mens in hac quaestione Episcopis proponenda. – 260. Indigitantur exempli gratia speciatim nonnulla opera, quae in hoc articulo, ut plurimum, ab Episcopis renuntiari solent.

259. Si quis in universam Bened. XIII. Instructionem uno veluti intuitu oculos converterit, facili negotio profecto sentiet, nullam esse partem procurationis episcopalis, cui certa inibi sedes attributa non fuerit; sive enim status *materialis*, quem vocant, sive *formalis* consideretur, singula rerum ac personarum sacrarum capita articulatim ita cumulate praelibantur, ut nihil, quod ad rem pertineat, fugerit, et inobservatum abiverit. Quocirca quaestio isthaec, *an* (Episcopus) *aliquod pium opus peregerit pro ecclesia, pro populo, aut pro clero,* quodammodo superflua et otiosa fortasse videbitur. Id enim cuilibet Antistiti iis locis describere planum et obvium est, in quibus de ecclesia, populo et clero deque iis rebus, quae quomodolibet eo referuntur, peculiariter agitur. At vero absurdum et imo iniuriosum existimaverim, ut sine certa et gravi causa id praestitisse dicantur viri sapientia, doctrina et auctoritate praestantissimi, quales erant Lambertinus, qui Instructionem conscripsit, Patres Concilii Romani, qui eam sua sententia receperunt, et denique s. m. Bened. XIII., qui Pontificia auctoritate comprobatam evulgari et Praesulibus praescribi voluit. Haec mihi saepenumero cogitanti illud venit in mentem, eo consilio talem ibi quaestionem fuisse institutam, ut perbelle ac per viam veluti obliquam Antistites incitamentum quoddam haberent, ut supra id, quod ordinario ipsis gerendum incumbit, extraordinario aliquod salubre opus in utilitatem dioeceseon ipsorum curae creditarum capesserent. Cum enim progressu temporis novae in dies necessitates sacris rebus ac personis obveniant, peropportunum certe accidit, ut in tempore per idonea praesidia

ac remedia iisdem stabiliter consulatur. Quando vero id ex praecepto Praesulibus imperare non datur, rectissime factum videtur, ipsis tacito quodammodo consilio impellendis, ut sponte et ex animo suscipiant, quod ex legis praecepto efficere non tenentur. Et sane; S. C. Conc. hac in paragrapho illud solemne habet, ut, quoties Antistites huiusmodi piorum operum, quae peregerint, notitiam afferant, honorificentissimis quibusque verbis quidquid gesserint, amplissime prosequi allaboret.

Hoc etiam tantorum virorum menti propositum fuisse non difficulter dederim, ut videlicet frena laxarent atque adeo remitterent modestiae multorum Antistitum (et hi rari certo non sunt), qui satis habentes sua praeclare gesta Deo innotescere, laudis humanae praeconia minime curant.

260. Quidquid vero sit de fine, quo praesens quaestio pertineat, ad nostrum institutum quod attinet, cum ea indefinita sit, et nihil peculiare contineat, nullum fusiori cuilibet pertractationi, quemadmodum de ceteris quaestionibus evenit, aditum nobis relinquere per se quisque videt. Solummodo ne locum hunc sine ullo omnino verbo abire sinamus, quamvis opus non sit, singulatim nonnulla opera indigitabimus, quae, ut plurimum, hic ab Antistitibus renuntiari solent. Talia sunt haec, si ex. gr. sacram aliquam pretiosissimam supellectilem cathedrali templo Episcopus donaverit; si pro fidelium commoditate novas parochias, servata sacrorum canonum forma, creaverit ac dote suo aere instruxerit; si aliquod religiosum institutum sive marium sive mulierum, praesertim ad christianam adolescentiae sexus utriusque institutionem provehendam, aut subortas christiani populi necessitates sublevandas in suam dioecesim stabiliter invexerit; si ad excitandam fidelium pietatem et christianarum virtutum cultum adaugendum pias sodalitates, vulgo *confraternitates*, erexerit; si clero quotannis spiritualia exercitia in aliquo coenobio, aut alia domo in hunc finem instituta indixerit, eoque ante omnia parochos per orbem et confessarios ac sacerdotes coadunaverit; si populo sacras missiones tum in civitate, tum in dioecesis oppidis a sacris praeconibus pietate ac scientia praestantibus suppeditari providerit; si denique aliud quodcumque insigne bonum ecclesiae suae afferendum curaverit, prout forsan sua sedula sibi pietas pro specialibus ovium suarum commodis ac spiritualibus indigentiis suggesserit.

CAPUT TERTIUM.

De tertio capite ad clerum saecularem pertinente.

« I. An canonici ceterique choro addicti cathedralis, metropo-
» litanae aut patriarchalis ecclesiae, nec non collegiatarum, choro
» iugiter intersint. »

1. S. Congregatio Concilii postquam ab Episcopis sese edoceri curavit de implemento munerum, quae ad ipsam Episcopi referentis personam pertinent, rationem sibi reddi praescribit de muneribus, quae cleri saecularis propria sunt. Porro proximum ab Episcopo locum habent Capitula cathedralium, quae eiusdem veluti senatum constituunt; secundo veniunt Capitula collegiatarum; deinde parochi, ac denique reliqui ecclesiae viri, qui omnes militiam ecclesiasticam secuti sub Episcopo veluti duce, proeliantur proelia Domini, unaque cum ipso collaborant in Evangelio. Quaeritur itaque in prima paragrapho huius tertii capitis, an canonici ceterique choro addicti cathedralium (quarum nomine comprehenduntur ecclesiae patriarchales, archiepiscopales, basilicae et similia) necnon collegiatarum iugiter choro intersint. Porro eadem S. Congregatio quanta maxima potest diligentia non solum exquirit ab Episcopis, an chorali officio iidem adamussim satisfaciant, sed et insuper, si quid iuri canonico, Tridentinis sanctionibus, constitutionibus Pontificum et Sacrarum Congregationum declarationibus minus congruum fortasse deprehenderit. Item earumdem praescriptionum observantiam et custodiam vehementer inculcat ac praecipit. Itaque necessitas oritur, ut huiusmodi argumentum summa accuratione per singulas partes evolvatur et sedulo pertractetur; enimvero latissime isthaec provincia patet. Hinc, ut ordine procedatur, in plures articulos per nos eadem dividetur. Agetur primo generatim de residentia praesentiaque in choro exhibenda, itemque de vacationibus, ubi de iure substituendi etiam agetur; secundo de distributionibus; tertio de absentibus; quarto de poenis contra negligentes et absentes constitutis.

Art. I. De residentia praesentiaque in choro exhibenda, itemque de vacationibus et substituendi facultate.

Summarium. 2. Ad accuratam servitii choralis satisfactionem tria necessaria sunt; et primo quidem residentia personalis, eaque non materialis tantummodo, sed etiam formalis, propria ac praecisa; aliter peccatum etiam admittitur. Quae sit residentia formalis, et praecisa; quae causativa. – 3. Secundo requiritur praesentia personalis in choro, aliter canonicus, vel quilibet alius choro addictus, licet resideat, uti absens punitur. In confirmationem additur causa *Terracinen.* – 4. Quae sit residentia continua, quae discontinua; residentia discontinua sufficit, dummodo plene ac diligenter munera choralia adimpleantur. – 5. Tertio requiritur, ut canonici aliique chorales voce et cantu cum ceteris psallant; aliter puniri possunt distributionum subtractione, non obstantibus consuetudine et statuto. Excipe, si adsit privilegium non praesumptum et abrogatum, sed legitimum ac vigens. – 6. Canonici aliique chorales ab Episcopo cogi possunt, ut cantum Gregorianum addiscant. – 7. Vacatio per tres menses a Conc. Tridentino conceditur; salvae tamen relinquuntur peculiares constitutiones, quae servitium totius anni requirunt. – 8. Itemque eae, quae longius, quam novem mensium servitium praescribunt. – 9. Trimestre spatium praetergredi nefas, nisi adsit Apostolica facultas. – 10. Vacare licet per dies interpolatos, neutiquam vero per horas, seclusa Apostolica venia. Vacatio locum non habet in Capitulis, quae per alternativam, seu mediariam, vel tertiariam choro inserviunt. – 11. In usu trimestrium vacationum quaedam regulae servandae sunt, nempe, ne chorales vacent in Quadragesima ac solemnioribus festivitatibus; ne absint ultra tertiam partem eodem tempore; et ne discedant a dioecesi sine Episcopi venia. – 12. Tempore feriarum distributiones lucrari non licet. Excipe, si adsit venia Apostolicae Sedis. – 13. Qui ex peculiari statuto servitium totius anni, vel maius quam novem mensium praestant, vacationum beneficium ex gratia Apostolicae Sedis aliquando obtinent. – 14. Hoc beneficium per maius vel minus temporis spatium pro circumstantiarum varietate conceditur cum solitis limitationibus. – 15. Quibus aliquando aliae adiiciuntur. – 16. Causae huiusce concessionis sunt aeris intemperies et insalubritas. – 17. Item redituum beneficialium tenuitas. Quae praebendae tenues reputentur. – 18. Item longa ab ecclesia distantia ac viarum asperitas; – 19. Item auctus psallentium numerus. – 20. Veniam percipiendi distributiones tempore absentiae S. C. pro varietate circumstantiarum aliquando concessit, aliquando negavit. – 21. Iuxta Concilium Trid. quisque per se, non per substitutum choro servire debet. Quae dispositio ita intelligenda est, ut substitui nequeant personae extra

Capitulum, aliter si de gremio sunt. – 22. Quaedam vero conditiones servandae sunt, nimirum ne ceteroquin eodem tempore substitutus ipse choro servire teneatur, ne id crebro contingat, ne substituens extra civitatem, aut eius suburbium versetur, ne hoc beneficium ad coadiutores extendatur. Coadiutores neque substituere, neque substitui queunt. – 23. 24. Huiusmodi conditiones adesse debere, pluribus in rem S. C. C. declarationibus allatis confirmatur. – 25. Ubi suburbium non adest, suburbii locum tenet territorium, minime vero oppida dioeceseos. Substitutio ita extendi non debet, ut quis toto anno a choro absit, nisi adsit Apostolica venia. – 26. Canonici honorarii substitui non possunt; bene vero iubilati, dummodo non teneantur inservire per se.

2. Praecipuum officium canonicorum est, ut in Dei domo per psalmodiam et Agni sacrificium, tamquam *almae Sionis aemuli* illi coelitum sedi iungantur, quae semper *Deum trinum et unicum praedicat*. Iamvero ad hanc rem tria potissimum iisdem necessaria sunt, nempe, ut residentiae legem servent, ut praesentes choro adsint, ut voce et cantu chorale servitium persolvant. Namque ut a residentia exordium ducam, eadem apprime praecipitur in *Cap.* Quia nonnulli *3. de Cler. non res., Cap.* Relatum. *4. eod. tit., Cap.* Conquerente *6. eod. tit.* Et Conc. Trid. *cap. 12. Sess. 24. de Reform.* ita sancivit: « Praeterea obtinentibus in iisdem » cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicatus, praebendas, aut portiones, non liceat vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno » abesse: salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, » quae longius servitii tempus exquirunt. » Itaque cum S. C. Conc. in *Terracinen.* 26. Mart. 1853. §. *Sed contra*, subiici concinne potest « Pervulgati iuris est, canonicos vel qui aliam praebendam » habent in ecclesiis cathedralibus et collegiatis ad residentiam » personalem obligari, Pirhing *in Lib. III. dec. tit. 4. n. 4. de* » *Cler. non resid.* Quae quidem non materialis tantum, sed formalis esse debet, cum personalis nempe muneris exercitio, in » quod ipsa residentia ordinatur. Barb. *in Iur. Can. Coll. DD.* » *in lib. 3. decret. in summ. n. 8.* Neminem sane latet, beneficium officii causa esse institutum, ac propterea *propriam* ac » *praecisam*, uti vocant, non *causativam* residentiam tantum requiri in beneficiis, quae servitium chori habent in cathedrali vel » collegiata ecclesia. (S. C. in *Lucen.* 1. Febr. 1766. §. *Commun.*).» Porro causativa residentia duplici sensu accipitur, nempe quoties

ea servata, fructus percipiuntur, eadem neglecta, amittuntur sine ulla alia poena; (S. C. Conc. in *Ferrarien. Thesaur.* 4. Febr. 1843. §. *Quoad tertium*); vel ea, quae mere voluntaria est citra omnem obligationem in foro conscientiae. (S. C. Conc. in *cit. Ferrar.* §. *Obligatio,* necnon in cit. *Lucen. Capellaniae* 1. Febr. 1766. §. *Ad 1. et* §§. *seq.*) « Quod si ultra tempus a Concilio permissum » notabiliter absunt, peccant mortaliter; nam contraveniunt gra- » vissimo Concilii praecepto, nec satisfaciunt suae obligationi. » Hoc procedit, etiamsi resident in civitate, quin ecclesiis debi- » tis horis interveniant: ad quod comprobandum varias S. C. re- » solutiones in medium ex loc. cit. idem auctor (Garz. *de Ben.* » *n. 3. c. 2.* §. *1. n. 221.*) profert: nec fructus faciunt suos. » (S. C. C. in *Hydrunt.* Serv. chor. 16. Sept. 1837. §. *Iamvero.*).

3. Quod vero sola residentia canonicorum absque praesentia choro exhibita non sufficiat, ut legi satis faciant, dilucide confirmatum fuit anno 1573. *(lib. 1. decret. pag. 3.),* et iterum eodem anno *(lib. 1. decret. pag. 178. et seq.* apud Bened. XIV. *Inst. eccl. 107. n. 32.),* ideoque tales ut absentes censeri, et poenis contra absentes puniri debere, a S. Congregatione ibidem statuitur. Accedit huc causa ipsa *Terracinen.,* in qua canonicus N. N. ex ea ratione, quod collegae sine suffragio suo cappae magnae decus, nimis, ut opinabatur, vanitatis avidi, a S. Sede obtinuerant, pluribus annis ad chorum non accesserat, amicabilibus quibuscumque monitionibus in irritum cedentibus, tandem ab Episcopo annuorum fructuum dimidio privatus fuit, ac deinceps amissione omnium fructuum decreto damnatus. Ex quo decreto cum appellationem ad S. Congregationem interiecisset, dubia concinnata sunt: « An Ioannes canonicus N. N. cappa indutus chorum adire » teneatur in casu? 2. An decreta episcopalia sustineantur in » casu? 3. Et quatenus negative: An et quomodo procedendum » sit contra eumdem canonicum in casu? » S. C. die dicta rescripsit: « Ad 1. et 2. Affirmative. Ad 3. Provisum in primo. » Causa iterum die 31. Mart. 1860. proposita, S. C. rescripsit: « Ad 1. 2. » et 3. in decisis et amplius. »

4. Residentia, quam in *materialem* et *formalem,* ac etiam *praecisam* et *causativam* dispesci obiter innuimus, in *continuam* insuper et *discontinuam* dividitur, quarum una continue, nempe *singulis momentis obligat ad residentiam,* velut de parochis accidit, qui ad omnem horam repentinis populi necessitatibus prae-

sto esse debent, altera *beneficiatum obligat ad residentiam certis diebus et horis*. (S. C. C. in *Ferrar. Thesaur.* 4. Februar. 1843. §. *Quoad tertiam partem in fin.*). Porro absolute loquendo, residentia, quae canonicos aliosque chorali officio mancipatos obstringit, vera et praecisa est; quandoquidem quotidie et diversis horis integrum divinarum horarum pensum iidem tenentur absolvere, prout inferius fuse demonstrabitur: quod quidem sine vera residentia effici nequit. At vero eadem est discontinua: quod enim pertinet ad officium praebendae adnexum, satis est, ut praebendae rector certis horis choro praesentem sese praebeat. Itaque potest alia insuper munera perferre, et etiam beneficia possidere, dummodo propter haec choro deesse non cogatur. In *Tolentina* Serv. chor. 26. Maii 1739. ad dub. 12. penes S. C. C. quaerebatur: « 12. An canonicus Rilli... et canonicus Ioseph Pompili possint retinere capellaniam in ecclesia rurali S. Ioseph cum onere » ibidem celebrandi diebus festis, et respective munus organistae » exercere in ecclesia S. Nicolai? » « 13. An canonicus Ioannes » Rezzi valeat exercere munus confessarii monialium in monasterio S. Agnetis in casu? » responsum fuit: « Ad 12. Affirmative, dummodo satisfaciant servitio chorali, et oneribus canonicatus. « Ad 13. Affirmative, ut ad proximum. »

5. Innuit Bened. XIV. *(Inst. eccl. 107. n. 16. et seq.)*, aliquos fuisse, qui crederent, canonicos aliosque addictos suo muneri satisfacere, si praesentes in choro se sistant, quin voce et cantu alios subsequantur. Iamvero plures ipse ibidem congessit S. C. resolutiones, quibus futilem hanc sententiam explosit. Neque id satis habuit; namque capta occasione editae Constit. incip. *Cum semper oblatas* §. *24.*, (quam dabimus volumine III. sub n. 23.) diserte declaravit, ipsam doctrinam, uti falsam reiiciendam, quin imo subiecit, ad eam sustinendam neque inveteratam consuetudinem, neque statuta peculiaria, neque etiam praetensa ecclesiarum privilegia ullam habere vim. Solummodo suffragari posset *Apostolicum non praesumptum vel abrogatum, sed legitimum ac vigens privilegium, sive indultum,* quod nisi praesto sit, cum eodem Pontifice *iure ac merito verendum est, ne isti, qui* ita se gerunt, (silentium scilicet huiusmodi in choro servant), *praebendarum ac distributionum fructus minime suos faciant, et consequenter ne ad istorum restitutionem teneantur*. Quam ipsam de voce ac cantu non omittendo praescriptionem iterum idem gravissime urget in

Constit. « *Praeclara decora* » §. *6.* diei 19. Ianuar. 1748., ibique repetit, ab iis, qui in choro non psallunt, fructus non fieri suos, unaque Episcopo, cui Apostolicae illae Literae missae fuerant, facultatem absolvendi eos elargitur, qui anteacto tempore hac in parte peccaverant.

6. Quae cum ita sint, mirum esse non debet, si S. Cong. Conc. pluries declaravit, posse Episcopum canonicis legem facere, ut cantum Gregorianum addiscant, quemadmodum videre est in *Murana Mansionar.* 19. Nov. 1735., cuius in *folio* referuntur singulae declarationes in hanc rem a S. C. prolatae. Unam iuvat afferre causam *Andriensem* 14. Mart. 1620. *(lib. 12. decret. p. 30. et 40)*, in qua hoc decretum editum est: « Episcopum debere » omni studio et diligentia eniti, ut praedicti omnes cantum ad- » discant; atque in eos, qui in choro, prout tenentur, non psal- » lunt, posse procedere etiam per subtractionem quotidianarum » distributionum. » Haec autem eo magis vim habere dicenda sunt in locis, quae provinciae Romanae obtemperant; quandoquidem Concilium Romanum anni 1725. *Tit. XVI. cap. 3.* disertis verbis praecipit clericis universis, ut *cantum Gregorianum addiscant*, adeoque idipsum multo gravius a canonicis ob superius allatas causas exigere debent Episcopi.

7. Nunc de vacationibus et substituendi facultate agendum suscipimus. Sapientissima mater Ecclesia severam legum custodiam cum benignitate temperans, dum officium divinum in choro persolvi gravissime iubet, trium spatium mensium elargitur, quo honestae animi et corporis recreationi indulgere liceat. Id a Tridentinis Patribus speciali sanctione statutum est *cap. 12. Sess. 24. de Reform.* eo loco, quem supra ipsis verbis retulimus.

Monendum tamen est, per allegatum decretum non censeri abrogatas peculiares constitutiones, quibus praescriptum est, ut nulla intermissione per totum annum onus chorale compleatur. Nam S. C. C. in *Mutinen. 1513. (lib. 1. decret. p. 168.)* « censuit, » trium mensium absentiam non concedi canonicis ex decret. » Conc. Trid. *Sess. 24. cap. 12.*, si constitutionibus ecclesiae ser- » vitium absque ulla intermissione requiritur.» Vide Bened. XIV. *Inst. eccl. 107. n. 31.*

8. Idem dicendum, si vacationis tempus citra tres menses coercitum fuerit; nam ipsa Tridentina Synodus *salvas esse voluit ecclesiarum constitutiones, quae longius*, quam per novem

mensium spatium *servitii tempus requirunt*. Consul. Fagnan. *C. Licet n. 51. de Praeb.*, S. C. Conc. in *Valven. Serv. chor.* 24. Novemb. 1838. §. *Ad alterum*, et alibi passim.

9. Trium vero mensium vacationem praetergredi nefas est, etiamsi immemorabilis consuetudo accederet. Nam S. C. (apud Bened. XIV. *loc. cit.*) *in Calagurit.* 1581. *(lib. 3. decret. pag. 186.)* « censuit, non licere praebendatis vigore cuiuscumque consuetu- » dinis etiam immemorabilis ab eorum ecclesiis ultra tres men- » ses abesse ». Aliter autem censendum est, si accedat S. Sedis auctoritas: cum enim haec centum dierum vacationem confirmasset in *Miranden. 1585. (lib. 4. decret. p. 88. a tergo)* S. C. decrevit « concordiam a Sede Apostolica confirmatam a Concilio » non esse sublatam ». (Bened. XIV. *loc. cit.*).

10. Trimestrium vacationum beneficio uti possunt praebenda praediti etiam per dies interpolatos. (S. C. C. in *Mutinen.* ann. 1573. *lib. 1. decret. pag. 178. et sequent.)*. Quod tamen hic licere dicitur, locum non habere advertendum est in iis Capitulis, ubi viget *mediaria* vel *tertiaria*, quas vocant, ut modo explicabimus. Quapropter si praebendati spatium a Concilio vel constitutionibus peculiaribus permissum non transiliant, poenas absentibus irrogatas non incurrunt, modo tamen computentur absentiae dies, at neutiquam horae; ita penes eumdem Bened. XIV. *loc. cit. n. 33.* S. Congr. Conc. declaravit die 17. Iun. 1594. in *Aquilana (lib. 8. decret. pag. 92. a tergo)*: « S. C. censuit, ad constituendum ser- » vitium novem mensium non esse colligendas punctaturas, quasi » ii, qui novem partes punctaturarum ex duodecim, quae ex » servitio totius anni conflantur, deserviendo tulerint, servitio » novem mensium debito satisfecerint, sed ipsos dies residentiae » et servitii, sive continui fuerint, sive interpolati, numerandos » esse, ut numerum compleant dictorum novem mensium. » Ut vero liceat computare horas, non dies, accedat necesse est Apostolica venia, quemadmodum fit de Capitulo Centumcellarum, cui per cl. mem. Card. Episcopum Falzacappa s. m. Gregorius XVI. hoc speciale concessit indultum diei 9. Iul. 1840., ut constat ex eiusdem Capituli constitutionibus pag. 88. et 89. editis Romae a Contadini eodem anno.

11. In vacationum trimestrium usu ad ordinem ac disciplinam chori tuendam quasdam leges S. C. Conc. constituit, quas ex his decretis, quae Bened. XIV. *loc. cit. n. 34. et seq.* authentice ex-

cerpsit, ediscere licet. Die 12. Iul. 1631. in Auximana *(lib. 14. decret. pag. 467.)* S. C. censuit, « Emum Episcopum facere debere » decretum, ut in collegiatis ecclesiis suae dioecesis, quae vigore » Conc. Trid. gaudent vacatione trium mensium, canonicos abesse » non posse ultra tertiam partem uno et eodem tempore, et hu- » iusmodi vacationem contingere non debere tempore Quadrage- » simae et Adventus, neque in amplioribus anni festivitatibus.» Praeterea anno 1581. in Abulen. *(lib. 3. decret. pag. 79.)* ad dubium: « An dignitates, canonici, portionarii, cantores, aut alii » officiales possint abesse a servitio ecclesiae sine licentia Epi- » scopi? S. C. rescripsit: non requiri licentiam Episcopi, quando » dignitates, canonici, aut portionarii abesse volunt tempore ipsis » a Concilio permisso: non tamen omnes simul abesse posse, ne » ecclesia suo debito servitio destituatur. Quota autem pars simul » possit abesse, relinqui arbitrio Episcopi, et Capituli. » Die 12. Mart. 1594. in *Senen. (lib. 8. decret. pag. 86.)*, et *Vallisolet. (lib. 9. decret. pag. 74.)* « S. C.... tametsi declaraverit, nullam requiri » licentiam ad hoc, ut canonici abesse possint in mensibus a » Concilio permissis, censuit tamen, hanc declarationem non sibi » vindicare locum, quoties canonici abesse volunt extra dioece- » sim; ac proinde hoc casu Episcopi licentiam esse obtinendam. » Ceterum Episcopum non debere illam absque rationabili causa » negare.» Idem S. C. confirmavit in *Iadren.* 9. Maii 1626. *(lib. 12. decret. pag. 253.) et Castrimaris* 4. Maii 1737., in qua Emi Patres dixerunt, servandum esse decretum in dicta *Iadren.* editum.

12. Nec est praetereundum, eos, qui praebenda aucti sunt, quando feriis trimestribus utuntur, lucrifacere quidem praebendae reditus, minime vero distributiones, nisi forte hoc indultum ex constitutionibus a S. Sede, etiam ante Concilium Tridentinum confirmatis, elargitum comperiatur. Nam in *Bononien.* et alia *Pistor.* an. 1586. *(lib. 4. decret. et pag. 168. et 212.)* ab eodem Bened. XIV. *loc. cit. n. 36.* allatis ita declaratum est: « In *Sess. 24.* » *c. 12.* dicitur, quod obtinentibus dignitates, aut canonicatus » non liceat vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres » menses ab iisdem ecclesiis quolibet anno abesse. Quaeritur, an » liceat canonicis, qui haberent constitutiones Sedis Apostolicae » auctoritate factas, aut confirmatas ante Conc. Trid., quae con- » cederent illis vacationem duorum mensium, et quod interim » haberentur pro interessentibus, et lucrarentur distributiones,

» an huiusmodi constitutiones censeantur revocatae a Concilio » Trident.? S. C... respondit: abesse licere, sed non lucrari di- » stributiones quotidianas. Ad secundum: constitutiones a Sede » Apostolica confirmatas non censeri sublatas. »

13. Superius expositum est, beneficium trimestrium feriarum a Conc. Trid. impetratum locum non habere, si quando peculiares constitutiones aliter praescribunt, ita ut Fagnanus tempore suo ita testetur (*cap.* Ad audientiam a *n. 8. ad 16. de Cler. non res. et cap.* Licet *n. 48. de Praeb.*): « Canonicis maiori servitio eccle- » siae, quam novem mensium, adscriptis, postulantibus ex gratia » vacationem trium mensium S. C. meo tempore semper abnuit.» Nihilominus autem hanc severitatem subsequenti tempore temperatam fuisse colligitur ex ea ratione, quam promunt sacrorum canonum interpretes, et diserte Bened. XIV. *Quaest. can. 293.* §. *Haec procedunt* apud S. C. Conc. in *Valven. Serv. chor.* 24. Nov. 1838. §. *Nihilominus;* videlicet quod « est dura residentia » totius anni, oportetque iuxta fragilitatem humanam indulgeri » aliquid ob recreationem animi et corporis. »

14. Et sane; pro circumstantiarum causarumque varietate maius vel minus vacationum spatium S. C. C. concedere non abnuit. In *Illerden.* 3. Mart. 1792., in *Signina Serv. chor.* 17. Feb. 1838. et cit. *Valven. Serv. chor.* 24. Nov. eiusd. anni, cum trium mensium vacatio expostulata fuisset, sacer Ordo gratiam elargitus est ad duos menses tantum. Aliquando etiam diurnum chorale servitium ad tertiariam, quam vocant, reduxit, ut videlicet quilibet abesse possit, servitium chorale absolvens tertia quaque hebdomada, ut in *Bituntina* 15. Sept. 1770., in *Eugubina Serv. chor.* 13. Ian. 1795. et *Conversana Serv. chor.* 20. Decemb. 1834., ubi aliae adsimiles concessiones referuntur. Nonnunquam vero *mediariam*, seu *alternativam* idem sacer Ordo impertitus est, scilicet ut quis una hebdomada chorum adeat, alia vero non, veluti in *Lucerina Res. Serv. chor.* 22. Dec. 1838., et *Cathacen.* 5. Sept. 1699. relata in *Recanaten. Serv. chor.* 8. Iul. 1786. §. *Tantumque.* Quae profecto *Cathacen.* cum clausulas exhibeat de more his indultis adiici solitas, hic integra exscribitur, prout sequitur: « Attenta tenuitate » redituum censuit ex gratia indulgendum esse, prout benigne » indulsit praefatis capitularibus, ut toto anni tempore per me- » diarias, idest per dimidiam eorum partem alternis hebdomadis » Missae, Matutino, et omnibus Horis interesse valeant, ita ta-

» men, ut diebus Dominicis et festis de praecepto, tempore Ad-
» ventus et Quadragesimae, ac octavarum Nativitatis Domini, Pa-
» schatis Resurrectionis D. N. I. C., ac SSmi Corporis Christi ultra
» medietatem capitularium, qui non erunt de servitio, Missae et
» Vesperis inservire teneantur. »

15. Limitationes in huiusmodi clausula comprehensas adauxit persaepe S. C., veluti factum est in *Bituntina* 24. Decemb. 1770., in qua insuper Ordinario ius reservavit capitulares ad chorum cogendi temporibus, quae bene sibi viderentur; idemque praestitum in *Cosentina Serv. chor.* 23. Iun. 1838. Praeterea in praedicta *Lucerina* 22. Dec. 1838. ab indulto excepti fuere dies festi etiam reducti et festum S. Titularis; quibus proinde diebus omnes omnino ad chorum accedere adigebantur.

16. Causae vero, ex quibus S. C. huiusmodi indulta tribuit, multae esse possunt; et primo quidem « aeris intemperies (ut ha-
» betur in *Alben. Serv. chor.* 23. Mart. 1839. §. *Pensent*), humi-
» ditas, climatisque insalubritas, quae allegantur, huiusmodi
» (iustae nimirum causae) esse videntur ad exempla in *Isernien.*
» 26. Iun. 1723. in *Tarraconen.* 23. Mart. 1765... et novissime
» in *Valven. Serv. chor.* 24. Novemb. 1738. ad 2. dub. et alibi.
» Ast probe cum Episcopo (*Alben.*, cuius sententia relata fuerat)
» est advertendum, num haec aeris insalubritas ea sit, quae in
» allatis exemplis; ne scilicet facile cultus divinus detrimentum
» patiatur; quod diligenter cavendum in huius generis indultis
» ad *Text. in Cap. 12. de Constit.* §. *Verum.* »

17. Secundo loco « aequa (sic pergit eadem *Alben.*) etiam causa
» habita saepe est redituum tenuitas, ut patet per decreta in
» allegata *Isernien*... et in *Arianen.* 12. Decemb. 1698., *Tranen.*
» 22. Novemb. 1738. Ast etiam ponderandum, an ea talis sit,
» quae prae locorum et personarum qualitate decorae canonicorum
» sustentationi non satis faciat, quae plerumque ad scutata tri-
» ginta, vel quadraginta computata est, ut legitur in *Signina* 18.
» Dec. 1837. §. *Ast in his.* » Huiusmodi computatio alibi passim a S. C. adoptata est: quamvis ultimis hisce temporibus, cum pretia rerum tantopere excreverint, paucae profecto regiones eae sunt, in quibus ea summa ad vitam decenter alendam sufficiat; quam quidem animadversionem S. C. attendere, et eo, quo par est, pretio pendere certe non dedignatur. Et revera, cum alibi, tum nominatim ab ea regula S. Congregationem recessisse in

S. Hyppoliti Servit. chor. et Miss. Conv. 23. Ian. 1864. testatur *folium* in *Mutilana Absol. et Red.* 26. Nov. eiusdem anni §. *Erit.* Vide *S. Hyppoliti servit. chor.* 24. Aug. 1867., ubi quae sint festa solemniora, quae vero solemnia, docet S. C. Rit. in foliolo manuscripto.

18. Tertio loco aequa causa videtur longior a cathedrali vel collegiata distantia et viarum asperitas « quae duo incommoda » (ita *Valven. Serv. chor.* 24. Nov. 1838. §. *In causa*) pro legi- » timis causis pluries habuit haec S. C., ut canonicis servitii onus » temperaretur, sive per alternas hebdomadas, sive continuas per » aliquid temporis vacationes concedens (*Recanat. Serv. chor.* 21. » Nov. 1829.) *Conversana* 20. Decemb. 1834., *Hydruntina* 16. » Septemb. 1837. » Idem in praedicta *Valven.* §. *In causa.*

19. Quarto loco auctus psallentium numerus, ut in *Eugubina Serv. chor.* 13. Ian. 1795. *ad 1., Regien. Serv. chor.* 27. Apr. 1776., et confirm. 14. Mart. 1778. apud ipsam memoratam *Lucerinam* §. *Cum insuper,* in qua aderant viginti canonici, quibus anno 1837. accesserant decem mansionarii cura et sumptu Capituli ipsius.

20. In huiusmodi implorandis indultis canonici oratores veniam etiam nonnunquam efflagitant distributiones percipiendi tempore absentiae, quam S. C. aliquando « ex speciali gratia » concessit (ita *Alben. cit.* §. *Postremo*), ut attentis forsan distri- » butionibus tenuissimis, quae neque cum praebendis ad con- » gruam sufficiebant canonicorum sustentationem, egit in *Oriolen.* » 6. Dec. 1794., plerumque denegavit, ut in *Illerd. Absentiae et* » *distrib.* 3. Mart. 1792. ad 1. dub., *Hipporegien. Serv. chor.* 30. » Mart. 1830. ad 2. »

21. Nonnulla, quae de facultate substituendi agunt, exponenda supersunt. Statutum est in Conc. Trid. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.,* « quod omnes divina per se, et non per substitutos com- » pellantur officia obire. » Ex quo infertur, canonicos aliosque choro mancipatos alium sacerdotem vel clericum loco suo subrogare minime posse; idque profecto nemo diffitetur. Illud insuper prima specie inferendum esse videretur, eosdem subrogare non posse neque canonicum, aut alium sui ordinis etiamsi de Capituli gremio; et re ipsa aliqui rerum canonicarum interpretes idipsum olim propugnabant, veluti van-Espen *(Dissert. de Canon. p. III. tit. 6.* §. *5.)* et Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. 13. cap. 9.* §. *12.* citati a S. C. C. in *Romana Serv. chor.* 2. Iun. 1838. §. *Ex iuris.* At

vero nimiam haec interpretatio severitatem redolet, quam S. C. C. non parum temperavit; siquidem die 15. Dec. 1605. in *Eugubina (lib. 10. decret. p. 142.)* ipsa edixit: « S. C. saepius declaravit, » decreto *cap. 12.* verbo *omnes* non esse sublatam capitularibus » facultatem sese invicem substituendi, dummodo eodem tempore » substituens et substitutus eidem servitio adscripti non sint. »

22. Hanc facultatem quibusdam legibus eadem S. C. moderata est, quas ita summatim exponit Bened. XIV. *(Inst. eccl. 107. n. 17.)*, videlicet: « Primo, ne substitutus ipse ad chorum venire debeat » illis diebus, quibus in locum alterius sufficitur; secundo, ne » id frequenter contingat; tertio, ut subrogentur canonici solum, » vel mansionarii praesentes in civitate, non vero qui extra illam, » vel extra suburbia versantur. Ultimo, ne hanc facultatem al- » terius substituendi obtineant nisi canonici vel mansionarii, non » autem ipsorum coadiutores, qui nec reipsa canonici, neque man- » sionarii nuncupari possunt. »

23. Quatuor hasce leges ipse sacer Ordo confirmat pluribus declarationibus. Prima est diei 12. Dec. 1643., et 2. Dec. 1644. in *Aquilana (lib. 17. decret. pag. 205. et pag. 390.)*, ubi resolutum est, Episcopum potestatem canonicis facere posse, ut alium de gremio sufficere, et interim distributiones assequi possint, ubi addidit: « ita tamen, ut huiusmodi facultate substituendi non ab- » utantur, et canonicus substitutus sit praesens in civitate. »

Praeterea die 24. Mart. 1612. in *Alatr. (tom. 11. decret. pag. 112.)* ita constituit: « S. C. respondit ad primum, eos tan- » tum, qui in civitate, ubi est cathedralis, vel in eius suburbiis » sunt praesentes, non autem alios posse substituere. Ad secun- » dum, causam non requiri ad substituendum. Quod vero monuit » Congregatio, ut Episcopo cordi sit, ne canonici ea substituendi » facultate abutantur, eo respexit, ne substitutiones huiusmodi » sint nimium frequentes, quod Episcopi erit arbitrio. Ad quar- » tum, absentes in castro dioecesis non posse substituere. » Et die 26. Feb. 1650. in *Casertana (lib. 18. decret. pag. 19. a tergo)* « S. C. respondit, coadiutorem uti non posse privilegio alium sub- » stituendi. » Vid. Bened. XIV. *loc. cit. n. 18.*

24. Hisce addimus alias declarationes editas in *Asculana Serv. chor.* 26. Iunii 1830.: « 2. An canonici intra civitatem, eiusque » territorium degentes possint sese invicem in chorali servitio » substituere in casu? 3. An sustineatur consuetudo, ut canonici

» a territorio civitatis absentes, sed intra dioecesim commorantes » gaudeant substitutionis beneficio in casu? 4. An ex gratia sit eis- » dem concedendum substitutionis beneficium in casu? 5. An idem » beneficium sit tribuendum absentibus a dioecesi in casu? 6. An » sustineatur consuetudo, ut canonici coadiutores substitui, et sub- » stituere possint in casu? Et quatenus Negative, 7. An iisdem sit » concedendum Apostolicum indultum in casu? » Et S. C. rescripsit: « Ad 2. Affirmative, dummodo substitutiones nimium frequen- » tes non sint, neque ipse substitutus eodem die in chorum venire » debeat. Ad 3. 4. 5. et 6. Negative. Ad 7. Affirmative. » Consulatur *Spoletana Servit. chor.* 28. Febr. 1795., et *Romana Servit. chor.* 2. Iun. 1838., ubi id fuse explicatur §. *Ex iuris,* et seq.

25. Ex hisce resolutionibus planum est, quod si civitas, ubi sita est cathedralis aut collegiata, suburbium non habeat, tunc suburbii locum teneat eiusdem civitatis territorium, ita ut, qui intra territorium versatur, substituendi beneficio fruatur, secus qui extra, licet in diversis oppidis commoretur; idem definitum est in *Spoletana ad 2.,* ubi comprobatum fuit votum Episcopi sentientis, quod in civitatibus suburbio carentibus ii, qui intra territorium sunt, minime vero qui in oppidis diocceseos versantur, substituendi facultatem obtineant.

Cum vero substitutio ex iis, quae diximus, frequenter contingere non debeat, hinc non liceret canonico continuae per annum substitutionis beneficio frui, ut aliud munus exerceat ex. gr. ludimagistri. Cum enim huiusmodi casus ventilatus fuisset in *Senogallien.* 1. Ianuar. 1795., proposito dubio: « An archipresbyter » Mei ad retinendum munus ludimagistri omnibus scholae diebus » alium substituere possit in chorali servitio in casu? » S. Cong. rescripsit: « Attentis peculiaribus facti circumstantiis, affirmative » ad sexennium. » Unde a contrariis colligitur, quod regulariter huiusmodi in casibus substitutio fieri nequeat; cum praesertim allato in casu id ex gratia ad sexennium unice concessum fuisse perspicue pateat.

26. Quoniam vero canonici honorarii de gremio Capituli non esse dicuntur, hinc hi veris canonicis, dum absunt, substitui non possunt. Nam S. C. Conc. in *Montis Politiani Serv. chor.* 4. Febr. 1804. ad dubium: « An et quomodo canonici honorarii Montis Politiani » substitui possint in servitio chorali ab aliis canonicis praeben- » datis in casu? » Respondit: « Negative. »

Aliter autem se res habet de canonicis jubilatis; de hisce siquidem in *Praenestina dubior. jubil.* diei 21. Nov. 1835. quarto loco dubium proponebatur: « IV. Utrum canonici jubilati possint » choro inservientes pro aliis non jubilatis supplere adeo, ut isti » non sint punctaturae obnoxii in casu? » Emi Patres rescripserunt: « Affirmative, exceptis diebus, quibus jubilatus teneretur » per se. »

Ad hoc de substitutione argumentum quod attinet, consuli etiam potest *Synodus Fulginat. Baptistelli, Append. cap. III. §. 20. pag. 52. et sequent.*

Art. II. De distributionibus.

Summarium. 27. Distributionum usum Ivo Carnotensis in suam dioecesim invexit; ius pontificium et Synodus Tridentina eumdem ad universam Ecclesiam extenderunt. Eae constituendae sunt per separationem tertiae partis fructuum beneficiorum.. – 28. Alicubi distributiones stant loco praebendae. – 29. Hisce in casibus una et altera distributionum pars praebendae naturam assumit, tertia propriam distributionum naturam retinet ita, ut toto anno qui sunt praesentes omnem distributionum summam capiant, qui absentes tertiam tantummodo amittant. – 30. Ordinario adest in Capitulis massa communis, ex qua distributiones desumuntur. – 31. Alibi usitantur punctaturae, quae in hoc consistunt, ut, quando absit aliquis, de suo tantum amittat, persolvatque, quantum ex lege distributionum percipere debuisset. – 32. Ceterum quae normae in distributionum ratione, eaedem in punctaturis observandae sunt. – 33. Distributionum lex, non obstante contraria consuetudine, observanda est. – 34. Si pro inducendis distributionibus, ubi non sunt, difficultas offendatur, expeditius est punctaturas instituere, idque praesertim accidit, ubi praebendae separatim administrantur. – 35. Ex dispositione Concilii Tridentini et S. C. Conc. declarationibus distributiones congrue augeri debent, ubi tenues sunt. – 36. Illae autem tenues reputantur, quae verosimiliter negliguntur. In *Ariminen.* 18. Dec. 1847., cum praebenda scutata 80 redderet, S. Cong. censuit augendum non esse punctaturarum cumulum, qui toto anno summam scutatorum 16 attingebat. – 37. Ad conciliandos duos Conc. Trid. textus cap. 5. Sess. 22. et cap. 12. Sess. 24. de *Reform.*, ea recepta est interpretatio, ut distributiones ab absentibus amissae praesentibus accrescant, si ea a communi massa desumantur; fabricae vel alteri loco pio applicentur, si a particularium praebendarum reditibus exsolvantur. – 38. Si de massa communi distributiones capiant coetus tum canonicorum tum mansionariorum, S. Cong. Concilii

approbat rationem, qua individui unius coetus non participent de fallentiis coetus alterius. Circa praeteritum vero non est locus restitutioni, si secus actum fuerit. – 39. In fallentiarum repartitione ea regula servatur, ut proportionabiliter tantum percipiatur, quantum de sua praebenda detractum est. – 40. Abusus est omnino eliminandus, quo indiscriminatim participes fallentiarum fiant non solum qui horis actu adsunt, sed et ii, qui absunt. Consuetudo contraria nullius roboris habetur. – 41. Canonicatuum noviter erectorum possessores de massae communis distributionibus participare nequeunt, nisi in eam congrua summa collata fuerit. Si secus sit, debet Episcopus praefigere novello canonicatui summam determinatam pro singulis fallentiis fabricae applicandam. Huiusmodi canonici possunt nihilominus participare de extraordinariis distributionibus inter praesentes dividi solitis. – 42. Quaelibet collusio ac remissio inter chorales vetita est. Quae sit collusio, quae remissio. – 43. Punctator eligendus est, idemque olim *obedientialis* vocitabatur. – 44. Non convenit, ut punctator sit capellanus amovibilis, si de Capitulo non sit, et in choro non resideat. – 45. Neque poenitentiarius. – 46. Quolibet anno punctator nominandus; eiusque nominatio ad totum Capitulum pertinet. – 47.48. Potest Episcopus eligere contra-punctatorem praeter punctatorem a Capitulo electum. – 49. Punctator et contra-punctator iuramentum de officio fideliter adimplendo edere debent. – 50. Idque coram eo, a quo electi fuerint. – 51. S. Carolus Borromaeus iuramentum ab iisdem edi statuit etiam in Synodo dioecesana. – 52. Hactenus actum est de distributionibus ordinariis, minime vero de extraordinariis.

27. Distributiones primo invexit Ivo Carnotensis, ut choro addictos de negligentibus faceret diligentes, de tardis assiduos. Eas posthac, utpote utilissimas, recepit ius pontificium, ac subinde Synodus Tridentina universim adoptari praescripsit: ita enim *Sess. 21. cap. 3. de Reform.* legitur: « Statuit S. Synodus in ecclesiis tam ca-
» thedralibus, quam collegiatis, in quibus nullae sunt distributio-
» nes quotidianae, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, ter-
» tiam partem fructuum et quorumcumque proventuum et ob-
» ventionum... separari debere, et in distributiones quotidianas
» converti, quae inter dignitates obtinentes et ceteros divinis in-
» teressentes proportionabiliter iuxta divisionem ab Episcopo,
» etiam tamquam Sedis Apostolicae Delegato, in ipsa fructuum
» deductione dividantur. » Idem fere repetitum fuit *Sess. 24. cap. 12., et Sess. 22. cap. 3. de Reform.*

28. Ex verbis ipsius decreti quisque videt, quid distributionum nomine generatim veniat. Si tamen earumdem institutio et qua-

litas considerctur, non una eademque ratio est, quae apud Capitula obtinet. Sunt enim in primis non infrequentes ecclesiae, in quibus nulla est omnino praebenda, et distributiones in singulas horas singulorum dierum stant loco praebendae.

29. Hisce in casibus docent rerum canonicarum interpretes, duas distributionum partes praebendae naturam assumere, ita ut absentes tertiam tantum amittant; (S. C. Conc. in *Valven. Serv. chor.* 24. Novemb. 1838. §. *Ast,* ubi iidem interpretes allegantur). Cumque in eadem causa illud reipsa accideret, ut omnes canonicorum reditus e distributionibus derivarent, proposito dubio: « I. An et quomodo annuendum sit precibus canonicorum » quoad praebendae constitutionem in casu? II. An et quomodo » et ad quod tempus concedendae sint vacationes a chorali servitio? » (nullas enim habebant omnino) S. C. respondit: Ad primum » negative, et Episcopus curet reformari statutum iuxta sacros » canones ita, ut duas ex tribus partibus distributionum lucren- » tur iuxta iuris dispositionem ii, qui fructus praebendae faciunt » suos, integre vero percipiant ii, qui ex iuris fictione babentur » uti praesentes ad lucrandas etiam distributiones. Ad secundum » affirmative pro duobus mensibus cum solitis clausulis, facto » verbo cum SSmo. » Idipsum S. Congreg. iam declaverat in *Illerden. Absentiae et distrib.* 3. Mart. 1792.

30. Usitatior tamen ea ratio est, ut Capitula arcam communem habeant, quam plerumque massam vocant, et ex qua desumuntur distributiones, quae servata norma pro varietate partium officii divini et dierum solemniorum praesentibus obveniunt.

31. Ubi vero huiusmodi massa communis desideratur, idque plerumque contingit in illis Capitulis, penes quae praebendae canonicales non in communi, sed separatim singulae a singulis administrantur, eo casu distributionum loco illud statutum est, ut quantum absentes de distributionibus amitterent, tantum de suo aere persolvant, quod inter praesentes dividendum est: quae pecunia mulctatitia ab absentibus persoluta venit nomine vulgari *punctaturarum.*

32. Ceterum quae leges super distributionibus valent, eaedem super punctaturis servandae sunt, eo tantum discrimine, quod imprimis absentes praestitutam distributionem minime percipiant, in alteris pecuniae vim eidem distributioni respondentem solvere de suo teneantur. Sic ex. gr. obtinentes indultum absentiae causa

studiorum, qui absentiae tempore ad percipiendas distributiones ex disciplina sacri Ordinis non admittuntur, si loco distributionum punctaturae usitentur, toto tempore, quo absunt, in punctaturae poenam incidunt, aptatis iuris principiis, quae circa distributiones valent, prouti pluribus in locis declaravit Sac. Congregatio Concilii in *Nullius Farfen. Distr.* 20. Dec. 1738., et in *Eugubina Punctaturarum* 5. Apr. 1783., *Ilcinen., Distr. seu Punctatur.* 13. Sept. 1856., ubi S. C. iniunxit materialem tertiae partis separationem ad formam Conc. Trid., Mathelicen. Punct. 28. Aprilis 1860.

33. Ex praescripto Tridentinor. Patrum S. C. Conc. allatis decretis inhaerens « semper decrevit (ita in *Cephal. Distr.* 31. » Mart. 1770. §. *Ad tramites*), distributiones quotidianas, non » obstante contraria consuetudine, ex tertia parte fructuum cuius- » que canonicatus singulis horis canonicis ab Episcopo esse as- » signandas, quae inter praesentes et divinis officiis interessentes » tantum essent dividendae, ut in *Alexandrin.(lib.3. decret.p.22.),* » *Albanen.* 6. Dec. 1690., *Carpenct.* 21. Iul. 1731., *Nullius, Terrae* » *Pontiani* 26. Mart. 1735. »

34. Quando agitur de casu, quo in aliquam ecclesiam distributionum disciplina primum invehenda sit, si commode tertia redituum canonicalium pars in earumdem usum unice converti queat, ita nimirum facere praestabit; at si haec separatio difficultatem aliquam exhibeat, prout persaepe fit, cum praesertim quaelibet praebenda a suo rectore separatim administratur, tum (idque pro re nata S. C. C. in suis ad Episcopos literis suadere solemne habet) simplicior et expeditior erit via, si punctaturae instituantur; ita enim nec dissensionibus erit locus pro actu complendo separationis tertiae partis, nec suberit perpetuum onus in administrando cumulo partium, quae a singulis praebendis separatae fuerint. In Capitulo collegiatae Terrae Cryptarum, Faliscae dioecesis, ex peculiari statuto per Episcopum confirmato provisum est, ut punctaturae desumantur ex cumulo emolumentorum, quae cuique obveniunt ex funeribus, aliisque functionibus, quibus ex piorum disponentium voluntate inest aliqua distributio pecuniaria iuxta taxam praefixam; adest enim ibi percommoda consuetudo, ut in fine cuiusque anni huiusmodi emolumenta una solutione singulis, qui choro interfuerint, viritim rependantur. Quae tamen consuetudo non vetat, quominus, si opus sit, pro

persolvendis punctaturis ad reditus praebendae ex iuris remediis confugium habere liceat.

35. Tridentina Synodus hanc de distributionibus disciplinam institui iussit non solum in Capitulis, ubi nullae sunt distributiones, sed etiam ubi sunt ita tenues, ut verisimiliter negligantur. Itaque in *Giennen. Distrib.* (quae legitur in *Thesaur. Res. tom. 9. ad an. 1740. p. 137.*) cum distributionum tenuitas a constitutionibus praefinita canonicis ansam praeberet eas negligendi, et chorum deserendi, S. C. Conc., posthabita sanctione constitutionum capitularium, declaravit die 24. April. 1700: *Servandam esse dispositionem Concil. Trident. cap. 3 Sess. 21. de Reform.* Cum vero canonici provocassent ab hac declaratione, sacer Ordo, causa iterum proposita, iussit: « *Firmari statum specificum tam redituum, quam onerum et expensarum* », ex quo patet, S. Congregationem iuris principium in dubium non revocasse, sed tantummodo edoceri voluisse de vero ac reali praebendarum censu, ut tertiae partis separationem accuratius absque periculo erroris exsequi posset. Ceterum non constat, causam iterum propositam fuisse.

36. Regula, quam sequi oportet, ut dignosci queat, quandonam tenues e sententia legis dicendae sint distributiones, ita explicatur in folio *Ariminen. Distrib.* 18 Decemb. 1847. §. *Partium:* « Hic iam quaeri posset, quaenam regula tuto sequenda » in dignoscendo, quandonam tenues in sensu legis dicendae sint » distributiones, ut locus fiat eiusdem legis dispositioni. Hac su- » per re audiendus Barbosa *Coll. Doct. in Conc. Trid.*, qui » commentans relati capitis 3. Sess. 21. de Reform. verba: *ut vero-* » *similiter negligantur*, haec tradit *num. 4*: *Ubi autem essent* » *distributiones sufficientes ac tolerabiles, tertiam partem fructuum* » *praebendarum applicandam distributionibus detrahi non posse,* » *refert resolutum a* Piasec., Zerola, Riccio. S. autem Cong. in *Are-* » *tina* 6. Apr. 1695. *censuit, ita demum posse Episcopum tertiam* » *ex praepositurae fructibus partem in distributiones quotidianas* » *convertere vigore cap. 3. Sess. 22., si distributiones cathedralis* » *Aretinae ita tenues sint, ut verosimiliter negligantur, alioquin* » *remedio illius cap. 3. uti ipsum non posse.* » Nuperrime in dicta *Ariminen. Distr.* 18. Decembr. 1847. canonicus Perticari, licet praebenda auctus esset, cuius proventus scutata 80 attingebant, et contra alii canonici multo minori reditu potirentur, unaque

punctaturae maiori subiacerent, S. C. C. non censuit, augendam esse annuam punctaturarum summam pro canonicatu, quem ipse possidebat. Huiusmodi causam tantummodo ex. gr. attulimus; namque per id tempus admodum adaucta pretia mercium circa res vitae necessarias in causa esse queunt, ut quae antea magni momenti erant, levioris fortasse effecta fuerint.

37. Quod pertinet ad distributiones, quas amittunt absentes (ac proinde etiam ad punctaturas, seu mulctatitiam pecuniam ab iisdem absentibus persolvendam) aliqua specie tenus differentia videtur esse inter *cap. 21. Sess. 3. de Reform.*, *Sess. 24. cap. 12.*, ubi distributiones amissas a praesentibus acquiri, sive iis accrescere, et *Sess. 22. cap. 3.*, ubi fabricae ecclesiae, quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicari debere statuitur. « Quidquid vero (sic S. C. C. in *Cephaluden. Distrib.* 31. » Mart. 1770. §. *Verum*) dixerint canonistae ad conciliandum hoc » *cap. 3. Sess. 22.* cum praecedenti cap. 3. Sess. 21. recepta » modo interpretatio ac conciliatio est, decretum Sessionis 22. in- » iungens applicationem amissarum distributionum favore fabri- » cae ecclesiae vel alteri loco pio, loqui tantum de distributio- » nibus extraordinariis et impropriis, quae de reditibus particu- » laribus dignitatum, personatuum et officiorum assignandae sunt » pro implemento particularium onerum, ac officiorum eisdem » dignitatibus et personatibus vel ex fundatione, vel ab Epi- » scopo iniunctorum, non vero de quotidianis distributionibus ex » massa communi Capituli assumendis, et pro rata interessentiae » divinis officiis dividendis, de quibus iure edixerat in *Sess. 21.* » *cap. 3.* » Fagnanus vero eamdem fere regulam tradit *cap. 3. de cleric.non resid. num. 17.*, videlicet: « Ubi sunt reditus communes, » inter participantes ex illis ius habet locum accrescendi, seu non » decrescendi; ubi autem sunt separati reditus, qui amittuntur, ne- » mini accrescunt, sed ecclesiae applicantur. » Consonat. Bened. XIV. *Inst. eccles. 107. num. 41.* Itaque in *Asculana* 5. Iun. 1706. *(lib. 56. decret. pag. 170.)* propositis dubiis: « 4. An si » aliqui ex canonicis in sua hebdomada non inserviant, ita ut » duae tertiae illorum choro non intersint, alii inservientes et » interessentes lucrentur distributiones? 5. An distributiones » non interessentium possint reponi in massa communi et dividi » aequaliter, seu potius ad rationem servitii? » S. Congregatio rescripsit: « Ad 4. Affirmative. Ad 5. Negative ad primam par-

» tem, affirmative ad secundam. » Vid. *Fol. Ascul. et Cerin.* 6. Mart. 1847. §. *Ad;* congruit *Cephaluden. Distrib. 28. Apr. 1770.*

38. Quando vero canonici et mansionarii communem habent massam, et canonici de mansionariorum fallentiis participare non solent et vicissim, tunc S. C. C. huiusmodi consuetudinem approbat, calculum suae auctoritatis eidem adiiciens, ut in *Senogallien.* 23. Nov. 1803. et in *Asculan.* et in *Cerin. Distrib.* 27. Mart. 1847. proposito secundo dubio: « An et quando annuendum » sit precibus oratorum circa participationem distributionum, quae » a non inservientibus amittuntur in casu? » respondit: « Ad se- » cundum affirmative quoad individuos eiusdem coetus tantum. » Si vero praeterito tempore aliter fortasse agi solitum fuisset, non datur locus punctaturarum repetitioni, utpote quae bona fide consumptae reputentur; (S. C. in dicta *Ascul. et Cerin.*, cuius folium prostat 6. Mart. eiusdem anni, §. *Ad tertium*); cui doctrinae S. C. cum alias, tum in ipsa hac causa adhaesit, ut videre est ad responsum in tertio dubio redditum.

39. In repartitione fallentiarum ea regula a S. C. firmata est, ut « unusquisque percipere debeat tantum de distributionibus » quotidianis, quantum de sua praebenda detractum fuit. » Namque Pignatellus declaratum id fuisse tradit a S. C. Conc. (Vide *Ariminen. Distrib. 18. Dec. 1847.* §. *Quod si*). Eamdem regulam explicat Barbosa *De can. et dignit. cap. 21. num. 25.* allegatus a S. C. *loc. cit.* §. *Sed prae;* et ipsa S. C. in eadem causa haud aliter sensit; nam ad primum dubium rescripsit, canonicum Perticari solvere debere distributiones quotidianas in summa scutatorum 16. 66, ut modo dictum est, « ita tamen ut..... in eadem » proportione percipiat de aliorum canonicorum distributionibus.»

40. Quoniam distributiones, quas absentes amittunt, aut punctaturae, quae ab iisdem solvuntur, actu interessentibus obveniunt, ac percipiuntur tamquam praemium laboris, ut tradunt doctores penes S. C. Conc. in *Ascul. et Cerin. Distrib.* 6. Mart. 1847. §. *Hisce;* hinc est, quod S. C. constanti disciplina retineat, esse abusum omnino eliminandum, ut eaedem indiscriminatim inter chorales, sive actu adsint in choro, sive non, dispertiantur, ut in *Carpenctoraten.* 2. Iun. 1731. per Summ. prec. (*lib. 18. decret. p. 269.*) necnon in *Asculana* 5. Iun. 1706. ad dub. V. (lib. 56. decret. p. 170). Qua quidem in re licet consuetudo adversa invaluerit, et constitutio capitularis accesserit, utpote a

praescriptione Conc. Trid. utraque abhorrens, nullatenus est attendenda, quin imo radicitus evellenda, prout nuperrime confirmatum est in *Aesina Fallent.* 22. Dec. 1860. per Summ. prec., et item per literas datas mense Martio anni subsequentis ad Emum Episcopum Aesinum super statu eiusdem dioecesis; necnon et in *Ianuen. Serv. chor.* die 8. Aug. 1863., in qua tertio loco proposito dubio: « An et quomodo sit sustinenda consuetudo » dividens fallentias inter diligentes et negligentes in casu? » S. C. rescripsit: « Negative in omnibus et Archiepiscopus curet, ut fallentiarum divisio in posterum fiat ad tramites iuris et resolutio- » num S. C.» Cfr. *Montisfalisci* Fall. 16. Iunii 1866., *Barchionen. Distr.* 14. Maji 1859. per Summ. precum conceditur licentia percipiendi distributiones tempore vacationum; negatur in *Tranen. Vac. a Chor.* 20. Dec. 1852.

41. Iure canonico prohibetur, canonicos noviter erectos massae capitularis distributiones lucrifacere, nisi saltem eorum fundatores aequam portionem in massam ipsam distributionum contulerint. *Scarfant. ad Cecc. lib. 7. tit. 14.*, necnon S. C. C. in *Fabr. Iur. et Em.* 8. Aug. 1829. §. *At vero*, et rescripsit in *Imolen. Distrib.* 8 Maii 1773. ad 1. dub., in qua edixit, archipresbyterum et archidiaconum *participare debere iuxta ratam, quam conferunt.* Quod si Episcopus canonicum novae erectionis Tridentinae sanctioni de amittendis distributionibus obnoxium esse velit, utique potest, ceu resolvit S. Congr. in *Pisana Residen.* 2. Iun. 1838., in qua canonicus Lanfranchi declaratus fuit residentiae obnoxius ad tramites iuris, servata consuetudine ad chorum diebus solemnioribus conveniendi, « taxata ab Ordinario summa pro singulis fallen- » tiis favore fabricae ecclesiae applicandis. » Et pressius in *Ferrarien. Thesaur.* 4. Febr. 1843. *ad 5. Dub.*, in quo S. C. edixit, thesaurarium, qui nihil in communem massam eo tempore, quo praebenda erecta fuit, contulisse dicebatur, lucrari non posse distributiones quotidianas, atque adeo ab archipresbytero congruam summam esse taxandam pro singulis fallentiis favore ecclesiae fabricae applicandis. Quoniam vero consuetudine invectum fuerat, ut idem thesaurarius distributiones inter praesentes ex anniversariis, funeribus et similibus profectas perciperet, eadem S. C. ad *dub. 5.* declaravit, eas iuxta consuetudinem eumdem posse percipere.

42. Conc. Trid. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.* diserte dicit: « Distributiones vero, qui statis horis interfuerint, recipiant; re-

» liqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant ». « Collusio evenit (verba sunt Bened. XIV. *Inst. eccl. 107. n. 42.*), » quando choro addicti invicem conveniunt de non notandis ab- » sentiis, quamvis absentes revera fuerint. Remissio tunc habetur, » cum pars una sponte ac sine ulla conventione distributiones » quotidianas alteri parti remittit ac relinquit. Utrumque sacrum » Concilium gravissime improbat atque interdicit. » Hinc S. C. Conc. apud eumdem Pontificem *loc. cit. anno 1624. (lib. 12. decret. pag. 149.)* « censuit, canonicum, ut proponitur, absentem punctari » debere, nec licere canonicis eadem puncta, seu distributiones » quotidianas remittere aut condonare, cum eiusmodi collusiones » aut remissiones prorsus sustulerit eiusdem Concilii decretum ». Et die 14. Decemb. eiusdem anni (*lib. 12. decret. pag. 235.)* quaesitum fuit: « An Episcopus seu Capitulum possit condonare distributiones quotidianas canonicis, quibus alias non debentur? » S. C. C. censuit: « Non posse ».

43. Ut autem saluberrima isthaec disciplina de distributionibus, seu punctaturis exsecutioni facilius ac fidelius demandari posset, S. Carolus Borromaeus officialem eligi praecepit, nomine punctatorem, cuius munus esse debeat notandi omnes, qui a choro contra suum officium abfuerint. Animadvertit Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. IV. cap. 4. n. 2.* huiusmodi officialem antiquitus nominatum fuisse *obedientialem*, quasi ex mera obedientia munus invisum obiret, quod situm est in aliena negligentia notanda.

Hoc exemplum communiter Capitula in suis constitutionibus recipere et imitari consuescunt. Huius porro officium gravissimum esse docet Bened. XIV. *Inst. 107. n. 43.*, et S. Carolus Borromaeus ab ipso ibidem allegatus praescribebat, ut punctator, « si » aliquem iniuria notarit, de suo ei satisfaciet; si vero notandum » praetermiserit, de suo idem tantumdem det, quod in eccle- » siae usum convertatur, et integras unius hebdomadae distri- » butiones amittat. »

44. Punctatorem non convenit esse capellanum amovibilem ad nutum Capituli, quando de Capitulo non sit, et in choro minime resideat; ita S. C. Rit. die 10. Sept. 1701. in *Corton.* proposito 17. dubio: « An punctator chori possit esse capellanus » amovibilis ad nutum Capituli? » respondit: « punctatores esse convenit de gremio Capituli cathedralis et residentes in choro ».

45. Poenitentiarius non potest eligi in punctatorem, nam disputato dubio penes S. C. Conc. in causa, cui titulus *Dubia Poeniten.* 3. Oct. 1671. (apud Zamboni verbo *Capitulum* §. *6. num. 1. vol. 2. pag. 370.* et legitur apud S. C. Conc. in fol. *Pisauren. Camer.* 21. Nov. 1761. §. *Propterea*): « An ipse Poeni-» tentiarius onus habeat assumendi administrationem, seu oeco-» nomiam bonorum et rerum capitularium, ut ceteri canonici, « et an etiam officium punctatoris in choro? » negativum responsum datum fuit. Ratio est, quia, cum confessiones in apposita sede teneatur excipere horis opportunis, et quoties poenitentes confessionis tribunali sese sistunt, operam dare nequit iis explorandis, qui ad chorum accedant, qui non: et item a quo tempore, vel quando se praesentes in choro exhibeant.

46. Punctatores quolibet anno sunt a Capitulo cathedralium et collegiatarum eligendi, minime vero haec electio ab archidiacono, aut ab aliis privative est exercenda. *Conversana Punctator.* 4. Dec. 1706. *dub. 1.* apud Zamboni *loc. cit. n. 6.*

47. Si Episcopus contra-punctatorem eligere velit, S. Cong. Conc. factum Episcopi non improbat; nam in *Alben. Rit. et Reg. Eccl.* 19. Sept. 1710. proposito 24. dubio: « An Episcopus possit » deputare contra-punctatorem? » S. C. rescripsit: « Affirmative ».

48. In *Salernitana Edict.* 27. Sept. 1732. proposito 16. dubio: « An electio punctatoris facta per Archiepiscopum, praeter alium » a Capitulo electum, sustineatur? respondit eadem S. C. Conc.: » Affirmative, et scribatur Archiepiscopo, ut omnes punctaturas » reddat conformes dispositioni S. Concil. Trident. » Quin imo duplicis punctatoris electio consona est dispositioni Synodi Mediolanensis a S. Carolo celebratae (*Tit. de punctat. off. Par. I. Act. Ecc. Mediol. pag. 29.*), ubi statuitur, ut eorum unus e Capitulo, alter ab Episcopo creetur. Vide Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. 4. cap. 4. num. 3.*

49. Bened. XIV. l. c. (ex Conc. prov. Mediol. IV. *Act. Ecc. Mediol. Part. I. p. 160.*) tradit, S. Carolum voluisse, ut huiusmodi punctatores iuramentum quoque praestarent, cuius formulam conceptis verbis exscribit. Id enim pluries a S. C. Conc. declaratum est. Namque Summus ille Pontifex *loc. cit.* sic pergit: « Atque » universim loquendo electos in punctatores, priusquam officium » assumant, esse iureiurando obstringendos ad illud fideliter ob-» eundum, edixit S. C. Conc. in *Maceraten. VV. SS. LL.* 26.

» Apr. 1664. ad 6. dub. *(lib. 24. decret. pag. 130.)* et in *Cur-*
» *zulen. Iurisdict. (lib. 26. decret. pag. 328).*

50. » Cumque postea (ita pergit Bened. XIV. l. c.) dubitatum fu-
» isset, coram quo praedictum iuramentum praestandum esset, S.
» C. praestandum censuit coram illo, a quo punctator esset electus.
» In causa enim *Senen. Offic. 13. Iulii 1686.* proposito sequenti
» dubio: *An qui punctatoris munere fungi debet, teneatur et cogi*
» *possit ad praestandum iuramentum in manibus Archiepiscopi et*
» *Capituli, vel saltem alterutro modo de fideliter exercendo dictum*
» *munus?* S. C. respondit: *Punctatorem teneri iurare coram de-*
» *putante.* » Eamdem declarationem S. Cong. novissime protulit in simili casu, nempe in *Bertinorien. Praeb.* die 22. Nov. 1828. ad 2. dub.

51. De S. Carolo Borromaeo refert memoratus Pontifex *loc. cit. num. 4.*, illud insuper ab eodem statutum fuisse, ut punctatores iuramentum in prima Synodo dioecesana renovarent, ceu patet ex ipsius S. Caroli dispositione, quam suis verbis ibidem affert Bened. XIV.

52. Distributiones, de quibus hactenus disseruimus, *ordinariae* dicuntur; sed et aliae sunt, quae appellantur *extraordinariae*, atque etiam *eventuales*, seu *incertae*, quae dividuntur inter praesentes, et distinctae sunt a communi massa ac praebenda, adeoque praesentibus praestari solent sive ex peculiari statuto aut consuetudine cuiuslibet ecclesiae, sive ex expressa benefactorum voluntate, veluti colligitur ex causa, cui titulus *Dubia indultorum* 6. Mart. 1820. §. *Iudulta.* De hac causa paulo post sermo redibit, imo totam in huius operis volumine III. exhibebimus sub num. 24.

Art. III. De absentibus, qui distributiones lucrantur vel non.

Summarium. 53. Ex iure communi et Conc. Trid. sanctione distributiones percipiunt ii, qui absunt ob infirmitatem, ob iustam et rationabilem corporis necessitatem et ob evidentem ecclesiae necessitatem. Si aegritudo ex iure civili infirmum ab officio excusat, multo magis ex iure canonico. – 54. Itaque infirmi distributiones lucrantur ordinarias perinde ac actu adessent, itemque augmenta profecta ex illegitime absentium fallentiis, quin obsit statutum, quod veluti irrationabile censendum est; quin imo percipiunt etiam distributiones extraordinarias, nisi obstet dispositio donatorum, statutum et consuetudo, prouti in *Aquilana*, quae

refertur n. 59. et 60. – 55. At constare debet de impedimento ab aegritudine dimanante, de servitio tempore sanitatis laudabiliter praestito, de qualitate aegritudinis, quae talis non sit, ut diu urbem circumire, et noctu coetus adire permittat. – 56. Itaque iurata accedat medici fides.

57. Sufficit tamen morbus, qui licet per se levis, gravior ob accessum ad chorum evadat. – 58. Nec officit, si aeger aliquantisper sanitatis causa a domo exeat, vel ex medicorum praescripto ad balnea vel aerem commutandum alio se transferat. – 59. Quae hactenus dicta sunt confirmantur ex declaratione in *Nucerina Serv. chor.* 17. Febr. 1838., *et Aquilana,* 16. Iun. 1745. – 60. Quae antecedenti numero posita sunt, minime pugnant cum iis, quae numero 54. praemissa fuerunt. – 61. S. C. Concilii in *Avenionen.* resolvit, medici attestationes esse debere iuratas, et recipiendas esse a Capitulo, licet habitualiter et periodice exhibitas: licere verumtamen Capitulo visitare infirmum, et, si de vera infirmitate dubitetur, Archiepiscopum uti posse iure suo. – 62. Caecus inter infirmos accensendus est. – 63. Distributiones percipiendi iure is potitur ex die contractae caecitatis; adeoque distributiones eatenus forte negatae, sunt restituendae. – 64. Aliter dicendum est de caecutiente, nisi ob peculiares circumstantias cum eo indulgentiam adhibuerit Apostolica Sedes. – 65. Tempore pestis absenti debentur distributiones, si idem diligenter servire solitus fuerit, et si probetur legitima consuetudo. Episcopi iudicio remissum est, quando pestis iustam absentiae causam suppeditet. – 66. Iustam causam praebet inimicitia contracta ob principis indignationem, et quamlibet iniustam molestiam, si ceteroquin absens diligenter inservire solitus fuerit. – 67. Idem dicendum est de iis, qui obsecuti Pontificis prohibitioni de precibus non recitandis, vel non edendo iuramento iussu principis saecularis e loco abire coacti fuerint. – 68. Distributiones percipiunt, qui indebite carcere detinentur, dummodo diligenter inservire soliti fuerint; iniustam detentionem comprobat sententia, quae in rem iudicatam transiverit. – 69. Sententia propitia censetur, qua quis absolvitur cum clausula *ex hactenus deductis non constare.* Aliter est, si quis dimittatur cum clausula *ex quo satis.* De clausula *non molestetur.* – 70. Cum in S. C. Episc. et Regul. quidam sacerdos de homicidio accusatus prima sententia dimissus fuisset cum praecepto *de se repraesentando, vel novis supervenientibus indiciis,* eadem S. Congr. ei distributiones non deberi declaravit. – 71. Cum tamen altera sententia edictum fuisset, locum non esse resumendae novae inquisitioni, nisi cum nova indicia et nova deducta supervenissent, eadem S. Congr. declaravit, a die huiusce sententiae distributiones deberi, iis exceptis, quae praesentibus debentur. – 72. Duo textus *Cap. un. Consuetudinem de non res. in 6.* et *Cap. Cum non deceat, de Elect. in 6.* ita conciliantur, ut absenti propter utilitatem ecclesiae debeantur distributiones iuxta primum,

si adsit consuetudo: minime vero deberi iuxta alterum, si consuetudo desit. – 73. In hoc attenditur utilitas ecclesiae particularis, minime vero universalis. – 74. Utilitas huiusmodi adesse censetur, cum quis abest pro agendis universi Capituli vel ecclesiae negotiis. Nec pro absentia huiusmodi requiritur Episcopi facultas. Huic tamen ius est examinare, an causa negotiorum vere subsit, et prohibere, ne collusioni ac remissioni locus fiat. – 75. Ut quis abesse possit pro negotio suae praebendae particularis, requiritur licentia Episcopi. – 76. Aliquando nequaquam distributiones deberi declaratum est. – 77. Theologo et poenitentiario ob officium suum absentibus distributiones debentur. – 78. Item canonico parocho, cui cura immineat adnexa ecclesiae, idque pro tempore, quo curae operam navat. Canonicus, cui adnexa est cura extra civitatem in dioecesi, ius habet ad fructus canonicales, non autem ad distributiones: utraeque debentur canonico intra cathedralem curam animarum adnexam habenti pro horis, quibus actu munera parochialia exercet, onerata ceteroquin eiusdem conscientia. – 79. Quando cura habitualis penes Capitulum residet, et actualis penes unum de gremio, quamvis amovibilem ad nutum, distributiones pro horis, ut supra, debentur. Quando autem actualis exerceri potest ab uno extra gremium, soluta congrua mercede, aliter dicendum est, quamvis forte per accidens, eadem soluta pensione, uni de gremio cura actualis concredita fuerit. – 80. Si extra cathedralem neque habitu, neque actu Capitulo cura insidet, neque fructus, neque distributiones canonicus vel beneficiarius eam exercens percipere poterit. – 81. Licet Episcopo duos, non plures ex Capitulo cathedrali vel collegiatarum dioeceseos in suum servitium assumere, qui interim praebendae fructus suos faciunt. – 82. Ad hunc tamen effectum nefas eidem est, assumere canonicos parochos vel canonicos coadiutores. – 83. Canonici Episcopi servitio adscripti distributiones minime percipiunt. Capitula etiam passivam exemptionem habentia impedire nequeunt, quin duos de suo gremio adsciscat Episcopus in suum servitium. – 84. Distributiones lucratur canonicus ad visitanda SS. AA. LL. ab Episcopo uti Procurator missus; aliter est de canonico in sacra dioeceseos visitatione Episcopum comitante. – 85. Episcopo celebranti vel Pontificalia obeunti in cathedrali canonicos omnes assistere et inservire teneri edixit Conc. Trid., et S. C. Conc., salvis tamen legitimis vacationibus. – 86. Idque non solum in munere diaconi sed et subdiaconi: qui ministri eidem inservire tenentur etiam in urbis et suburbii ecclesiis. – 87. Item assistere debent, si Episcopus cum cappa Missae ac divinis officiis intersit, vel paratus assistat cum pluviali, mitra aut cappa divinis officiis et Missae solemni in ecclesiis civitatis sibi subiectis, dummodo in cathedrali sufficiens chorali servitio numerus remaneat. Item si Episcopus cathedrali concioni assistat post conventualem habitae in Quadragesima vel alio tem-

pore. At nec omnes canonici, nec saltem duo tenentur assistere, si Episcopus cum cappa concioni interveniat extra cathedralem in quibuslibet civitatis ecclesiis. – 88. Canonici, dum Episcopus Missam privatam celebrat, aut dioecesim visitat, eidem inservientes distributiones ordinarias non lucrantur. Lucrantur autem canonici, qui Episcopo, dum celebrat pontificaliter in cathedrali, inserviunt. – 89. Qui canonici Episcopo pontificaliter in suo palatio, vel civitatis ecclesiis celebranti assistunt, non lucrantur distributiones extraordinarias. – 90. Canonici cura animarum gravati Episcopo assistere compelli possunt, dummodo nullum detrimentum animarum cura patiatur. – 91. Distributiones non amittunt canonici spiritualibus exercitiis intenti, dummodo Episcopi licentia non desit, in Quadragesima, Adventu et diebus solemnioribus non incidant, et omnes uno tempore eisdem non vacent. – 92. Coadiutus distributiones lucratur, etiamsi extra dioecesim cum licentia commoretur tum ipse, tum coadiutor. Lucra ex fallentiis capit coadiutus, non coadiutor. Si coadiutor infirmus in civitate vel extra degit, coadiutus choro inservire non tenetur. Etiamsi infirmitas nullam valetudinis recuperandi spem suppeditet. Iuxta declarationem in *Romana Emol.* 22. Febr. 1862. coadiutor tenetur reficere coadiuto distributiones et emolumenta ex anniversariis aliisque provenientia, quae coadiutor ob suam negligentiam amittit. In fallentiis a coadiutore coadiuto reficiendis detractio iuxta dictam declarationem fieri solebat ad rationem quotae lucri, quam super fallentiis coadiutoris idem coadiutus recipit in generali fallentiarum divisione. At S. C. generalem huiusmodi divisionem non probavit, adeoque iussit, ut fallentiarum divisio inter eos, qui actu sunt praesentes, in posterum fieret. – 93. Distributiones lucrantur canonici iubilati. Circa hoc argumentum consulendum est fol. in *Lucana exemptionis et Emol.* 30. Iunii 1858. – 94. Canonicus Vicarii Generalis munus exercens a choro absens fructus canonicales, non vero distributiones percipit. Item canonici examinatores synodales, si tempore choralium officiorum examini adstent. Item canonici tribunali S. Officii inservientes; item canonici visitantes ecclesiam Lauretanam et Angelorum de Assisio, aliaque pia opera exercentes, si intra tres menses eam peregrinationem impleant. Item magistri ceremoniarum. Item praefecti sacris exercitiis. Item universitati inservientes. – 95. Canonici et beneficiati organa pulsantes, vel musice canentes distributiones percipiunt, si nullum ad hoc stipendium habent; si habent, easdem amittunt, et possunt cogi aliis poenis, ut choro una cum ceteris intersint. – 96. Canonici insigniti aliqua honorificentia, quae habitum proprium habet, si, canonicali habitu seposito, habitu eidem honorificentiae proprio in choro adsistunt, uti absentes habentur, ac distributiones deperdunt. – 97. Aliter accidit, si canonici in choro adsint bireto doctorali cum quatuor apicibus cooperti, quamquam hoc ipsum licitum

nequaquam sit. – 98. Si non intercedente ordinaria canonica causa, aequa extra ordinem causa adsit, cur a choro abesse, et interim distributiones non amitti suadeat, adest S. C. Conc., quae opportuna impertitur indulta in casibus peculiaribus. De huiusmodi peculiaribus indultis actum est in *Romana Indultorum* 6. Maii 1820. – 99. In *Tranen. Distrib.* 20. Decemb. 1862. complura dubia, quae materiam hactenus expositam continent, enucleatim declarantur.

53. Bonifacius VIII. *Cap.* Consuetudinem *de cler. non resid. in 6.*, postquam generatim constituit, distributionibus carere absentes, haec statim adiungit: « Exceptis illis, quos infirmitas, seu » iusta et rationabilis et corporalis necessitas, aut evidens ec- » clesiae utilitas excusaret.» Huiusmodi dispositionem confirmavit disertis verbis Tridentina Synodus *cap. 12. Sess. 24. de Reform.* Hoc posito veluti fundamento, statuimus, aliud genus esse eorum, qui, licet absint a choro, distributionum participes fiunt, aliud eorum, qui contra iacturam patiuntur, quoties sui copiam in choro non faciunt. Hi in generali Bonifacianae sanctionis regula, illi vero in eiusdem regulae exceptione versantur. Sed enimvero praeter eos, qui distributiones lucrantur ex censura huius capitis, vel non, alii praeterea recensentur, qui eidem iuris dispositioni obnoxii sunt. Itaque primo loco de primis, postea de alteris gradatim eloquemur.

In hoc primo genere eorum, de quibus agit memoratum Caput *Consuetudinem*, ante omnia constituuntur aegroti, de quibus iuvat exscribere ea, quae habet S. C. Conc. in folio *Nucerin. Serv. chor. et distr.* 17. Febr. 1838. §. *Iamvero:* « Inter causas, ob quas qui- » libet quovis munere chorali servitio mancipatus, vel canonicus, » vel beneficiarius a choro adeundo legitime queat excusari, aegri- » tudinem corporis esse recensendam, docent sacri canones, adeo » ut, qui ea detentus chorum non adierit, veluti praesens haben- » dus, atque integra fructuum perceptione frui aequo iure debeat » *(Cap. Communiter 33. dist... Cap. Significavit 11. de praeb.).* » Et sane si vel iure civili infirmitas ab officio et munere semper » excusat *(L. 2. §§. Si quis in iud. ff. Si quis cautum. L. 60.* » *Quaesitum ff. de re iud.)*, eo magis excusabit iure canonico, » quod ab Ecclesia procedit, quae viscera pientissimae matris in- » duit, filiorumque suorum calamitatibus blande consolari omni » ope semper studuit. »

54. « Hinc saniores sacrorum canonum interpretes omnes id » unum sensere, clericos sive canonicos infirmos ita choro legitime » abesse posse, quo tempore infirmitate vexantur, ut omnibus » emolumentis potiri debeant, quibus ii fruuntur, qui chorale ser- » vitium actu obeunt: ideoque non fructus annuos seu grossos » tantummodo, sed et quotidianos et quotidianas distributiones » percipere, veluti ac si praesentes se choro exhiberent. (Barbosa, » Garcia, Gonzales, Moneta... ac demum Bened. XIV. *Inst. eccl. 107.* » *n. 46. et seq.*); quin imo, testante hoc Pontifice, qui ob infirmi- » tatem absunt a servitio chori, non modo percipere debere quo- » tidianas distributiones sui canonicatus, perinde ac si statis horis » interessent, verum etiam augmentum distributionum, quas amit- » tunt illi, qui divinis non interfuerunt, sanxit sacra haec Congre- » gatio in *Viterbien.* 26. Aug. 1621., *Acernen.* 14. Mart. 1739., » *Aquilana Indulti* 16. Iun. 1745., *Tranen. Distr.* 12. Sept. 1750., » *Cremonen. Indul.* 12. Iul. 1760. aliisque quamplurimis; atque » hanc sane regulam servari voluit etiam, si in aliquo Capitulo » statutum vigeret distributiones quotidianas infirmis canonicis » absentibus non elargiendi, statutum idem veluti irrationabile, » Ecclesiaeque bono contrarium penitus abrogans. (Fagnan. *Cap.* » Cetero *de cler. non res. n. 138.*) » Notandum vero, quod huius- modi doctrina limitationem patiatur iuxta ea, quae paulo post *n. 59. et 60.* enucleabimus.

55. « Verum ut quilibet sive beneficiarius, sive canonicus in- » firmus hoc speciali munere perfruatur, duo praerequiruntur, » ut primo de eius aegritudine, deque impedimento ex ea dima- » nante legitime constet. Secundo ut pateat, eumdem, cum sanus » esset, choro se praestitisse: non enim omnis aegritudo excusat, » nec omnis semper, nam si quis, cum *sanitate valebat, interesse* » *negligebat, tunc, etsi gravetur aegritudine, distributiones non* » *obtinet.* Nec ita frequenter existimari oportet, tamquam in *choro* » *praesentem, qui se aegrotum fatetur, sed urbem circumire potest,* » neque veluti praesens haberi debet, qui morbi specie domum » suam diurna luce non deserit, nocturno vero tempore frequentes » coetus adire non metuit. » (Bened. XIV. *loc. cit.* §. *47.*).

56. « Primum ab probatae fidei medicorum iuratis testimoniis » potissimum eruendum est. (Antonel. *de distr. quot. n. 123.* et alii, » quos supra citavimus, tum sacer Ordo in *Reatina* 6. Mart. 1667. » *Aquilana Indulti* 26. Iun. 1745.).

57. » Sufficit autem, ut probetur morbus, qui etsi de se levis » sit, potest tamen per accessum ad chorum fieri gravior (Garcia » *de Ben. 3. p. II. n. 363.*, Antonel. *ibidem*). Hinc S. Congr. facul- » tatem faciebat Antonio Guiducci, cathedralis Eugubinae cano- » nico, abessendi a choro ad Vesperas et Completorium, eo quod » asthmatico morbo laboraret: qui cum iis vertentibus horis diurnis » magis eum affligeret, gravior accedenti ad chorum incidisset » (*Eugubina Servit. chor.* 23. Aug. 1738.). Quid plura? etiam pru- » denti existenti timore superventurae infirmitatis quemlibet choro » legitime excusandum consentiunt Barbosa, Pignatellus... alii- » que, et S. haec Congregatio firmat in *Casertana Indul. abess.* » 16. Dec. 1797.

58. » Demum nec eius indolis debet esse morbus, adeo ut ex- » cuset legitime, ob quem quis domi perpetuo morari debeat, » aut nequeat alio se conferre, vel ut valetudini consulat, vel ut » inclementiam aeris suae valetudini adversam de medicorum » iudicio effugiat. (Moneta de *Distr. p. II. c. 296. n. 10.*)... Hinc » si sanitatis causa ad balnea, vel alium locum se transferat ae- » grotus canonicus aut quilibet clericus chorali onere mancipatus, » erit haud secus legitime excusandus (Barbos. *loc. cit. n. 60.*), » atque, ut rem undecumque cum Bened. XIV. concludamus *(l. c.* » *n. 47.)* inquiunt Passerini et Panimolle, posse dari casum, quod » infirmitas sinat canonicos aliquantisper domo causa sanitatis » exire, et non faciat (facultatem) choro se praesentes exhibendi.»

59. Quae hactenus allata sunt, confirmavit Sacer Ordo in eadem *Nucerina*, in qua agebatur de canonico Antisari a multis annis habitualiter hepatico morbo *(di fegato)* laborante, qui morbus e iurata medicorum fide, licet a domo exire et ab urbe discedere aliquando illi permitteret, nihilominus continuo ad chorum accedere absque valetudinis detrimento plane vetabat. Itaque propositis tribus subsequentibus dubiis: « 1. An et quando cano- » nico Antisari concedendum sit indultum choralis servitii omit- » tendi, durante infirmitate in casu? » et quatenus affirmative, « 2. An debeatur ei restitutio distributionum non perceptarum ab » iis, qui eas sibi vindicaverunt in casu? 3. An dealbandae sint » e libro capitulari punctaturae adversus oratorem inscriptae in » casu? » S. C. C. die 17. Febr. 1838. rescripsit: « Affirmative » ad 1., exceptis solemnioribus festis, et iis, quibus assistentia » tantum etiam absque cantu praebetur, amissis distributionibus

» inter praesentes, onerata strictissime oratoris conscientia super » omnibus. Ad 2. ac 3. in casu, de quo agitur non expedire. » Porro aderant in Capitulo Nucerino quaedam distributiones extraordinariae, quae ex voluntate testatorum praesentibus tantummodo rependi solebant, quas proinde S. C. noluit ab Antisario percipi. Id autem consonum est aliis declarationibus a S. C. editis, praesertim in *Aquilana Indult.* 26. Iun. 1745., in qua canonico infirmo edixit: « Deberi omnia emolumenta, exceptis iis, quae » sive ex dispositionibus testatorum, sive ex statuto et consue- » tudine ecclesiae debentur tantum actu inservientibus et amplius. »

60. Neque vero eaedem resolutiones in *Nucerina* et *Aquilana* de amittendis distributionibus inter praesentes (quatenus augmentum comprehendunt, quod obvenit ex non interessentium fallentiis) pugnant cum iis, quae de iure easdem percipiendi *n. 54.* modo posuimus; ibi enim regula generalis indicatur, quae exceptionem patitur, quando obstat testatorum voluntas, aut statutum, vel consuetudo. Et bene distinxit S. C. apud Bened. XIV. *Instit. eccl. 107. n. 46.*, ubi tametsi ab infirmo distributiones lucrari declarasset, eodem tempore idipsum negavit, quando adsit consuetudo contraria: « si consuetudo sit legitime praescripta ».

61. In hac re prae oculis habendae sunt declarationes a S. C. C. editae in *Avenionen. Servit. chor.* 20. Ian. 1787., in qua haec dubia proponebantur. « 1. An et quomodo sustineatur resolutio capitu- » laris ab Archiepiscopo confirmata, in qua iubetur, ne in posterum » attestationes recipiantur ad eos excusandos ab horis matutinis, » qui soliti non sunt interesse? 2. An et quomodo sustineatur » eadem resolutio pariter confirmata, in qua cautum est, ne binae » attestationes consecutivae favore unius eiusdemque personae re- » cipiantur, nisi infirmitas satis sit, quae a Missae celebratione » detineat? 3. An et quomodo sustineatur eadem resolutio pari » modo confirmata, in qua cautum est, ne attestationes recipian- » tur, quae habitualiter ac periodice exhibentur, nisi infirmitas » sit probe cognita et declarata? 4. An et quomodo sustineatur » eadem resolutio, ut supra confirmata, in qua cautum est, ne » attestationes recipiantur pro exemptione ab omnibus officiis, » nisi infirmitas talis sit, quae a celebratione Missae detineat in » casu? » S. C. rescripsit: « Ad primum: Affirmative in omnibus. » Ad 2. 3. et 4.: Negative et amplius, et ad mentem; et mens » est, attestationes a medicis esse cum iuramento subscribendas,

» et recipiendas a Capitulo, etiamsi periodice et habitualiter ex-
» hibeantur; in potestate tamen esse eiusdem Capituli per ali-
» quem canonicum visitare infirmum, et quatenus dubium exti-
» terit, Archiepiscopus utatur iure suo. »

62. Caecum inter aegrotantes recensendum esse, non est dubium. Nam ipsi (ita Bened. XIV. *Instit. eccl. 107. n. 48.*) plura S. Congregationis decreta suffragantur, quae declarant: « Non te-
» neri horis canonicis, nec in choro eam partem officii, quam
» memoriter tenet, recitare, et nihilominus lucrari distributiones
» quotidianas, ac si interesset. »

63. Idem Bened. XIV. *loc. cit.* insuper aliis eiusdem S. C. decretis innixus docet, distributiones eidem deberi a die, quo lumine caruit; adeoque esse eidem restituendas, si forte iis privatus abiisset. Itidem eumdem caecum immunem esse a celebratione Missarum, quibus canonici gravantur, neque alium suo loco, cum sit legitime impeditus, substituere teneri, tradit ille Pontifex ex auctoritate S. Congregationis in *Mercatelli* 7. Iun. 1597. *(lib. 25. decret. pag. 189. et lib. 40. pag. 414.)*, ubi decreta alias edita danda esse Sacer Ordo respondit.

64. De canonico prorsus ac plene caeco haec in plano et aperto sunt: non item vero de caecutiente, quando videlicet *ob visus debilitatem non valeat legere in libro, et soleat per vias ambulare*, ut verbis usa Sarcafantonii S. C. animadvertit in *Spoletana Exempt. a choro* 5. Dec. 1846. §. *Et primum.* Tunc enim caecutiens tenetur adire chorum, et ibi recitare, quae scit memoriter; eoque magis, quod ipse copiam suae praesentiae in choro faciens, chorum illustrat, cohonestat et autorizat, veluti ibidem cum Garcia perpenditur. Si nihilominus peculiares circumstantiae concurrant, quae indulgentiam suadere videantur, S. C. etiam caecutientem a choro eximit, prout re ipsa praestitit in memorata *Spoletana.*

65. Pestilentia aliquo in loco misere desaeviens legitimum impedimentum constituit ex corporali necessitate proficiscens, propter quod beneficiati ad chorum accedere excusantur, quin idcirco distributiones amittant. Namque S. C. C. die 9. Nov. 1630. in *Mediolanen. (lib. 14. decret. pag. 527.)* apud Bened. XIV. *loc. cit. n. 50.* hanc quaestionem diligenter examinavit et statuit « ca-
» nonicis causa pestis absentibus deberi quotidianas distributio-
» nes, si pestis grassetur, et petentes soliti sint inservire, et

» probetur legitima consuetudo, quod distributiones huiusmodi » dentur absentibus ex iusta causa. Quando autem dicatur pe- » stis grassari, ut sit iusta causa absentiae, iudicio Episcopi esse » relinquendum. »

66. Canonico absenti suffragatur etiam iuris censura corporalem et ipsa necessitatem importans, « qua (sunt verba folii in » *Maioricen. Distrib.* 14. Apr. 1736. §. *Conatur*) cavetur, cano- » nicum seu beneficiatum a residentia suae ecclesiae absentem, » vel ob inimicitias ibi adversus eum exortas, aut ob principis » indignationem, vel propter aliam iniustam molestiam lucrari » fructus omnes sui canonicatus, seu beneficii, necnon quotidianas » distributiones una cum ceteris emolumentis, dummodo autem » chori, ecclesiaeque servitio incumbere consueverit, ut per tex- » tum in *Cap.* Uni, *de cler. non resid. in 6.* tradunt Ioannes de » Andrea ... et resolvit S. C. Conc. in *Arianen.* 28. Apr. 1635., » *Caputaquen.* 18. Aug. 1731., *Fundana Distr. et fruct.* 3. Iul. 1734. » Quam doctrinam tenuit eadem S. Congr. in eadem *Maioricen.*, in qua canonico Ferrer, qui Romam in exilium pergere coactus fuerat ob molestias et vexationes a regiis ministris acceptas ex eo, quod coram ipsis de quibusdam reditibus ecclesiasticis rationem reddere detrectaverat, distributiones deberi a tempore discessus ob idem illatum impedimentum S. C. declaravit.

67. Huc etiam referri debent canonici absentes ex causa, ne preces ab aliqua potestate praescriptas, sed ab Ecclesia vel Pontifice vetitas publice recitare cogantur, vel etiam iuramentum aut aliud quodvis eiusdem generis emittant. Sic, ineunte saeculo, cum plures sacerdotes duplici eadem de causa patriam deserere, et procul ab eadem vagari, vel etiam in deportationem abire compulsi fuissent, S. C. pro tempore absentiae fructus et distributiones sui beneficii lucrari pronuntiavit, ut in *Reatina Fruct. et Distrib.* 18. Mart. 1815., confirmata die 19. Aug. eiusdem anni, necnon in *Ferentina Fruct. et Distr.* 2. Dec. eiusdem anni. Quin imo aliquibus circumstantiis positis, etiam emolumenta ex legatis et funeribus derivantia deberi edixit, ut in *Nullius Subl. Distrib.* 14. Iun. 1817., in qua proposito dubio: « An canonici ab- » sentes ex causa deportationis lucrari possint pro tempore absentiae emolumenta ex legatis et funeribus in casu? » respondit: « Affirmative ». Constabat enim, canonicos legitima causa praepeditos, veluti ex. gr. archipresbyterum et poenitentiarium in

suo exercendo munere occupatos ex consuetudine de distributionibus extraordinariis participare consuevisse. Accedebat testatorum praesumpta voluntas, « cum una esset populi mens, quae » maxime adhaerebat iis ecclesiasticis, qui religionis ac fidelitatis » causa tot tantisque malis appetebantur », ceu legitur in folio 17. Maii praeced. §. *Canonici*. Congruit recens *Nucer. Pagan. Distr.* 8. Iul. 1865.

68. Ex auctoritate S. C. Conc. die 27. Sept. 1685, *(lib. 25. decret. pag. 405.)* docet idem Lambertinus *loc. cit. n. 52.*, distributiones ab iis percipi, qui carceribus indebite tenentur. Nam « S. C. saepius censuit, indebite carceribus detento deberi quo» tidianas distributiones non secus ac si ipse continue ecclesiae » inservisset. » Consonat S. Congreg. Episc. et Regul. in *Aquilana 20. Iun. 1581.*, dummodo beneficiatus, antequam in carceres coniectus fuit, residere et choro inservire consuevisset. « Eadem » S. C. Conc. (subdit Lambertinus *loc. cit.*) pluries respondit, tunc » aliquem carceribus iniuste detentum fuisse, cum id declaravit » sententia iudicis, quae tamen in rem iudicatam transiit. *Me» diolanen.* die 9. Mart. 1629. *(lib. 14. decret. pag. 41.)*... Quapro» pter in causa *Romana, Distrib. (lib. 4. decret. pag. 190.)*, cum » sententia iudicis quemdam canonicum ab omni criminis suspi» cione liberum vindicasset, tamen ipse canonicus distributiones, » quas petebat, accipere non potuit eo, quod fiscus provocatio» nem interposuerat. Nam die 5. Feb. S. Congreg. respondit: » Exspectandum, quid ex provocatione interposita contingeret. » Consulatur etiam recens *Valven. Distrib.* 23. Apr. 1853.

69. « Verum quid nomine propitiae sententiae intelligi debeat, » S. Cong. plane declaravit die 21. Iun. 1664. *(lib. 15. decret.* » *pag. 101.): S. C. censuit, oratori dandam esse declarationem saepe* » *alias datam tenoris sequentis: S. C. Conc. censuit, canonicum* » *primo inquisitum, et deinde uti innocentem per sententiam de*» *finitivam, quae in rem iudicatam transivit, absolutum, percipere* » *debere distributiones quotidianas totius temporis, quo hanc ob* » *causam divinis interesse non potuit.* » Congruunt alia pariter decreta, ac potissimum illud, quo reus absolvitur *ex hactenus deductis*. Ita contigit in alia causa *Arianen.* die 28. Apr. 1635. « *Sacra ... censuit, canonicos primo inquisitos, et deinde absolutos* » *uti non culpabiles per sententiam, licet cum clausula:* ex hacte» nus deductis, *debere utique percipere distributiones quotidianas*

» *totius temporis, quo talem ob causam divinis interesse non po-* » *tuerunt.* » Idem responsum fuit in causa *Ferentina* die 2. Augusti 1721. *(lib. 71. decret. pag. 314.).* Aliquando reus absolvitur illis verbis: *non molestetur,* uti pluries evenit. *Theatina Distr.* an. 1667. *(lib. 57. decret. pag. 420.),* necnon et aliis, praesertim in *Lucana* 23. Iul. 1718. *(lib. 68. decret. pag. 308.).* Aliter tamen est, si reus absolvitur ex formula: *Ex quo satis,* quemadmodum eadem S. C. die 19. Nov. 1669. *Capuana Distr. (lib. 26. decret. pag. 325. a tergo).*

70. Addimus nuperam causam *Firmanam* super hoc argumento agitatam apud S. C. Episc. et Regul. Quidam sacerdos de homicidio iudicialiter inquisitus per sententiam diei 20. Iunii 1839. dimissus fuerat « *cum praecepto de sese repraesentando novis vel* » *non novis supervenientibus indiciis.* » Itaque in plenis comitiis diei 28. Aug. 1840. dubia proposita sunt: « 1. An debeat resumi » et continuari processualis inquisitio contra canonicum N. ex » titulo homicidii, etiamsi non supervenerint nova indicia et nova » deducta, seu potius exspectandum sit, ut superveniant nova » indicia et nova deducta, quae concludant indicia iam existentia » tempore habili usque ad praescriptionem? » Et quatenus affirmative ad primam partem, « 2. An resumptio et continuatio no- » vorum actorum committi debeat curiae Firmanae (cui nempe » sacerdos inquisitus suberat), seu potius eo mittendus sit iudex » inquisitor etiam laicus? » « 3. An canonico debeantur distri- » butiones in casu? » Et quatenus affirmative. « 4. An et quo- » modo eidem competant punctaturae canonicorum absentium? » Et S. C. respondit: « Ad primum: negative ad primam partem; » affirmative ad secundam. Ad secundum: provisum in primo. Ad » tertium: negative. Ad quartum: provisum in tertio. »

71. Eadem causa, quoniam post responsum diei 28. Aug. datum non levem immutationem subierat circa canonicum ipsum, quippe qui ex iussu Summi Pontificis per S. C. Episc. et Regul. suspensus fuerat ab exercendis functionibus ecclesiasticis, et speciatim ab accessu ad chorum, usque dum aliter ab eadem S. C. provisum fuisset, reproposita fuit anno subsequenti 1841. cum eo, quod sequitur, dubio: « An canonico N. debeantur distributio- » nes chorales decursae post resolutionem S. C. diei 28. Aug. 1843., » qua declaratum fuit, locum esse resumendae inquisitioni pro- » cessuali in casu tantummodo, quo superveniant nova indicia

» et nova deducta? » S. Cong. respondit: « Negative quoad distri-
» butiones, quae praesentibus debentur, in reliquis affirmative. »

72. Iuxta *Cap. unicum* Consuetudinem *de cler. non res. in 6.* distributiones debentur iis, qui ob evidentem ecclesiae utilitatem (veluti huius capitis initio posuimus) absunt a choro: quae tamen dispositio pugnare prima fronte videtur cum *Cap.* Cum non deceat, *de Elect. in 6.*, ubi distributiones quotidianas ea de causa absenti minime competere posse statuitur. Fagnanus ad *Cap.* Licet, *de Praeb. n. 158. et seq.* triplicem adducit rationem a doctoribus propositam, qua duo huiusmodi textus inter se conciliantur; ex quibus eam recipit, quae fert, distributiones non deberi, si adsit consuetudo easdem non percipiendi: secus vero, si desit ista consuetudo. « Verum S. C. Conc. (sic ipse *n. 159. in fin.*) exa-
» minatis singulorum opinionibus, et articulo diligenter discusso,
» intellexit textum *Cum non deceat* in eo casu, in quo ex con-
» suetudine absentes ob evidentem ecclesiae utilitatem non per-
» cipiunt distributiones: sed non probata huiusmodi consuetu-
» dine, censuit, absentes ob ecclesiae utilitatem distributiones
» lucrari perinde, ac si divinis interessent iuxta textum in *Cap.*
» *unico.* Et Congregationis sententiam s. m. Paulus V. ad se re-
» latam adprobavit. »

73. Animadvertit insuper idem auctor *l. c. n. 160.* ad finem, de quo agitur, non suffragari utilitatem Ecclesiae universalis, sed requiri utilitatem ecclesiae in specie, ad quam pertinet canonicus, de cuius distributionibus quaeritur. Et re quidem vera canonici in servitio Summi Pontificis occupati ac destinati opus habent indulto speciali, ut abesse possint a choro. Id enimvero luculentissime demonstratur ex causa superius memorata, cui titulus *Dubia Indultorum* 6. Maii 1820., confirmata in *Romana Dubia Indult.* quoad 3. dubium die 25. Maii 1822.

74. Qui vero speciatim ob evidentem ecclesiae utilitatem a choro abesse reputentur, nunc exponere ac recensere suscipimus. Primo quidem occurrit canonicus, qui Capituli vel ecclesiae negotia pertractaturus propter horum utilitatem chorum dimittit. Nam S. C. (apud Bened. XIV. *Inst. eccl. 107. n. 54.*) anno 1588. *(lib. 5. decret. pag. 104.)* « Censuit deberi Oratori distributiones
» quotidianas pro tempore, quo vere abfuit pro negotiis Capituli.»
Huic declarationi addimus aliam ab eodem Lambertinio ibidem relatam in causa *Segovien.* inter Hispalen. Episcopum et Capi-

tulum anni 1539. *(lib. 5. decret. pag. 287.)*, quae sic se habet: « Quod si ex causa negotiorum Capituli recedere voluerint (canonici nempe aut alii choro addicti), percipere tam fructus praebendae, quam distributiones, nec esse necessariam licentiam Archiepiscopi, ad cuius tamen officium pertinebit examinare, an causa negotiorum vere subsit, et quascumque collusiones et illicitas remissiones inter canonicos prohibere.»

75. Si tamen agatur de lite, quae versatur circa praebendam particularem alicuius canonici, ob quam canonicum istum a residentia procul esse contingat, tunc Episcopi licentia necessaria est; nam in *Cavallicen. Distr.* resoluta die 13. Iul. 1667., et relata in *Fol. Imolen. Distrib.* §. *Nec idem*, 28. Ian. 1736. quaerebatur: « An praeposito, seu canonicis absentibus causa litium concernentium interesse suarum praebendarum debeantur distributiones quotidianae? » responsum fuit: « Affirmative, dummodo accesserit licentia Episcopi. » *(Lib. 29. decret. pag. 506.)*.

76. In hac materia iuvat afferre, quae prostant in *folio Monasterien.* 15. Maii 1723. §. *Quoad.* « Quoad canonicos denique absentes, ut assistant liti suos canonicatus respicienti, nonnulli censent, deberi fructus et distributiones (Barbos. *Cap. 24. n. 25. et seq. de Canon.*). Aliquando fuit facta distinctio inter negotium, quod commode per procuratorem tractari potest, et negotium, quod personalem requirit assistentiam canonici, ita ut in secundo casu debeantur distributiones, non in primo, (Passerin. ad *Cap. unic. de cler. non res. in 6.* Rota coram Seraphin. *Decr. 1131. n. 4.*) relicta Ordinario facultate iudicandi, an id requirat personalem assistentiam iuxta resolutionem S. Congregationis, quae ita se habet: « *Petente curato, ut sibi concederetur licentia assistendi liti super iuribus ecclesiae in urbe, Congregatio censuit, ad sex menses, dummodo tamen lis vere sit de ecclesia, et Ordinario videatur, Oratori necessarium esse, ut per se ipsum liti assistat.* Aliquando denique habita fuit distinctio inter litem super titulo beneficii, et litem super praeteritis distributionibus, denegando in hoc secundo casu admissionem ad distributiones pro tempore absentiae iuxta resolutionem huius S. C. in *Aquilana* 23. Maii 1626. *(lib. 13. decret. pag. 5.)*: *S. Congreg. censuit, distributiones petitas pro tempore, quo prosequitur litem in curia pro consuetudine aliarum distributionum ei debitarum non deberi.* »

77. Venio nunc ad alios, qui distributionibus in absentia fruuntur, vel non ob causas in *Cap.* Consuetudinem *de cler. non res. in 6.* Eumdem itaque ordinem secutus secundo loco pono canonicum theologum et poenitentiarium iuxta eum modum, quem indicabimus peculiariter §. 5. huius tertii capitis, ubi iuxta instructionem nostram de utroque speciatim agetur.

78. Tertio loco sequuntur, qui in exercendo munere parochiali destinentur. Nam Conc. Tridentinum *Sess. 22. cap. 3. de Reform.*, sic statuit: « Quod si alicui ex praedictis dignitatibus in eccle-
» siis cathedralibus et collegiatis de iure seu consuetudine iu-
» risdictio, administratio, vel officium non competat, sed extra
» civitatem in dioecesi cura animarum immineat, cui is, qui di-
» gnitatem obtinet, incumbere voluerit, tum pro tempore, quo
» in curata ecclesia resederit, ac administraverit, tamquam prae-
» sens sit, ac divinis intersit in ecclesiis cathedralibus et colle-
» giatis habeatur. »

Huiusmodi sanctionem sic explicat Bened. XIV. *Instit. eccl. 107. n. 56.:* « Igitur qui canonicatum, ipsique coniunctam obtinet pa-
» rochiam, sed extra civitatem, sedem in parochia tenere debet,
» et *pro tempore*, quo resederit in parochia ac ministraverit, tam-
» quam in choro praesens habetur, ita ut praebendae quidem
» fructus, non vero distributiones consequatur. Id sanxit Sanctus
» Pius V. *Constit. 65. in Bull. tom. 2.;* idemque Fagnanus *Cap.* Licet
» *num. 67. de Praeb.*, et Gonzalez *Super regul. 8. Cancell. glos. 6.*
» *num. 268. et sequent.* sapienter advertunt. Aliter tamen se res
» habet, si quis canonicatum, et adnexam animarum curam in
» eadem ecclesia possideat. Tunc enim S. C. Conc. *Mediolanen.*
» die 3. Febr. 1609. *(lib. 16. decret.)* ita constituit: – S. Cong.
» censuit, Oratorem habentem onus curae animarum adnexum,
» si tempore, quo divina officia celebrantur, audiat confessiones,
» vel alia ad ipsam curam spectanctia exerceat, lucrari debere
» distributiones quotidianas, etiamsi Divinis non intersit. » Hoc idem firmavit *(lib. 17. decret. pag. 230.) in Tortonen.* die 19. Septembris 1643. conditionem adamussim determinans, qua distributiones lucrari queat, nempe « si eo tempore sit in actu dictam
» curam exercendi, et sacramenta administrandi. » Utque hoc beneficio nemo abutatur, S. C. onerat hac in re parochi conscientiam, prout nuperrime cavit S. C. Episc. et Regul. in *Ferentin. Distrib.* 1. Martii 1861.

79. Non raro contingit, ut penes Capitulum resideat habitualis animarum cura, ita ut actualis per aliquem de suo gremio, sive canonicus ille sit, sive mansionarius, administretur. Iamvero hoc in casu rector iste animarum distributiones percipit eadem ratione, qua dictum est de canonico curam adnexam obtinente; ita enim pluries resolvit S. C. Conc., et recens in *Pisana Iurisd. et Iur.* diei 27. Iul. 1839. ad VII. Nam proposito dubio: « An pro tem» pore, et quibus distributionibus frui debeant vicarii curati in » casu? » respondit: « Affirmative pro diebus et horis, onerata » (nempe conscientia), amissis distributionibus inter presentes » tantum iuxta votum Emi Relatoris.» Quae declaratio confirmata est die 22. Iunii 1844. Neque aliter sentiendum est, licet rector iste ad nutum removeri possit, prout diserte eadem S. C. tenuit in *Augustana Distrib.* 14. Dec. 1844. Quod si cura habitualis et actualis penes Capitulum resideat, quamvis eam alii exercendam, soluta certa mercede, tradat, tum mercenarius iste, si forte idem canonicus sit, non eximitur a chorali officio; adeoque si eiusdem tempore muneribus parochialibus alio distrahatur, a punctatura non absolvitur. Cum enim in *Milevitana Fallent.* 13. Sept. 1862. reapse ageretur de cura habitualiter et actualiter penes Capitulum residente, quam, soluto certo salario, uni ex canonicis, qui de gremio eiusdem Capituli erat, gerendam tradiderat, posito dubio: « An vicarius curatus tempore divinorum officiorum absens » a choro ob curae animarum exercitium fallentias solvere tenea» tur in casu? » S. Congreg. Concilii respondere non dubitavit: « Affirmative. »

80. Quod si cura parochialis extra cathedralem neque habitualiter neque actualiter Capitulo competat, tunc neque canonici neque mansionarii possunt eamdem exercere, multoque minus distributiones consequi. Namque in *Venusina* diei 30. Iul. 1763. sexto ac septimo loco dubia proponebantur: « 6. An liceat ca» nonico curam parochialem exercere extra ecclesiam cathedra» lem, quae neque actualiter neque habitualiter ad Capitulum » pertinet? » et quatenus affirmative. « 7. An talis canonicus » curam praefatam exercendo frui possit massa capitulari ac dis» tributionibus quotidianis, sicut praesentes et interessentes, non » obstante, quod choro non interveniat? » S. C. respondit: « Ad 6. » Negative et amplius. Ad 7. Provisum in 6. » Quin etiam in eiusdem causae folio, quod habetur ad diem 25. Iun. eiusdem anni

§. *Nec censet* in fin., animadvertitur, distributiones nec ab iis posse lucrifieri « *qui parochialem obtinent ex dispensatione Apo-* » *stolica, ut decrevit S. Pius V. in Constit. Cupientes 65.* §. *1.* »

81. Quarto loco ex *Cap. 7.* De cetero *de cleric. non resid.* potest Episcopus canonicos assumere, qui sibi opem praestent in ecclesiae servitio; hi tamen non plures quam duo esse debent *ex cap.* Ad audientiam *15. eod. tit.*, et interim suae praebendae integros fructus percipiunt, « cum absentes dici non debeant sed » praesentes, qui tecum (sic Episcopo Meldensi rescribebat Hono- » rius III.) pro tuo et ecclesiae servitio commorantur. » Certum est autem, Episcopo integrum esse adsciscere sibi canonicos vel mansionarios tam ex cathedrali, quam ex collegiatis, modo non sint ultra duos. Nam S. C. Conc. in *Cajetana Serv. (lib. 23. decret. p. 317.)* apud Bened. XIV. *loc. cit. num. 57.* « censuit, Episcopis » licere pro suo servitio adhibere etiam beneficiatos tam ecclesiae » cathedralis, quam ecclesiae collegiatae suae dioecesis, ideoque » declarationes huius S. Congreg. extendi etiam ad huiusmodi be- » neficiatos ita tamen, ut ultra duos non adhibeant. » Idem declaravit S. C. Concilii in *Venusina* 30. Iulii 1763. *ad 1. 2. 3. et 4.*

82. Ad effectum, de quo agitur, non potest Episcopus uti servitio dignitatis vel canonici, qui animarum curam gerunt, quemadmodum Episcopo Montisfalisci die 26. Aprilis 1659. *(lib. 21. decret. pag. 618.)* indictum fuisse refert idem Bened. XIV. *loc. cit.* Nequit item adhibere canonicos coadiutores, veluti adamussim S. C. respondit Episcopo Calaguritano die 15. Ian. 1684. apud Bened. XIV. *loc. cit.*

83. Animadvertatur autem, huiusmodi canonicis permissum esse beneficiales fructus libere consequi, minime vero distributiones quotidianas, et si distributiones stant loco praebendae, duas tantum partes accipere, amissa tertia. Ita sanxit S. Congr. Conc. in *Brixien.* die 18. Sept. 1626. *(lib. 13. decret. pag. 346.)* apud eumdem Pontificem *l. c. n. 58.* « S. C. censuit dandam esse » declarationem alias editam tenoris sequentis: S. C. censuit, » unum, vel duos canonicos Episcopo inservientes iuxta privile- » gium ad favorem Episcoporum in *Cap.* De cetero *de cler. non* » *resid.* lucrari praebendam suorum canonicatuum, non tamen » distributiones quotidianas: si vero reditus omnes ipsis distri- » butionibus constent, duas tantum ex illarum tribus partibus » lucrari. » Consonat dicta *Venusina 1763. ad 1. et 2.* Neque

Capitulum merito posset obsistere, quominus Episcopus huiusmodi canonicos in suum servitium queat assumere, etiamsi passiva exemptione ab Episcopi iurisdictione se gaudere contenderet; hac enim posita, nihilominus S. Cong. definivit, canonicum quemdam ab Episcopo Leodiensi in suum servitium assumptum haberi pro praesente et residente ad effectum percipiendi fructus praebendae, tametsi eamdem ipsam exemptionis causam exciperent canonici eiusdem collegae (*Leodien.* 28. Sept. 1765.).

84. Quinto loco ex aperta dispositione s. m. Sixti V. in *Constit. Romanus Pontifex* (quae refertur in volumine III. sub num. 1.) §. *4. Quod si*, Episcopo aliquem de gremio Capituli ad Urbem mittere permittitur, ut Sacra Apostolorum Limina invisat et relationem de sua dioecesi Sacr. Congregationi exhibeat. De huiusmodi Capitulari Bened. XIV. *l. c. n. 59.* declarationem affert 1. Octobr. 1662. *Regien. (lib. 18. decret. pag. 362.)* huius tenoris: « S. C. censuit, deberi distributiones quotidianas tempore ac- » cessus, mansionis et regressus Visitationis Sacrorum Liminum, » quod tempus constituit esse trium mensium. » Aliud vero circa easdem distributiones sentiendum est de canonico Episcopum comitante, dum hic dioecesim sacra visitatione perlustrat, ceu declaravit eadem S. C. in *Sulmonen.* 5. Decembr. 1626. *(lib. 13. decret. pag. 329.)* apud Bened. XIV. *loc. cit.*; edixit enim « Ca- » nonicos suum Episcopum in visitatione Sacrorum Liminum co- » mitantes, distributiones quotidianas lucrari debere; comitantes » vero in visitatione dioeceseos, si omnes fructus, ut supponitur, » in distributionibus quotidianis consistant, lucrari duas partes, » amissa tertia, quae inservientibus accrescat. »

85. Sexto loco in Conc. Tridentino *Sess. 21. cap. 12. de Reform.* de canonicis constitutum est, ut compellantur Episcopo celebranti aut alia Pontificalia exercenti assistere et inservire. Quae dispositio sequentibus declarationibus locum dedit. Quaerebatur in causa *Tudertina* 1573. *(lib. 1. decret. pag. 110.)*: « An retinentes » dignitates canonicatusque in cathedrali ecclesia Episcopo Pon- » tificalia obeunti omnes assistere teneantur, vel maior pars sup- » petat; et posito, quod non, an recusantes assistere mulctari pos- » sint? S. Congr. censuit, omnes teneri, salvis tamen singulorum » legitimis vacationibus. »

86. Cum vero alias quaesitum fuisset in *Mutinen.* eiusdem anni *(lib. 1. decret. pag. 14.)*: « An canonici inservire tenerentur

» nedum in munere sacerdotis et diaconi, sed etiam subdiaconi, » S. C. respondit: « teneri inservire etiam in munere subdiaconi ». Huiusmodi vero ministri servitium praebere tenentur non solum, si Pontificalia celebrat in ecclesia urbana, sed etiamsi in suburbana, prout pluries resolutum fuisse auctor est Bened. XIV. loc. cit. num. 60. non paucis allegatis declarationibus.

87. In *Lycien.* 17. Aug. 1641. (*lib. 16. decret. pag. 582. et 583.* apud eumdem Pontificem l. c. n. 60.) dubia proposita sunt: « Primo, an decretum S. Concilii *Sess. 24. cap. 12. de Reform.* » locum habeat, dum Episcopus in sua ecclesia cathedrali assi- » stit cum cappa Missae et divinis Officiis diebus Dominicis et » festivis etiam non solemnibus, et diebus ferialibus Quadragesi- » mae? Secundo, an locum habeat, quando Episcopus in aliis » ecclesiis sibi subiectis in civitate existentibus pontificaliter ce- » lebrat, vel paratus assistit cum pluviali et mitra, aut cum cappa » divinis Officiis et Missae solemni, vel alia Pontificalia exercet » tam occasione alicuius Sancti, qui in ipsis ecclesiis solemniza- » tur, quam alia occasione, si numerus sufficiens canonicorum et » ministrorum in ecclesia cathedrali remaneat? Tertio, an habeat » locum, cum Episcopus cum cappa in ecclesia cathedrali assi- » stit concioni, quae solita est haberi post Missam conventualem » diebus Quadragesimae, et etiam aliis intra annum? Quarto, an » similiter habeat locum, quando Episcopus cum cappa interve- » nit concioni, quae habetur in aliis ecclesiis civitatis etiam exem- » ptis, diebus festivis et ferialibus Quadragesimae, et intra annum, » aut saltem duo ex illis compelli possint ad sibi assistendum » hinc inde a sua sede, et si duo isti debeant esse digniores, » dummodo non sint legitime impediti, seu illi, qui solent assi- » stere in ecclesia cathedrali, vel omnes per turnum alternis vi- » cibus? » S. C. respondit: « Ad primum: *Decretum Concilii cap. 12.* » *Sess. 24. locum habere.* Ad secundum ac tertium: *Ibidem habere* » *locum.* Ad quartum: *Non habere locum.* »

88. In causa *Foro Cornelii* 25. Ian. 1625. (*lib. 12. decret. pag. 253. a tergo*) quaerebatur: « An canonici inservientes Epi- » scopo Missam privatam celebranti lucrentur distributiones quo- » tidianas? » S. C. respondit: « Non lucrari ».

In *Amerina* 3. Febr. 1629. (*lib. 11. decret. pag. 17.*) « Sacra » Congregatio censuit canonicis Episcopo pontificaliter assisten- » tibus deberi distributiones quotidianas; non autem inservien-

» tibus Episcopo dioecesim visitanti, vel Missam privatam ce-
» lebranti. »

89. In *Bosanen. VV. SS. LL.* 6. Febr. 1734. dubium disceptabatur: « An canonicis ecclesiae cathedralis assistentibus Episcopo » Pontificalia exercenti vel in suo palatio, vel in aliis ecclesiis » suae dioecesis debeantur anniversariorum emolumenta, quae » ex voluntate testatorum distribui consueverunt solum inter prae- » sentes? » et quatenus Negative: « An sit consulendum SSmo » pro concessione indulti ex gratia in casu? » responsum fuit ad utrumque: « Negative ».

90. Penes S. C. Rit. in *Ferentina* 3. Sept. 1661. (relata in *Folio Cuneen. Pontif.* 12. Dec. 1829. §. *Verumtamen.*) dubium proponebatur. « An Episcopus possit compellere parochos, (qui » nempe insimul canonici sunt) ad praestandam sibi consuetam » assistentiam in Missis ac Vesperis pontificalibus? » respondit « affirmative », sed addit « praecavendum tamen, ne quid detri- » menti animarum servitio contingat, quo tempore parochus Epi- » scopo in divinis famulatur. » In eamdem sententiam in simili casu respondit S. C. Conc. in modo memorata *Cuneen. Pontific.* contra archipresbyterum et praepositum cathedralis curam parochialem obeuntes.

91. Septimo loco s. m. Clemens XI. encyclicas Literas ad universos Italiae et insularum adiacentium Episcopos dari iussit die 1. Februar. 1700. (quas per extensum affert Ferraris verbo *Exercitia spiritualia n. 2.*), in quibus declaravit, distributionum participes fieri illos canonicos, qui certis per annum diebus in aedem Regularium secedunt, ut spiritualibus exercitiis operam navent: illis enim diebus licet chorum non adeant, tamen distributionibus ex Pontificis illius privilegio privandi non sunt. At vero Pontifex ad huiusmodi privilegium perfruendum multas conditiones requirit. Prima est, ut Episcopi facultas in hanc rem prius obtineatur; deinde, ne recessus huiusmodi tempore Adventus, Quadragesimae, vel in festis solemnioribus statuantur; tertio, ne omnes simul canonici hasce exercitationes suscipiant; denique, ne divino officio detrimentum obveniat.

92. Octavo loco, quoniam Summo Pontifici pro suprema sua auctoritate ius ac mos est aliquando iustis de causis coadiutorem alicui beneficiato concedere, hinc coadiutus, licet ipse chorum non adeat, fructus omnes praebendae suae, necnon distributiones

quaslibet acquirit. Nam S. C. Conc. in *Romana Distrib.* 19. Augusti 1730. propositis dubiis: « An distributiones debeantur canonico coadiuto extra urbem commoranti, suo pariter coadiutore extra urbem infirmitatis causa degente? An lucra provenientia ex punctaturis et absentiis canonicorum, quae praesentibus accrescunt, debeantur canonicis coadiutoribus, sive potius coadiutis in casu? » Respondit: « Ad primum affirmative, quatenus uterque habeat indultum abessendi. Ad secundum, deberi canonicis coadiutis. » Porro si coadiutor infirmus extra civitatem degit, coadiutor non tenetur choro inservire eo modo, quo non tenetur, quando coadiutus infirmus intra urbem commoretur, veluti declaratum est die 29. Maii 1667. *(lib. 29. decret. p. 434.* apud Bened. XIV. *l. c. n. 65.)*. Idem valet, etiamsi coadiutor tali infirmitate detineatur, quae nullam valetudinis recuperandae spem suppeditet, ut resolvit S. C. die 2. Maii 1653. *(lib. 17. decret. pag. 177.)*.

In *Romana Emolum.* 22. Febr. 1862. duo dubia proponebantur: « 1. An coadiutor teneatur reficere coadiuto emolumenta provenientia ex anniversariis, processionibus et capitulis, quae ob suam absentiam amisit in casu? 2. An ex fallentiis a coadiutore coadiuto compensandis detractio facienda sit ad rationem quotae lucri, quam super fallentiis coadiutoris idem coadiutus recipit in generali divisione fallentiarum capitularium in casu? » S. C. respondit: « Ad 1. affirmative et amplius. Ad 2. affirmative et amplius, et ad mentem; mens est, quod rescribatur Emo archipresbytero, ut divisio fallentiarum in posterum fiat ad tramites iuris et resolutionum Sacrae Congregationis. »

93. Nono loco succedunt canonici, qui audiunt iubilati, ii videlicet, qui post laudabile annorum quadraginta servitium ab onere choralis officii liberantur, et interim tum fructus praebendae, tum distributiones assequuntur. Nulla porro in sacris canonibus dispositio legis occurrit, quae ius huiusmodi sanciverit. In pluribus tamen Capitulis mos invaluerat, ut canonici hoc beneficio fruerentur; quam consuetudinem non improbandam, sed et tolerandam censuit S. C. Conc., et s. m. Gregorius XIII. hanc sententiam S. Congregationis confirmavit. Deinde illud insuper usu inductum est, ut a S. C. iubilationis indulta concederentur, etiamsi neque consuetudo, neque capitulare statutum in hanc rem ullatenus accederet. Rem omnem narrat *Folium* S. Cong.

Conc. in *Dubia iubilationum* 24. Sept. ac 17. Dec. 1818. *(Thes. Resol. pag. 111. et 144.)*. Cfr. *Narnien. Iubil.* 27. Iun. 1857., ubi de canonico, qui Collegiatae, et dein Cathedralis choro, item de Can. qui Episcopo inservit (1).

94. Circa hoc argumentum consulenda est S. C. Conc. praesertim in *Lucana Exempt. et emol.* diei 30. Ian. 1858., in qua plurimae, eaeque notabiliores afferuntur declarationes de hac materia editae; ideoque eam integram cum responsionibus ad dubia ibidem proposita referemus volumine III. sub num. 25.

95. Ex hoc personarum genere, quas modo recensuimus, aliquas esse vidimus, quae, cum a choro absint, fructus beneficiales sibi quidem acquirunt, distributiones tamen amittunt. Hisce alios etiam adiicimus, qui eadem iactura afficiuntur, prout elicitur ex resolutionibus, quas Bened. XIV. *Inst. eccl. 107. n. 67.* per extensum exscribit. Inter hosce ponitur *primo* Vicarius Generalis, si idem canonicus sit, et ratione ministerii a choro procul esse cogatur (S. C. Conc. in *Bitteten.* 17. Dec. 1627. *lib. 13. decret. pag. 277.*). *Deinde* canonici examinatores synodales, quando impediuntur adire chorum, ut examini adstent pro ecclesiis parochialibus, praebendis theologalibus et poenitentiariis, ac pro collatione Ordinum; S. C. Conc. in *Cremonen.* 20. Sept. 1642. *(lib. 17. decret. pag. 95.)*, *Brixien.* 19. Iun. 1638. *(lib. 16. decret. pag. 38)*. *Tertio* canonici, qui choralis officii tempore tribunali S. Officii inserviunt; S. C. Conc. in *Civitaten.* anni 1587. *(lib. 5. decret. pag. 39)*. *Quarto* camerae Apostolicae administri, S. C. Conc. die 22. Aug. 1672. *(lib. 23. decret. pag. 272)*. *Quinto* canonici visitantes ecclesiam Lauretanam ac Angelorum de Assisio, aliaque pia opera exercentes, si intra tres menses piam hanc peregrinationem compleverint; S. C. Conc. in *Tudertina*, quam sine titulo ac data refert Bened. XIV. *loc. cit. n. 71.*, necnon in *Ulissiponen.* anni 1631. *(lib. 14. decret. pag. 553.)*, quas idem Pontifex exscribit eodem loco. *Sexto* caeremoniarum magistri, capellani in organo musice canentes, ac praefecti spiritualibus exercitiis; de quibus actum est in dubiis *Pisanae Iurisdict. et iur.*

---

(1) Si quis indultum abessendi obtinuerit cum facultate lucrandi distributiones, distributiones extraordinarias non percipit, si ex consuetudine non capiunt, qui personaliter ac physice adsunt, *Amerina Distr.* 28. Apr. 1860. Idem accidit de canonico iubilato in *Romana Distr.* 10. Maii 1862.

nuperrime in S. Congr. Conc. propositis, quae enumerantur, ut sequitur: « 8. An et quomodo caeremoniarum magistri Archiepi-
» scopo et Capitulo inservientes gaudere possint distributionibus
» quotidianis in casu? 9. An idem ius competat caeremoniariis ma-
» gistratui, et publicae universitati inservientibus in casu? 10. An
» capellani in organo canentes cum musicis frui debeant distri-
» butionibus in casu? 11. An et quomodo camerarius universitatis
» absens a choro lucrari possit distributiones in casu? 12. An
» capellani praefecti spiritualibus exercitiis frui debeant distribu-
» tionibus? » Sacra Congregatio die 27. Iul. 1839. ad 8. et 9. respondit: « Affirmative in omnibus, dummodo in metropolitana
» tantum ecclesia munus exerceant iuxta votum Emi Relatoris.
» *Ad 10.* negative, excepto actuali tantum capellano, attentis pe-
» culiaribus circumstantiis iuxta votum Emi Relatoris. *Ad 11.*
» Affirmative pro diebus et horis, onerata, amissis distributioni-
» bus inter praesentes tantum iuxta votum Emi Relatoris. *Ad 12.*
» Negative iuxta votum Emi Relatoris.» Reproposita eadem causa, in Cong. diei 22. Iun. 1844. Sacra Congregatio *stetit in decisis* quoad omnia, si excipias 9., in quo rescripsit: « In decisis iuxta
» modum, nimirum quoad Archiepiscopum extra metropolitanam
» functiones pontificales exercentem. » Insuper circa capellanum, de quo in 10. dubio, edixit, faciendum esse verbum cum Sanctissimo.

96. Circa canonicum organa pulsantem, vel inter musicos concinentem videtur fieri debere limitatio, dummodo ob id stipendium accipiat: si enim nihil ex hoc onere percipit, distributiones acquirit, perinde ac si choro interesset; nam die 15. Nov. 1659. in *S. Severini (lib. 2. decret. pag. 802. et 803.)* ad dubium: « An
» praedictus canonicus sit punctandus ob eius a choro absentiam,
» vel potius interessentia in organo pro servitio ecclesiae sit repu-
» tanda ad effectum percipiendi distributiones? S. C. censuit, gau-
» dere, si stipendium pro musica non recipiat. » Idem fere responsum dedit in *Nullius seu Putignani* 6. Maii 1751. ad 4. dub. relata in fol. *Ferent.* 7. Iun. 1760. §. *Et haec,* in qua eadem declaratio edita est, et insuper additum est, canonicum Petacci, qui praesumebat sesé praesentem haberi, quo tempore in organo interesset, *cogendum esse* ad choro interessendum *aliis poenis pecuniariis arbitrio Ordinarii.* Ac reproposita causa die 2. Augusti *seq.* Sacra Congregatio *stetit in decisis.*

97. Aliquando contingit, ut canonici aliqua honorificentia praediti sint, quae ius eisdem tribuat, ut habitum eiusdem honorificentiae proprium etiam in choro gerere queant, ceu fit ex. gr. de Vicario Generali, Protonotariis Apostolicis, et aliis similibus. Iamvero si quis eorum ad chorum hoc habitu insignitus accedat, quoniam ibidem non assistit canonicalibus vestibus indutus, uti canonicus interesse non reputatur, adeoque distributiones amittit. Et sane S. Congr. Rit. in *Lauden.* 31. Mart. 1740. *(apud Gard. n. 1221.)* proposito dubio: « An liceat lucrari distributiones in» teressendo Divinis sine habitu assignato uti Praeposito? respon» dit, debere interesse cum habitu sibi in erectione assignato ad » effectum lucrandi distributiones. » Idem confirmatum fuit in *Assisien.* 2. Iulii 1640. apud eumdem Gardell. n. 1230. contra primam Assisiensis Capituli dignitatem, quae in choro cum habitu praelatitio interesse ac distributiones consequi contendebat.

98. Aliter autem dicendum est, si canonicus doctorali bireto utatur in choro: quamvis enim eidem istud facere non liceat, non idcirco tamen distributiones amittit. Nam rogata S. Congr. Rit. 7. Dec. 1844. in *Venusin.*: « An in choro et processionibus, quae » capitulariter aguntur, possit is, cui ob magisterium vel licen» tiatum in disciplinis theologicis, vel sacris canonibus obtentum, » facultas conceditur deferendi biretum cum quatuor apicibus, » eodem bireto uti? An iste, contradicente Capitulo, punctationi » distributionum obnoxius evadat, etiamsi 40 abhinc annis iam » defunctus alius sacerdos in eadem ecclesia usus fuerit tali fa» cultate, et nemo contradixerit? « S. Congr. respondit: » Negative » in omnibus, nimirum nec uti posse in ecclesiasticis functionibus » tali bireto, nec amittere distributiones, siquidem biretum non » est indumentum chorale. » (Gardellini n. 4991.).

99. Porro in hac nostra elucubratione recensuimus casus ordinarios, et a iure canonico determinatos, quibus canonici aliique choro emancipati impune chorale servitium amittere possunt; sed et insuper intercidit saepenumero necessitas vel utilitas extraordinaria, quae cum eorumdem praesentiam et operam alio evocat detineatque, postulat aequitas, ne ipsi distributionum iactura afficiantur. Hinc praesto est S. C. Conc., quae iuxta disciplinam maturo iudicio ac diuturno usu sancitam indulta impertiatur, quibus chori dimittendi facultas fiat. Iamvero hisce de indultis copiose actum est in causa, cui titulus *Dubia Indultorum* die 6.

Maii 1820., quam per extensum exhibebimus volumine III. sub n. 24., *Verulana Distrib.* 26. Febr. 1859. de strena debita in Nocte Nat. D. N. I. C., *Nullius seu Sublacen. Solut.* 18. Mart. S. Congr. Episc. et Regul.

100. Non exigua pars resolutionum, quae ad casus in huius articuli serie recensitos referuntur, enucleatim pertractata et expensa est in S. C. Conc. *Tranen. Distribut.* diei 20. Dec. 1862. et *Veliterna, Participat.* diei 20. Dec. 1851.; itaque rem nec inutilem, nec ingratam facere arbitramur, si eiusdem causae *Folium* una cum dubiis et declarationibus dabimus in volumine III. sub n. 26. et 27.

Art. IV. De aliis poenis contra negligentes et absentes constitutis.

Summarium. 101. Canonici aliique chorales, si, non obstante distributionum iactura, chorum negligere perseverent, poenis pecuniariis aliisque iuris remediis compesci possunt. – 102. Absentes a residentia vel choro per longum tempus primo anno privantur dimidio fructuum; secundo anno omnibus fructibus; tertio, durante contumacia, beneficii titulo exuuntur. – 103. Quin obstet, quod beneficium patrimonii titulum constituat. Servandi tamen sunt gradus modo recensiti, licet absentia plus quam ad tres annos protendatur. – 104. Antequam applicentur recensiti poenarum gradus, opus non est, ut absentes commoniti fuerint: at vero necesse est, ut explicite vel implicite citentur ad dicendam causam, cur propter absentiam puniendi non sint. – 105. Si ignoratur, ubi absens commoretur, postquam dicti poenarum gradus applicati fuerint, citandus est trinae citationis edicto ad valvas ecclesiae, et posthac tres menses exspectandi sunt. – 106. Si canonicales proventus in distributionibus toti consistant, omittuntur fructuum sequestrationes, quibus locus non est, minime vero temporum dilationes. – 107. Intra triennii spatium, quo applicantur poenarum gradus, non impeditur Episcopus contra non residentem animadvertere censuras infligendo ad normam cap. *Ex tunc* de cler. non res., dummodo ad privationem non deveniat. – 108. Poena non residentium applicatur etiam contra beneficiatos in ecclesiis, quae cathedrales et collegiatae non sunt, quando ibidem vel in parte, vel in toto beneficiati ad choralia officia obstringuntur. Quin etiam beneficiati participatione privari possunt, quin opus sit fructuum sequestratione.

101. Queruntur nonnunquam in suis relationibus Antistites, canonicos aliosque choro addictos chorale pensum negligere, tametsi distributionum iactura mulctentur. Id autem ex eo plerumque

accidit, quod hi poenam pecuniariam minimi faciant, adeoque contemnant. Itaque sciant Episcopi, hisce in casibus ad eorum negligentiam efficacius compescendam ultra distributionum privationem licere sibi in ipsos peculiari mulcta pecuniaria animadvertere, aliaque id genus iuris remedia applicare. Etenim S. C. Conc. in *Iadren.* 17. Sept. 1650. *(lib. 19. decret. pag. 81.)* apud Bened. XIV. *Instit. eccl. 107. n. 44.* « censuit, non inservientes » ecclesiae, nec divinis interessentes, ultra amissionem distribu- » tionum quotidianarum, posse ab Archiepiscopo per mulctas pe- » cuniarias, atque alia iuris remedia compelli. » Cumque Episcopus Castellanetae a S. Congr. petiisset, an beneficiatis, qui suo muneri deerant, quippe nihili haberent distributionum iacturam, alias poenas irrogare posset, mense Iunio 1659. *(lib. 21. decret. pag. 651.)* rescripsit: « Licere etiam per alias poenas. »

102. Contra eum, qui diu a residentia absit, vel choro non intersit, procedendum est iuxta formam a Trident. Conc. sancitam *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*, videlicet, ut « primo anno privetur » unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam prae- » bendae ac residentiae fecit suos. Quod si iterum eadem usus » fuerit negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno » lucratus fuerit; crescente vero contumacia contra eos iuxta sa- » crorum canonum constitutiones procedatur. »

103. Super haec ita subsequitur S. C. Conc. in *Castrimaris Privat. Can.*, cuius *folium* prostat die 14. Ian. 1741. §. *Hinc.* « Hinc itaque colligitur, posse quidem ab Episcopo valide cano- » nicatibus privari canonicos, qui triennio absunt a residentia, » postquam iidem priori anno medietate fructuum, et secundo » fructibus omnibus privati fuerint, etiamsi ad illorum canonica- » tuum titulum reperirentur ordinati; et inhaerendo formae a » Tridentino praescriptae saepius declaravit S. C. Conc., et si- » gnanter in *Nullius Guastallae Privat. Mans.* 31. Iul. et 28. » Aug. 1860., *Firmana Priv. can.* 30. Maii 1665., *Vicequen. Ar-* » *chid.* 3. August. 1709., minime vero suis canonicatibus statim » destitui, non servatis dictarum poenarum gradibus, licet cano- » nici per tres, imo per plures etiam annos residentiam neglexerint, » quemadmodum tradunt Fagnanus in *Cap. Licet, num. 25. et 26.* » *de Cler. non resid....* et consonant resolutiones supremi huius » Consessus *Giennen.* 1587., *Lancianen. Res.* 13. Ian. 1703. *Isernien.* » *Can.* 22. Febr. 1710. et *Romana* 3. Dec. 1718. » In hac cano-

nicus ecclesiae S. Hieronymi Illyricorum ab Urbe absens iam tribus annis, cum a curia Emi Cardinalis Vicarii per literas citatorias edicto editas die 21. Ianuarii 1717., repetitas die 25. Aprilis, monitus fuisset, ut ad residentiam rediret, sub die 17. Decembris eiusdem anni canonicali titulo privatus est. Paucos post dies canonicus Romam pervenit, ac interim, interposita appellatione de nullitate actuum in Sacra Congregatione, proposito dubio: « *An* » *sententia privationis canonicatus, de quo agitur, sustineatur in* » *casu?* » S. C. respondit: « *Negative, et amplius.* »

104. Animadvertendum est, opus non esse, ut huiusmodi negligentes et absentes prius moneantur ad residendum, antequam puniantur, ad eum nempe modum, quo Conc. Trid. parochos omnes non residentes iubet *Cap. 1. Sess. 23. de Reform.* Quod vero minime omittendum est, in eo consistit, ut, si ultra tres menses abfuerint, citentur ad allegandum, quare non debeant privari secundum decretum Conc. Trid. *Sess. 24. cap. 12.*, uti declaravit S. C. Conc. in *Vercellen. 1575. (lib. 1. decret. pag. 190. et seq.)* apud Bened. XIV. *Instit. eccl. 107. n. 37.* « Quod si (ita » subiicit ibidem ille Pontifex) aliquis canonicatu, vel beneficio, » quibus onus residendi coniungitur, privari debeat, absentia » trium annorum prius necessaria est, quibus peractis, ter ille » monendus est, et per sex alios menses exspectandus, deinde ad » privationem, licet ipse non compareat, devenitur. Haec sapienter » explicat Fagnanus *Cap.* Ex tuae *n. 14. et 35. de cler. non resid.* » Hanc legem institutam perpetuo tenuit S. C., cum nos ipsi Se» cretarii munus ageremus, in causa *Romana Canonic.* 3. De» cembr. 1718. »

Super hoc argumento attendenda est nuperrima *Verulana Resid. et Priv. fruct.* 6. Iun. 1863. Quidam canonicus infirmitate implicitus plura iam absentiae obtinuerat indulta; postea vero cum convaluisset, aut saltem canonicam infirmitatis causam non demonstrasset, a choro abesse perrexerat omni licet indulto destitutus. Itaque, agente Capitulo, in iudicium penes episcopalem curiam vocatus est, causaque proposita damnatus fuit dimidio fructuum ex sua praebenda omittendorum. Appellatione interiecta apud S. C. Conc., canonicus ante omnia contendebat, sese non esse vocatum ad allegandum, quare fructuum canonicalium dimidio privandus esset, adeoque sententiam esse revocandam propugnabat. At S. C. Conc. sententiam Verulani iudicis confirmavit,

et ratio (quod non immerito coniicere licet) ea fuit, quod canonicus, cum in ius vocatus fuerit, iustam absentiae causam, si habuisset, allegare poterat, adeoque idem erat, ac si ad eam ipsam causam allegandam iuxta ea, quae doctores constituunt, expresse vocatus fuisset.

105. Quod si ignoretur, ubi canonici absentes versentur, « non » satis est (sic Giral. *Ius Pont. P. I. Sec. 354. ad cap.* Ex tuae *de* » *cler. non res.* §. *Imo*) lapsus trium annorum, sed, transacto » tertio, citandi sunt trinae citationis edicto ad valvas ecclesiae, » et postea exspectandi per tres menses, antequam ad privationis » sententiam deveniatur iuxta formam praescriptam in cit. *Cap.* » Ex tuae, quam Tridentinum non immutavit, ut ibidem notat » Fagnanus *num. 35.* »

106. Regula a praemissa Conc. Tridentini forma de servandis gradibus derivata « non aeque procedit (sic *fol.* in memorata *Ca-* » *strimaris* Priv. Canon. 14. Ianuarii 1741. §. *At*), ubi reditus » omnes canonicatus in quotidianis distributionibus consistunt; » tunc enim, non servatis etiam praedictarum poenarum gradi- » bus, licere Episcopo ad canonicatus privationem post elapsum » triennium, quo canonicus renuit ad residentiam se conferre, » praevia legitima eiusdem canonici citatione, procedere, docent » Ventriglia... Pignattellus, Clericatus, Pitonius, Barbosa *de Can.* » *et Dign. cap. 20. num. 18.*, ubi testatur, S. C. Archiepiscopo » Tarentino rescripsisse, *quod etiamsi omnes reditus in quotidianis* » *distributionibus consistunt, pro primo et secundo anno privatio* » *indici non debet; quia cum sint quotidianae, et non percipiat* » *canonicus non residendo, satis est privatus et pro primo et se-* » *cundo.* Et definivit sacrum Tribunal in *Cathacen. Canon.*, ubi » discusso inter cetera dubio tertio: *An ex eo, quod canonicatus* » *Cathacen., quatenus etiam consisteret in solis distributionibus* » *sine praebenda, et sine alia massa grossa in illius privationem* » *ob non residentiam, dictorum temporum dilationes potuerint* » *omitti, eo quia illius dispositio non applicatur, ex quo, fructibus* » *non existentibus, non valeat procedi ad illorum sequestrationem* » *nec in parte, nec in totum, nec in primo, nec in secundo anno,* » *licet hodie e converso succedant loco fructuum et praebendae dictae* » *distributiones, vel earum quota ex dispositione eiusdem Concilii?* » sub die 14. Novembr. 1671. rescriptum fuit: « *Ad 3.: in casu pro-* » *posito posse omitti sequestrationes fructuum, non autem dilatio-*

» *nes temporum.* » (*Lib. 27. decret. pag. 400. et seq.*) Cumque Episcopus Castrimaris in eadem causa huiusmodi dilationes in edenda privationis sententia posthabuisset, ex eo scilicet, quod distributiones praebendae loco haberentur, propositis dubiis: « 1. An sententia privationis lata ab Episcopo sustineatur? Et » quatenus negative, 2. An et quomodo sit procedendum in casu? » die 25. Febr. eiusdem anni 1741. rescripsit: Ad 1. Negative et » amplius. Ad 2. Episcopus procedat, prout de iure, ad formam » Concilii. » Sub nomine generico *Emolumentorum* quid veniat, et an praeter praebendae reditus absens per longum tempus haec emolumenta percipiat, vide *Puteolanen. Susp. a divin.* S. C. Episc. et Regul. 15. Iun. 1855., *Ianuen. Serv. chor.* 8. Aug. 1869.

107. Praeter formam a Patribus Tridentinis praescriptam, quam modo explicavimus, « Episcopus aliam quoque viam (ita » Bened. XIV. *loc. cit. num. 38.*) inire potest ad comprimendos » eiusmodi contumaces. Quippe Sacrum Concilium nequaquam » abrogavit ea, quae sancita sunt, in *Cap.* Ex tuae *de clericis* » *non resid.* (Fagn. ad hoc *Cap. num. 35.*). Quapropter illo trien- » nii spatio permittitur Episcopo eosdem pervicaces *a divinis* su- » spendere, quamvis viam insistere coeperit, quam Tridentina » Synodus indicavit. Attamen, si id faciat, ad privationis senten- » tiam ferendam devenire nequit. Celeberrimum est decretum die » 8. Novembr. 1673. editum in causa *Parentina (lib. 2. decret.* » *pag. 393.). Ut consulatur ecclesiis, quarum servitium detrimen-* » *tum patitur propter absentiam canonicorum, vel beneficiatorum,* » *qui propter redituum tenuitatem residentiae leges contemnunt,* » *quaeritur: Primo, an, durante triennio praescripto a S. Conc.* » *Sess. 23. cap. 12. de Reform., possit adversus obtinentes in ca-* » *thedralibus aut collegiatis dignitates, canonicatus, praebendas,* » *aut portiones, eosque non residentes procedi ad suspensionem ex* » *Cap.* Ex tuae *de cler. non resid.? Et quatenus affirmative; Se-* » *cundo, an id possit etiam post inchoatam viam procedendi a* » *Concilio praescriptam? Sacra Congr. respondit: ad primum Affir-* » *mative. Ad secundum pariter affirmative, exclusa privatione.* » Cum de eodem argumento disceptatio fieret die 3. Febr. 1680. » *in causa Pennen. Resid. (lib. 31. decret. pag. 17.),* Sacra Congr. » respondit: *Servari decretum in causa Parentina editum.* »

108. Adsunt in aliquibus dioecesibus ecclesiae, ubi sacerdotes eisdem addicti, sive quia beneficio potiuntur, sive quia de mensa

communi participant, divini officii pensum vel ex toto, vel ex parte absolvere tenentur, quarum magnus numerus in ditione Neapolitana potissimum reperiuntur, et vulgari nomine *Receptitiae* nuncupantur. Iamvero si huiusmodi sacerdotes ab ecclesia fuerint absentes, potest Episcopus contra ipsos animadvertere poenis tam a iure canonico, quam a Conc. Trid. irrogatis. Cum enim in *Asculana Participantium* 18. Nov. 1662. *(lib. 23. decret. p. 347.)*, ubi de tali ecclesia res erat, quaereretur: « An in dictis partici- » pantibus habeant locum poenae non residentium tam a iure » canonico, quam a S. Concilio inflictae? » S. C. respondit: « Ha- » bere locum. » Imo si huiusmodi participantes non resideant, et admoniti in sua nihilominus absentia perseverent, participatione privari possunt, quin interea necesse sit servari gradus a Concilio Tridentino pro Capitulis praescriptis, veluti colligi potest ex causa *Nullius Terrae Fasani Res.* 3. Ian. 1762., ubi S. C. declaravit, quemdam poenitentiarium teneri ad residentiam personalem in ecclesia receptitia, et, attenta illius contumacia, locum esse admissioni novi presbyteri in eius participationem. Iamvero ex *Folio* eiusdem causae manifesto eruitur, monitionibus quidem locum fuisse factum, minime vero fructuum subtractioni.

« II. An ultra Matutinum, Laudes ceterasque alias horas » canonicas, quolibet die celebrent Missam conventualem. »

« III. An quolibet die eam applicent pro benefactoribus. »

109. In his duabus paragraphis Instructio nostra singulas officii divini horas nominatim enumerat, ut ostendat, nullo unquam die licere Capitulis aliquem huiusce oneris partem relinquere. Quoniam vero in expediendis Antistitum relationibus, potissimum si agatur de dioecesibus extra Italiam, multotics fit, ut super quotidiana totius officii recitatione, ac de Missa praesertim conventuali aliquid animadversione dignum comperiatur, hinc peropportunum arbitror paulo fusius et accuratius sacrorum canonum praescriptionem, universalem consuetudinem, et constantem sacrorum canonum disciplinam super hoc argumento explicare ac solide stabilire. Itaque separatim de Missa conventuali secundo articulo locuturi, primo loco agemus de Officio divino.

Art. I. De obligatione recitandi quotidie totum officium divinum.

Summarium. 110. Pro firmanda obligatione totius quotidie officii divini recitandi adducitur disciplina S. C. Conc. iuri canonico, Conc. Tridentino et universali consuetudini innixa: accedit Bened. XIV., et praxis ipsius S. C. in suis ad relationes responsis. – 111. Nullus, praeter expressum Apostolicum beneplacitum titulus, sive sit consuetudo immemorabilis, sive redituum tenuitas, sive coeli gravitas et inclementia in cathedralibus et collegiatis insignibus legitimam vel in parte, vel in toto per singulos dies omittendae divini officii recitationis causam suppeditat. Aliter esse potest in collegiatis simplicibus. – 112. 113. 114. 115. Utrumque confirmatur idoneis ad rem declarationibus. – 116. Cum antiqua, tum recens S. C. Conc. praxis est, ut contraria consuetudo etiam immemorabilis plane reiiciatur. – 117. Ut hoc iuris ecclesiastici principium sartum tectumque servetur, si in casibus peculiaribus aequae causae concurrant, rei consulitur per benignam S. Sedis dispensationem. – 118. Uni Summo Pontifici reservata est potestas reducendi officii choralis, quin chori praefecto, vel ipsi Episcopo occasione Pontificalium aliarumque functionum ius sit habitualiter permittendi canonicis, ut unam vel plures canonicas horas relinquant, etiamsi consuetudo huiusmodi invaluisset; neque obligationi satisfit per privatam earumdem horarum recitationem. – 119. Quamvis Episcopi Galliarum post Concordatum anni 1801., attentis illius temporis circumstantiis, statuta approbassent, quibus permittebatur, ut non omne divinum officium quotidie recitaretur, posthac vero, rebus in melius conversis, diversimode statuendum esse respondit S. C. Conc., adeoque necessarium esse ad eam rem beneplacitum Apostolicum, quod passim a Capitulis Galliarum impetrari solet. – 120. Recitatio officii parvi B. M. V. ac defunctorum, psalmorum poenitentialium ac gradualium diebus in rubrica designatis obligat ubicumque eiusdem recitationis consuetudo est; aliter vero, ubi non est. – 121. Et S. C. Conc. non ita facile dispensat. – 122. Cum recens esset collegiatae erectio, nec efformandae consuetudini tempus adfuisset, canonicos non esse cogendos edixit S. C. – 123. Recitatio praedicta non obligat canonicos extra chorum officium persolventes. – 124. In choro non potest praecedenti die anticipari. – 125. Aliter est, si adsit consuetudo. – 126. Consuetudo, ut canonici officium divinum capellanis ex parte vel in totum recitandum relinquant, reprobatur, nisi adsit beneplacitum Apostolicum.

110. « Nemo (ita Fol. *Grossetanae Serv. chor.* 22. Nov. 1856. » §. *Quibus*) est, qui nesciat, illud esse constanti Ecclesiae disci» plina sancitum, ut canonicorum Capitula praesertim cathedralia

» ad integrum quotidie divinum officium recitandum in choro » coacta sint. Ita ex *Cap.* Dolentes, et *Cap.* Gravi *Clem. de cel.* » *Miss.*, prout etiam convincitur ex Concil. Trident. praesertim » *cap. 12. Sess. 24. de Reform.* » Idipsum firmat Bened. XIV. *Instit. eccl. 107. n. 7.* Quin etiam S. C. Conc. solemne habet ad hanc constantem Ecclesiae disciplinam et consuetudinem universalem ubique ac semper provocare, eiusque fidelem ac sedulam observantiam urgere, quotiescumque aliquem hac in re defectum ex Episcoporum relationibus deprehenderit, deque eo ad Episcopos responsum reddere contingat.

111. Quaestio dumtaxat oriri potest, an ob consuetudinem immemorabilem alicuius Capituli, vel redituum tenuitatem aliasque causas, veluti coeli gravitatem et inclementiam totum officium, aut eiusdem partem omnibus vel aliquibus diebus praetermittere fas sit. Huiusmodi quaestio, ut certa ratione omnique confusione sublata, enodetur, distinguendum est inter Capitula cathedralium, collegiatarum insignium, et collegiatarum simplicium. Quod enim pertinet ad cathedrales et collegiatas insignes, nulla ratio est, praeter beneplacitum Apostolicum, quae ab integra et quotidiana horum recitatione excuset. Quod vero pertinet ad collegiatas simplices, sive urbanas, sive rurales, redituum tenuitas et consuetudo immemorabilis aliaque legitima ex S. Sedis tolerantia suffragari potest, ut canonici iuxta modum ab hac lege plus vel minus relevati impune abeant. Eam de cathedralibus et collegiatis insignibus, quam innuimus, doctrinam tradunt nobilioris notae doctores, veluti Fagnan. *ad Cap.* Cum omnes *de Const. num. 31.*, Petra *ad Constit. 7. Innoc. IV. n. 27. et seq. tom. III.*, Bened. XIV. *loc. cit. n. 2.*, Crisp. *Vis. past. 2.* §. *19. n. 4, 5. et 13.* Argumentum validissimum etiam petitur ex eo, quod integri quotidie officii persolvendi lex in Conc. Trid. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.* confirmata fuit. Atqui norunt omnes, contra decreta Concil. Tridentini nullam habere vim consuetudines etiam immemorabiles, veluti tenent doctores unanimiter, quos inter Bened. XIV. *Inst. eccl. 60. n. 7.* Alterum argumentum irrefragabile praebet etiam Constit. Bened. XIV. incip. « *Cum semper oblatas* », ubi Pontifex ille declarat, consuetudinem immemorabilem ad eiusdem Missae celebrationem declinandam nullo prorsus modo suffragari posse. Atqui Missa conventualis una pars est officii divini, aeque ac Matutinum, Laudes ceteraeque minores

horae: quod igitur de una parte, idem de ceteris dispositum esse intelligendum est iuxta axioma « ubi eadem est ratio, ibi » eadem dispositio esse debet. »

112. At vero omnem dubitationis umbram dissipat sacer Ordo suis in rem editis declarationibus, quas modo subtexímus. In *Viterbien.* 20. Ianuar. 1643. *(lib. 3. liter. VV. SS. LL. pag. 141.)*, quam refert Crisp. *loc. cit. n. 4.*, S. C. rescribebat: « SS. D. N. » ex sententia Congregationis Concilii declaravit, a residentia ne- » que coeli gravitatem, neque redituum tenuitatem, canonicos » cathedralis Tuscanellae (quae cathedrali Viterbiensi coniuncta » est) excusare. » In *Hieracen.* (ibidem *num.* 5.) 12. Martii 1660. *(lib. decret. anni 1660.)* « exponunt canonici cathedralis Hiera- » censis, se cogi per Episcopum ad servitium chori iuxta formam a » S. Conc. praescriptam, cum tamen ipsi, attenta redituum tenui- » tate et immemorabili consuetudine soliti sint, mense quolibet » in sex partes diviso, alternatim inservire, seu, ut vulgo dicitur » per sextariam; supplicant, iniungi Episcopo, nihil innovare. » Quaeritur, an sit annuendum Oratorum petitioni? « Sacra Con- » gregatio Concilii censuit, non esse annuendum, sed servitium » praestandum ad formam Concilii. In *Fundana (lib. 4. literar.* » *SS. LL. pag. 8.* apud Crisp. *l. cit. num. 13.):* Si collegiatae istius » dioecesis sint insignes, canonici tenentur omnino residere, non » obstante contraria consuetudine etiam immemorabili, utpote » sublata ipsius Concilii decreto, *cap. 12. Sess. 24. de Reform.* » Quod si non insignes existant, tum canonici onus habent re- » sidentiae, nisi istae non insignes ecclesiae collegiatae essent » rurales, prorsus destitutae, aut in quibus supra hominum me- » moriam nunquam solitum esset resideri, aut adeo tenues re- » ditus essent, ut canonicos aliunde non habentes, unde vivant, » alere non possent. » Consona est causa *Burgen.* anni 1573. *(lib. 1. decret. pag. 35. a tergo* apud Bened. XIV. *l. c. n. 2.)*.

113. Quod autem aliter se res habeat de collegiatis non insignibus, patet ex his declarationibus, quas affert Fagnan. *l. c. n. 31.* « Quo vero ad collegiatas (sic ipse), cum Episcopus *Comen.* » habens in sua dioecesi plures collegiatas ecclesias, non tamen » insignes, consuluisset S. C. Conc., an, si in eis a tempore im- » memorabili nunquam consueverit resideri, posset compellere » Capitulum ad residendum iuxta *cap. 12. Sess. 24. de Reform.?* » S. C. censuit *cap. 12.* supradictum intelligi de omnibus colle-

» giatis, etiam non insignibus: nisi tamen istae non insignes
» collegiatae essent rurales prorsus destitutae, aut in quibus nun-
» quam antea supra hominum memoriam solitum esset resideri,
» aut quae adeo tenuis reditus essent, ut canonicos non habentes,
» unde vivant, alere non possint. »

114. « Sed postea cum subdubitatum esset, an decisio S. C.
» ut consuetudo immemorabilis excuset a residentia, procederet
» in collegiata non insigni tantum rurali, an vero etiam in ur-
» bana, ita ut illà verba *aut in quibus* non repeterent dictio-
» nem, *rurales;* cum autem quidam dicerent, Gregorium XIII.
» in una *Patavina* de immemorabili in non insignibus aliter sen-
» sisse, relatum est ad eum decretum S. C.; Sanctitas sua pro-
» bavit, quod visum fuit S. Congregationi, ut scilicet, quando
» ecclesiae non sint insignes, sola immemorabilis consuetudo non
» residendi excuset: sed in cathedralibus et collegiatis insignibus
» non excuset.

» Postea S. C. eadem de re rursus habita declaravit, illa verba
» decreti a se editi, videlicet in quibus nunquam antea supra
» hominum memoriam solitum fuerit resideri, intelligenda esse,
» si a nullo prorsus solitum fuerit resideri: secus si alii resede-
» rint, alii non: tunc enim qui non resederint, compellendos
» esse ut resideant. »

115. Cum igitur Visitator Apostolicus collegiatae civitatis Laviniae canonicos decreto suo ad quotidianam officiaturam obstringere vellet, S. C. Visit. Apost. die 28. Augusti 1704. declaravit, servari solitum, quod erat de inserviendo festis tantum diebus, licet alioquin canonici haberent pingues reditus, teste Card. Petra *l. c. n. 30.* Itidem S. C. Conc. in *Narnien. Serv.* 26. Apr. 1658. *(lib. 21. decret. pag. 612.)* declaravit, non sustineri decretum Episcopi demandantis diurnum officium in collegiata Otricoli, cum obstaret consuetudo. (Petr. *l. cit.*).

116. Quae modo attulimus abunde demonstrant, quam certa et solida sit distinctio inter ecclesias cathedrales et collegiatas, easque insignes vel non insignes circa quaestionem de consuetudine immemorabili admittenda vel reiicienda. Ut autem magis magisque appareat, eamdem consuetudinem nihili esse habendam, quando agitur de cathedralibus, coronidis loco subdimus, S. C. nunquam nec antiquo nec novissimo tempore ab hac disciplina recessisse. Lambertinus quo tempore Secretarii munere fungeba-

tur, in *Fol. Anglon.* 2. Octob. 1723. testabatur: « in eo, quod » attinet ad exempla consuetudinis admissae, aut indulti, quo » assistentes choro in ecclesia cathedrali integrum in eodem non » persolvunt officium divinum, nec a scribente, nec a me ratione » muneris, ullum reperiri potuit exemplum: » Subsequa tempora quod respicit, S. C. in memorata *Grossetana* 22. Nov. 1858. §. *Usque res* post exscripta Lambertini verba ita subdit: « Quod » Lambertinus de suo tempore asseverabat, idipsum nunc, sal- » tem quoad consuetudinis admissionem, affirmari posse videtur » arguendo ab exemplis, quae de sequiori tempore in resolutio- » num thesauro occurrunt. » Quae exempla singulatim ordine ibidem deinceps referuntur. Denique S. C. in ipsa *Grossetana*, quod in folio docebatur, sua declaratione confirmavit, prout constat ex facti specie, quam referimus. Capitulum Grossetanum ante Concilium Trident. iam habebat in more positum, ne totum quotidie divinum officium absolveret. Post Conc. Trident. identidem Episcopi suis decretis accuratam Tridentinae sanctionis observantiam inculcaverunt, licet incassum. Anno denique 1669. illius temporis Episcopus suo decreto permittere se posse putaverat, ut quotidie diebus ferialibus Matutinum et Laudes omitterentur, eaque ratione canonici usi erant ad haec usque tempora. Cum tamen in expendenda relatione status ecclesiae Grossetanae S. C. hunc defectum cognovisset, et sacros canones observandos esse suis literis significasset, canonici assecuti sunt, ut res ad plena S. Congregationis comitia referretur. Itaque die 20. Nov. 1841. dubium propositum fuit: « An et quomodo approbandum sit cho- » rale servitium, quod praestat Grossetanum Capitulum in casu? » S. Cong. respondit: « Dilata, et exquirantur exempla et reassu- » mantur relationes VV. SS. LL. de statu ecclesiae Grossetanae. » Aliquibus annis quaestio siluit; at vero in hanc rem efficacius instante S. C. in literis, quibus ad triennales relationes rescribebatur, denique iterum, audito Capitulo, dubium ipsum propositum fuit die 22. Novemb. 1856. At S. C. respondit: « Nihil » pro nunc innovetur; sed Episcopus curet, ut, quamprimum » fieri possit, generalis ecclesiae disciplina super integra recita- » tione divini officii servetur. »

117. Qua firmitate usus est sacer Ordo in reiicienda consuetudine etiam immemorabili, de qua locuti sumus, non eadem usus est in indulgenda servitii choralis reductione, nempe venia,

ut servitium chorale certis tantum diebus, vel partibus compleatur. Huiusce emolliendae disciplinae potissimum causa fuit rei sacrae ubique fere hisce temporibus insecuta turbatio, unde praeter alias causas in primis canonicalium redituum et canonicorum numerus multis in locis plurimum imminutus est. Quapropter ipsa haec S. Congregatio, ut, quoad fieri posset, disciplinae huiusce vim sartam tectamque custodiat, simulque locorum ac temporum rationem habeat, quando ita aequitas suadere videatur, solet Episcopos hortari, ut canonicos inducant ad hanc veniam supplici libello expostulandam. Siquidem ipse sacer Ordo, re diligentissime exposita, postquam iustas impedimentorum difficultatumque causas maturo consilio discusserit et approbaverit, accedente testimonio et commendatione ipsorum Episcoporum, non abnuit eorumdem petitionem excipere iuxta modum, quem magis in Domino expedire iudicatum fuerit.

118. Ex his, quae modo statuimus, quisque per se potest inferre, potestatem reducendi servitii choralis penes Summum Pontificem residere, minime vero penes Episcopos. In *Grossetana* iam notatum est, nihil illi Capitulo suffragatum fuisse episcopale decretum anni 1669., etiamsi duorum fere saeculorum observantia eidem decreto accessisset. Sed nec ius est Episcopo habitualiter canonicos a choro eximere etiam in parte iuxta id, quod declaratum est in *Lauretana Dispens.* 23. Apr. 1853. *per Sum. prec.* Capitulum Lauretanum in pacifica et immemorabili possessione versabatur sese dispensandi a recitatione Completorii, necnon Sextae ac Nonae, cum solemnia Pontificalia occurrerent, eamdemque veniam implorandi ab Episcopo, vel Vicario Generali, cum extraordinarias functiones fieri contigisset. Anceps Episcopus, an huiusmodi ratio abnormis esset necne, sacri Ordinis oraculum percontatus est, eique datum fuit responsum: « Abusum, » de quo agitur, non esse tolerandum. » Cum tamen haec res iterum novis, iisdemque amplioribus firmata momentis, die 17. Dec. seq. *per. Summ. precum.* proposita fuisset, et insuper petitio saltem ex gratia addita fuisset, responsum prodiit: « In decretis » et ad mentem: mens est: consulendum SSmo, ut facultas im- » pertiatur Episcopo dispensandi in singulis casibus necessitatis, » onerata eius conscientia. » Super hoc argumento attendenda est resolutio ad quatuor dubia in causa *S. Hippolyti Servitii chori et Missae conv.* 23. Ian. 1864., ubi allatae doctrinae confirmatio-

nem acceperunt. Item attendenda est etiam resolutio S. C. Rit., videlicet « Apud Capitulum *Civitatis Plebis* pluribus abhinc an-
» nis usus invaluit omittendi recitationem horarum canonicarum
» Sextae nimirum et Nonae voce chorali post Missam con-
» ventualem, easque recitandi submissa voce tempore eiusdem
» Missae varias ob causas: nimirum 1°. quando Episcopus pontifi-
» caliter celebrat, vel in sede pontificali Missae assistit; 2°. quando
» protrahitur servitium chori ob prolixiorem Missam sive ob ex-
» traordinariam aliquam functionem; 3°. temporibus Adventus et
» Quadragesimae ratione concionis. Quaeritur ergo 1°. An huius-
» modi usus valeat continuari? Et quatenus negative, 2°. An va-
» leat continuari de licentia archidiaconi, seu, illo absente, de
» licentia antiquioris canonici praefecti chori? Et quatenus ne-
» gative, 3°. An saltem valeat continuari de licentia Episcopi? »
S. Rit. Congreg..... omnibus mature perpensis accurateque consideratis..... rescribendum censuit: « Negative in omnibus, nec
» satisfieri chori obligationi per privatam recensitam recitationem
» Sextae et Nonae tempore Missae conventualis. Die 16. Martii
» 1833. Civitatis Plebis. » (Gardellini num. 4699.)

119. In expendendis relationibus dioeceseon Gallicae nationis, non semel compertum est, Episcopos in confirmandis constitutionibus capitularibus tum cum ex decreto Card. Caprarae Capitula, quae prius exstincta fuerant, mox iterum restituta sunt, illud permisisse, ut canonici non omnes divini officii horas impune possent persolvere. Qua venia confisi canonici nulla Apostolica venia sese indigere putabant, ut in hac agendi ratione prosequi possent. At perperam; quo enim sensu Card. Caprarae decretum intelligendum sit, S. C. significavit Episcopo Carnotensi in literis diei 8. Iul. 1861. hisce verbis: « Etenim cuique de-
» cretum illud legenti exploratum perspectumque est, Archiepi-
» scopis datam quidem fuisse potestatem id circa officiorum di-
» vinorum celebrationem statuendi, quod iidem opportunum et
» utile iudicassent in acerbissimis illius temporis circumstantiis;
» sed memoratus Cardinalis tempora meliora tandem obventura
» confidens, expresse cavit, ut salva maneret eorum Archiepi-
» scoporum et Episcoporum successoribus statutorum immutan-
» dorum facultas et religiosa sacrorum canonum observantia. Hinc
» factum est, ut plura Galliarum Capitula, rebus postea in me-
» lius conversis, precariam illam regularum ordinationem vel

» ultro vel ab hoc Sacro Ordine excitata immutarent, auctorante » Episcopo, ad normam sacrorum canonum, sin minus, Apostoli- » cam impetraverint veniam, qua peculiaribus prospiceretur lo- » corum et temporum difficultatibus. » Idem Sacra Congregatio perscripsit die 6. eiusdem mensis et anni Episcopo Ambianensi et Episcopo Atrebatensi, necnon et alias aliis Episcopis.

120. Ad hunc articulum de integritate officii divini praestandi referri debet obligatio canonicorum recitandi officium parvum B. M. V. et defunctorum, psalmos poenitentiales, et graduales diebus, qui a rubrica generali praescribuntur. Qua in re licet S. Pius V. antiquae disciplinae rigorem non parum temperaverit, et indulgentias recitantibus dispensaverit, prout adnotat Fagn. ad *Cap.* Presbyter *de Miss. cel. n. 32. et seq.*, Bened. XIV. *Inst. eccl. 107. n. 8. et seq.*, id tamen iuxta Pianam Constitutionem pro norma sancitum est, ut, ubi consuetudo vigeat eadem officia ac psalmos recitandi, accurate servetur; ubi vero consuetudo aliter ferat, eadem recitatio posset sine piaculo omitti. Huiusmodi articulus formiter discussus fuit in *Montis Alti* 28. Septemb. 1754., in quo Episcopus canonicos cathedralis ad eam recitationem cogere se posse putabat, licet ibi neque ex lege fundationis, neque ex statuto, neque ex consuetudine huiusmodi obligatio adesset. Itaque proposito dubio: « An canonici eccle- » siae cathedralis Montis Alti ultra horas canonicas teneantur » quoque in choro recitare officium defunctorum, B. M. V., psal- » mos poenitentiales, et graduales diebus in Breviario designa- » tis, sive potius servanda sit consuetudo in casu? » S. C. respondit: « Servandam esse consuetudinem. » Idipsum declaratum fuerat in *Acerrarum* 23. Aug. 1727. *ad dub. 12.*, necnon in pluribus resolutionibus a S. C. Rit. evulgatis.

121. Quod si consuetudo aliter invaluerit, S. C. non ita facile canonicos ab hac obligatione solet eximere. Nam cum in *Signina Serv. chor.* 17. Febr. 1838. peteretur in dub. 2.: « An et » quomodo indulgendum sit Capituli precibus quoad psalmos poe- » nitentiales et graduales, et officium defunctorum in casu? » S. C. rescripsit: « Negative, et servandam esse consuetudinem. »

122. Quid tamen, si cathedralis aut collegiata recens erecta fuerit, neque ulla consuetudo possit ad hoc praeferri? Hanc quaestionem resolvit S. R. C. in Firmana die 14. Ian. 1755. « Sup- » plicantibus Praeposito et canonicis insignis collegiatae S. Ste-

» phani Proto-martyris Montis Sancti, Firmanae dioecesis, nuper a
» SS.D.N.Bened.PP. XIV. institutae, declarari a S. C. Rit., an ipsi
» cogi possent ad recitationem in choro statutis diebus Officii B. M.
» V., et defunctorum, psalmorum quoque poenitentialium et gra-
» dualium iuxta rubricas Breviarii Romani, constitutiones synodales
» et consuetudinem Firmanae dioecesis? Et proposito dubio per
» Emum et Rmum D. Card. Tamburini S. Congregationis Praefectum
» et huius instantiae Ponentem, audito prius Rmo Archiepiscopo,
» Emi Patres unanimi fuerunt in sensu: « Non esse cogendos etc.
» Ita S. Cong. decrevit et servari mandavit. » (Gardellini, n. 4254).

123. In hac materia recolendae sunt subsequae declarationes S. C. Rit.: « Psalmi graduales suntne nunc de praecepto pro choro?
» Suntne saltem de praecepto pro canonicis non legitime dispen-
» satis a choro? Quid si ex legitima dispensatione absint? Idem
» dicendum de officio defunctorum, psalmis poenitentialibus, et de
» officio parvo B. M. V.? » S. C. audito prius voto unius ex Apostolicarum caeremoniarum Magistris, respondendum censuit: « Ca-
» nonici extra chorum officium persolventes non tenentur ad
» psalmos graduales, ad officium defunctorum, B. M. V. etc., quae
» quidem officia sunt onera tantummodo ex praecepto implenda
» in choro. » (Gardellini, n. 4119).

124. Et apud eundem Gardellinium n. 4874.: « Tempore
» Quadragesimae, quando fit officium feriale, cui adnexum est
» officium parvum B. M. V., vel psalmi graduales aut poenitentiales,
» haec additionalia anticiparine possunt die praecedenti post Com-
» pletorium, si anticipatur divini Officii Matutinum? » S. R. C. die 31. Aug. 1839. in un. Ord. Min. Capucinorum rescribendum censuit: « Seclusa peculiari consuetudine servanda, recensita additionalia obligant in choro tantum, quae non sunt anticipanda, quia sunt onus dici. »

125. « Laudensis ecclesiae canonici et Capitulum Sacrae Rituum Congregationi exposuerunt, ex antiqua et inveterata consuetudine, etiam ante reformationem Breviarii fel. rec. Pii PP. V., se solitos esse, tempore Quadragesimae recitare psalmos graduales feria III. post Completorium, qui feria IV. ante Matutinum iuxta rubricas dicti Breviarii reformati recitandi sunt; et feria V. post Completorium psalmos poenitentiales, qui secundum dictas rubricas feria VI. post Matutinum recitari debent. Quam eorum antiquam et inveteratam consuetudinem, ut in posterum sine aliquo

conscientiae scrupulo continuare possint, licet penitus dictis rubricis Breviarii reformati conformis non sit, licentiam petierunt. » S. R. C. censuit et declaravit die 2. Augusti 1603.: « Canonicos et Capitulum praedictum allegatam consuetudinem, quatenus vere, ut narratum est, adsit, continuare posse. »

126. Ex relationibus Episcoporum aliquando compertum est, in nonnullis Capitulis hunc esse morem inductum, ut canonici non omnibus divini officii partibus semper adsistant, sed huic muneri ex omni parte capellani, aliaeve adsimiles personae satisfaciant. Iamvero S. C. Conc. hisce in casibus, tametsi Pontificia indulgentia utendum duxerit, attamen diserte animadvertere non omisit, morem hunc abnormem prorsus esse, neque consuetudinis clypeo, vel Episcopi decreto posse fulciri. Id ex. gr. evenit in Capitulo Wratislavien., Nitrien., et aliis, quibus proinde S. C. in responsione ad relationes Episcoporum earum dioeceseon praecepit, ut disciplinae ecclesiasticae sese conformarent, vel saltem Apostolicam veniam expeterent.

Art. II. De Missa conventuali.

Summarium. 127. Bened. XIV. in Constit. *Cum semper oblatas* plura sapientissime de Missa conventuali decrevit, et ita quamplurimis controversiis iam agitatis vel agitandis caput amputavit. – 128. Conventualis Missae obligatio ecclesias omnes patriarchales, metropolitanas, cathedrales et collegiatas afficit, minime vero simplices ecclesias, licet ibidem divinum officium celebretur non secus ac in collegiatis. – 129. Ad Missae conventualis celebrationem tenentur canonici, mansionarii aliique choralia beneficia possidentes; cumque invaluisset in cathedrali *Auximana* consuetudo, ut eadem a beneficiatis non choralibus, ac tantummodo titulum ibidem habentibus celebraretur, S. C. Conc. edixit, ad capitulares eam obligationem spectare, et Missae eiusdem eleemosynam non a beneficiatis, sed ex massa distributionum esse persolvendam. – 130. Capitulares praedicti per turnum eam celebrare tenentur; Episcopo non licet aliquem capitularem, licet cura animarum gravatum ab eadem eximere. – 131. Quando per turnum eadem celebratur, si praebendae separatim administrentur, tempore vacationis a subcollectore spoliorum eleemosyna solvenda est. Imo et punctaturae ab eodem solvendae sunt, nulla habita ratione anteactae contrariae consuetudinis. – 132. Si adest una massa communis canonicorum sive primae, sive secundae erectionis, sive mansionariorum, eleemosyna ab eadem desumenda est, si adest massa di-

stincta, desumenda est ex massa respectiva cuiusque coetus. Si nulla adest massa, ex praebendarum reditibus conficienda prudenti arbitrio Episcopi relinquitur. – 133. Missa conventualis canenda est hora per rubricam designata, nec valet contraria consuetudo. – 134. Applicatio secundae ac tertiae Missae de feria obligat, si adsit consuetudo; si deest, laudatur, non praecipitur. – 135. Haud facile S. Cong. dispensationem ab applicanda secunda ac tertia Missa concessit: potius utramque sine cantu celebrari indulsit. – 136. Missa conventualis non potest subrogari Missae de Requiem, sed utraque celebranda est, quando utriusque celebrandae casus adveniat. – 137. Ideoque huic obligationi Missam pro defunctis perlitandi non satisfit per Missae privatae celebrationem. S. C. neque voluit indulgere, ut Missa conventualis de feria, quae iuxta morem non applicabatur, applicari posset in satisfactionem Missarum pro defunctis. – 138. 139. Dumtaxat ex gravissimis ac extraordinariis circumstantiis in *Clodien.* et *Ventimil.* S. Cong. ad decennium indulsit super Missa secunda ac tertia sine cantu offerenda et Missis de Requiem subroganda, Missaque privata anniversariis substituenda. – 140. Celebratio Missae pro benefactoribus in specie non suffragatur circa obligationem celebrandi pro benefactoribus in genere. Item neque celebratio parochialis Missae pro populo. Quando parochus utriusque oneri eadem die satisfacere tenetur, unam per se, alteram per alium suo sumptu celebrare debet. – 141. Item non suffragatur pontificalis ab Episcopo Missa celebrata: qua concurrente, Missa conventualis ab hebdomadario Capituli ante vel post pontificalem lecta est celebranda.

127. Bened. XIV. in sua perceclebri Constitutione incip. *Cum semper oblatas* diei 19. Aug. 1744. postquam plura sapientissime declaravit circa obligationem, quae parochis inhaeret, offerendi pro populo Missae sacrificii, de qua re suo loco nobis agendum erit, multa etiam alia non minori sapientia sancivit circa obligationem, qua Capitula omnia tenentur, celebrandae applicandaeque Missae conventualis pro benefactoribus in genere. Per ea, quae ibidem speciatim definivit Summus ille Pontifex, caput amputatum est quampluribus quaestionibus, quae antea super hoc argumento a doctoribus versabantur; et insuper via tutissima patefacta est, qua similes controversiae, quae in posterum suboriri possent, facili negotio dissolverentur. Itaque rem utilissimam facturos nos esse censuimus, si iuxta institutum nostrum totam eam Constitutionem exhiberemus in volumine III. sub num. 23.

128. Missa conventualis ex clara praescriptione eiusdem Pontificis celebrari debet in omnibus ecclesiis patriarchalibus, metro-

politanis, cathedralibus et collegiatis. Quod si adsit ecclesia, quae vero et proprio collegialitatis titulo careat, etiamsi a pluribus beneficiatis chorale officium, sive circa aliquas, sive circa omnes canonicas horas celebrari debeat, ex sacrorum canonum sanctione eadem obligatio ei non inest, neque ab Episcopis iniungi potest, prout elicitur ex sequenti resolutione. In oppido Terrae Martae, Faliscae dioecesis, exstat ecclesia collegiatae appellatione vulgo nuncupata, cum beneficiatis, qui canonicorum capitularium et supranumerariorum nomine appellantur. Cum tamen eadem ecclesia canonico collegiatae titulo proprio careat, proposito dubio in *Montisfalisci* 12. Febr. 1718.: « An canonici nuncupati ecclesiae » S. Mariae Terrae Martae teneantur ad celebrationem Missae » conventualis in casu? » S. Congr. respondit: « Negative et am- » plius. » Item in *Praenestina Miss. conventual.* 17. Apr. 1779. ad dubium: « An constet de collegialitate ecclesiae S. Pauli Ge- » nazzani, ita ut celebranda sit Missa conventualis pro benefa- » ctoribus in genere? » S. C. rescripsit « Negative et amplius. » Tandem cum Card. Canale decretum tulisset, quo capellanos canonicorum nomine compellatos in ecclesia S. Mariae Terrae Cerbariae, Sublacensis abbatiae, ad applicationem Missae conventualis diebus Dominicis et festis de praecepto pro benefactoribus obligabat, re delata ad S. C. Conc., haec declaravit, huiusmodi decretum non sustineri. *Null. Sublac.* 7. Iul. 1781.

129. In ecclesiis cathedralibus et veris collegiatis ad Missae conventualis ferendum onus tenentur canonici, mansionarii aliique omnes choralia beneficia possidentes, ut disertis verbis in Constitut. *Cum semper oblatas* declaratur. At vero potest non raro intercidere, ut in istiusmodi ecclesiis adsint beneficia, quae licet ibi titulum obtineant, de choro tamen dici nequeunt: quo in casu ipsorum beneficiorum rectores neque ad Missam celebrandam, neque ad quamlibet pro hac celebratione pensitandam taxam possunt obstringi, etiamsi adsit consuetudo in contrarium inducta. In *Auximana Miss. conv.* 16. Dec. 1820. consuetudo invaluerat, ut in cathedrali Missa conventualis, exceptis certis diebus, celebraretur ab iis beneficiatis, qui aliquod peculiare beneficium in altaribus eiusdem ecclesiae obtinebant, quique pro sui beneficii fundatoribus sacrificium applicabant, quin tamen commune aliquid cum clero ecclesiae illius haberent. Invaluerat etiam, ut iidem taxam scutatorum quindecim quotannis persolverent in

eleemosynam pro conventuali erogandam, quoties, ut pluries accidebat, ad eam celebrandam sacerdotes extranei accerserentur. Itaque propositis dubiis: « 1. An, et ad quos spectet onus cele- » brandi Missam conventualem quotidianam in casu? 2. An, a » quibus, et in qua summa sit solvenda eleemosyna Missarum » pro benefactoribus in casu? 3. An sit locus exactioni taxae » scutatorum 15 a beneficiatis, qui non sunt de clero cathedra- » lis in casu? » responsum fuit: « Ad 1. affirmative, et spectare » ad capitulares tantum ad formam Benedictinae Constitutionis. » Ad 2. affirmative ex massa distributionum ad rationem obolo- » rum viginti. Ad 3. negative. »

130. Omnes praebendati, qui clerum capitularem efficiunt, ad Missae conventualis celebrationem et applicationem vicissim, sive, ut aiunt, per turnum obstricti sunt, ceu resolvit S. Cong. in *Fanen.* Miss. convent. *ad 3.* 29. April. 1780., *Faventina* Miss. convent. 29. April. 1780., *Aesina* Miss. conv. 9. Sept. 1843., *Albinganen.* Miss. conv. *27. April. 1844.* Neque fas est Episcopo proprio marte aliquem a turno eximere, etiamsi ageretur de canonico, cui cura animarum immineat; namque in memorata *Albinganen.* proposito dubio: « An et quomodo sustineatur episcopale statutum circa » exemptionem Praepositi (parochi) a Missa conventuali per tur- » num celebranda et applicanda in casu? » S. C. respondit: « Negative. »

131. Quando Missa conventualis per turnum a canonicis aliisque choro addictis celebrari solita est, si ab iisdem separatim sua praebenda administratur, eveniente casu vacationis, persolvi debet eleemosyna pro eiusdem celebratione a subcollectore spoliorum, ubi Apostolicae spoliorum camerae sua iura exercere integrum est. In *Firmana* siquidem *Miss. convent.* diei 20. Ian. 1838. cum id reapse accidisset, et dubitaretur: « An et a quo persol- » venda sit eleemosyna Missae conventualis pro tempore vaca- » tionis praebendae in casu? » S. C. resp.: « Affirmative a sub- » collectore spoliorum. » Quin insuper a subcollectore spoliorum persolvi etiam debent punctaturae pro tempore vacationis praebendae, ut eadem S. C. definivit in *Praenest.* Distribut. 25. Maii 1833. Cum enim per decem mensium spatium vacasset unus e canonicis supranumerariis, qui, utpote massa communi distributionum destituti, certam pro singulis fallentiis pecuniam, sive, ut aiunt, punctaturam persolverent, novellus canonicus a Capitulo apud

S. Congr. Conc. deductus fuit, ut punctaturam pro decem vacationis mensibus iuxta morem in antecedentibus eiusdem vacationibus inolitum de suo praestare cogeretur. At S. Congr., nulla consuetudinis anteactae habita ratione, respondit, punctaturas a subcollectore spoliorum, qui fructus canonicales perceperat, minime vero a canonico pensitandas esse.

132. Penes plurima Capitula more institutum est, ut Missa conventualis diebus festivis a canonicis, diebus ferialibus a beneficiatis, seu mansionariis celebretur; quam profecto rationem non improbat S. Congreg. Hisce tamen in casibus eleemosyna pro eiusdem celebratione persolvi solet; eleemosyna vero iuxta sanctionem Benedictinae Constitutionis a massa distributionum desumenda est. Itaque aut adest massa communis, et ex ea stipendium assignari debet, prout constantissime rescripsit S. Congreg., praesertim in *Lucana* Miss. conv. 28. Febr. 1750. *ad 3. et 4., S. Severini* Miss. conv. 24. Mart. 1764. Quod si distincta sit massa communis, ut canonici suam, capellani suam obtineant, idemque fiat de canonicis primae erectionis et canonicis secundae erectionis, tum eleemosyna elici debet ex respectiva massa, ut in *Aesin.* Miss. conv. 9. Sept. 1843. *ad 2.* Si vero nulla est massa communis, tunc conficienda est arbitrio Episcopi ex reditibus omnium praebendarum per contributum. Nam in *Monasterien. VV. SS. LL.* 10. Ian. 1846. propositis dubiis: « I. An » vicarii ecclesiae cathedralis, (qui erant praebendati chorali ser- » vitio addicti, non secus ac mansionarii) Missam conventualem » pro benefactoribus gratis applicare teneantur, seu potius illis » pro hac applicatione stipendium debeatur a Capitulo solven- » dum in casu? – Et quatenus negative ad primam partem, af- » firmative ad secundam, – II. An idem vicarii stipendium exigere » possint pro tempore praeterito, quo Missam conventualem ap- » plicaverunt in casu? » S. C. respondit: « Negative ad primam » partem, affirmative ad secundam ex massa conficienda arbitrio » Episcopi per contributum ex reditibus omnium praebendarum. » Ad II. non expedire.» Idem statutum fuit in *Paderbornen.* 28. Iun. 1865. (Vide *Acta S. Sedis* Vol. 2. p. 21.), *Maceraten. Miss. conv.* 31. Mart. 1860., *Lucana Miss. conv.* 14. Sept. 1867. Si taxa Missae augeatur, augeri debet etiam contributum.

Non infrequenter usuvenit, ut capellani corpus peculiare constituant a Capituli corpore distinctum, unaque bonorum suorum

administrationem a censu capitulari seiunctam retineant. Quo quidem in casu, si non adsit massa pro solvenda eleemosyna Missae conventuali debita, quaestio suboritur, ex quibus bonis massa eum in finem conficienda desumi debeat: iamvero pronum est respondere, ex bonis ad corpus capellanorum pertinentibus conflandam esse pro persolvenda eleemosyna illarum Missarum, quae a capellanis perlitari debent; ac similiter ex censu capitulari constituendam esse massam pro eleemosynis per canonicos persolvendis, veluti S. C. tenuit in *Ianuen.* Miss. conv. 8. Iul. 1843. ac nuperrime post acre certamen in *Volaterrana* Miss. conv. 6. Maii 1865.; in qua insuper eleemosyna praestituta fuit ad taxam synodalem.

133. Missa conventualis canenda est hora, quam rubrica praescribit, neque attendi potest consuetudo etiam immemorabilis, ut eadem post Nonam decantetur. Nam, ut exstat apud Gardell. *n. 4293. in Venusina:* « Porrecto S. Rit. Congregationi nomine » Capituli et canonicorum ecclesiae cathedralis Venusinae sup- » plici libello pro resolutione sequentis dubii: An Missa conven- » tualis, attenta immemorabili consuetudine, cani possit post No- » nam, non obstantibus rubricis generalibus Missalis in contra- » rium disponentibus? S. Cong. ad relationem mei infrascripti » Secretarii respondendum censuit: Negative, et quoad horas ce- » lebrandi Missas conventuales de Sanctis et de feria, servandas » esse rubricas Missalis Romani. *Die 9. Aug. 1760.* »

134. Quoniam vero de secunda ac tertia Missa conventuali de Sanctis et de feria incidit mentio, non erit inopportunum addere aliqua ad huiusmodi Missas pertinentia. In Constitutione *Cum semper* Bened. XIV. declaratum est, applicationem harum Missarum vim habere obligandi in iis Capitulis, ubi consuetudo easdem applicandi viguerit: minime vero ubicumque consuetudo aliter ferat. Ex quo satis perspicue colligitur, eiusdem celebrationem sive cum applicatione, sive secius in suo robore permanere iuxta praescriptionem rubricae generalis, cuius exactissimam custodiam diserte commendat et inculcat eo loci Pontifex doctissimus. Neque immerito; nam S. C. Rituum renovando alias edita decreta, ex oraculo SSm̃i rubricas Missalis Romani servari in omnibus et per omnia praecepit, non obstante quocumque praetextu et contraria consuetudine, quam abusum esse declaravit, ceu refert Fagnanus in *Cap.* Cum creatura *de celebr. Miss. num. 29.*

135. Itaque Sac. Congr. Conc. difficilem sese usque ad superiora proxima tempora praebuit, quoties exemptionem ab hoc onere Capitula adprecata sunt. In *Lycien.* 16. Mart. 1826. proposito dubio: « An in Vigiliis et Quadragesima unica tantum » Missa sit celebranda in casu? » S. C. respondit: « Negative. » Negativum responsum aeque dederat in *Comen.* 28. Sept. 1771. Quod si aliquando eadem S. C. indulgentiam aliquam hac super re adhibuit, hanc eo redegit, ut sineret secundam ac tertiam Missam absque cantu celebrari, ceu videre est in dicta *Comen.*, in *Firmana 7. Iun. 1848.*, in *Derthonen.* 12. Sept. 1829. confirmata die 27. Iul. 1844.

136. Missa conventualis subrogari non potest Missae de Requiem, ita ut haec pro illa celebretur; obstat enim *Cap.* Cum creatura *de celebr. Miss.*, ubi sancitur: « ut pro anniversariis de- » functorum et pro festo vel feria secundum temporum congruen- » tiam Missarum solemnia conventualiter celebrentur. – Ex quo, » (ita S. Congr. Conc. in *Clodien. VV. SS. LL.* 14. Febr. 1846. » §. *Ad alteram*) inferunt doctores, Missam conventualem de feria » propter anniversaria defunctorum non esse omittendam, (Fa- » gnan. ad dictum *cap. num. 7.*), itemque anniversario occurrente » in collegiatis ecclesiis, cantari debere duas Missas, unam pro » defunctis, aliam de festo vel feria (Fagnan. *loc. cit. n. 3. et 23.*). » Idipsum quoque statuitur in Missalis rubricis *Tit. de Miss.* » *def.* §. *2.*

137. « Huic autem anniversariorum obligationi neque substi- » tuendo Missae privatae celebrationem satisfieri, docet idem » Fagn. *loc. cit. num. 29., nam plus suffragii capit anima defuncti* » *ex Missa solemni in choro cum interventu plurium sacerdotum,* » *quam ex Missa privata; unde Ecclesia solvendo, quod minus est,* » *liberationem non consequitur.* Et addit *num. 10. et 11.* huic rei » obstare decretum Conc. Trid. *cap. 15. Sess. 25. de Reform.* iuxta » resolutionem sacri Ordinis, qui censuit, a beneficiatis ecclesiae » collegiatae S. Petri Caslensis, Iprensis dioecesis, Missas can- » tandas esse iuxta fundationem, etiam in illis diebus, in quibus » ex praescripto Missalis cantatur alia Missa. Et pressius cum » Capitulum Melphictense efflagitasset veniam applicandi Missam » ferialem, ab cuius applicationis onere exemptum est, pro satis- » factione anniversariorum feriali tempore occurrentium, huius- » modi resolutionem relatam inter *Summaria precum*, in comitiis

» diei 12. Iunii superioris anni, nempe *1845*. reiiciendam duxerunt
» Emi Patres, edito rescripto: Non expedire. »

138. Nihilominus S. C. in praedicta *Clodien.* cum repetitis enixe precibus Clodiensis Episcopus ob extraordinarias et gravissimas circumstantias dispensationem super tribus articulis de Missa secunda ac tertia sine cantu offerenda, de Missa conventuali Missis de Requiem subroganda, deque Missa privata anniversariis substituenda etiam atque etiam postulasset, S. C. die 4. Apr. 1846. ad dubium: « An et quomodo annuendum sit preci-
» bus Episcopi Clodiensis in casu? respondit: Attentis peculia-
» ribus circumstantiis ac praevia absolutione quoad praeteritas
» omissiones, celebrata unica Missa cum cantu, integro adstante
» Capitulo, firmaque concessione super applicatione Missae con-
» ventualis ad dies festos, pro gratia quoad Missas de feria ac
» vigilia, ut sine cantu et cum libera applicatione celebrentur
» in choro; necnon ut ferialibus diebus Missa conventualis de
» Sancto vel feria applicari possit etiam pro anniversariis, ita
» tamen, ut unico oneri, non pluribus per unam Missam satisfiat:
» quoad reliqua, nimirum quoad exsequias post Missas vel de
» Sancto, vel de feria ut supra respective applicatis, Negative,
» subrogatis potius in choro precibus per Capitulum recitatis, ab
» Episcopo designandis, ad decennium, facto verbo cum SSmo.»

139. Accedentibus itidem gravissimis circumstantiis S. C. idem indultum circa Missas de feria et vigilia, ut sine cantu et cum libera applicatione in choro ad annos decem celebrarentur alias etiam benigne impertita est in *Ventimilien.* Miss. conventualis 20. Decembris 1851.

140. Quod celebratio et applicatio Missae conventualis pro benefactoribus in specie non suffragetur, ut legi de Missae conventualis implemento pro benefactoribus in genere fiat satis, perspicue declaravit ipse Bened. XIV. in Constit. *Cum semper oblatas.* Hinc S. C. in *Caietana* Miss. conv. et pro pop. 20. Ianuar. 1838., cum canonici collegiatae Campimellensis solemne haberent, Missam conventualem diebus festivis pro populo offerre, et anniversariorum Missas in hebdomada ex fundationis lege occurrentes loco Missae conventualis diebus ferialibus pro benefactoribus in specie applicare, propositis dubiis: « 1. An et quomodo
» probanda sit ratio, qua hactenus usi sunt Campimellis capitu-
» lares quoad celebrationem et applicationem Missae conventualis

» et Missam pro populo in casu? 2. An et quomodo sit celebranda » et applicanda Missa conventualis a Campimellis Capitulo in » casu? 3. An et quomodo sit celebranda et applicanda Missa » pro populo in casu? » S. C. respondit: « Ad 1. Negative in » omnibus. Ad 2. Affirmative, et esse celebrandam et applican- » dam pro benefactoribus in genere, cohibita tantum pro decennio » applicatione ad dies festos etiam redactos. Ad 3. Affirmative, » a parocho omnibus festis etiam reductis ad normam Encycl. » Bened. XIV. inc. *Cum semper oblatas.* »

141. Quando Episcopus Missam Pontificalem in cathedrali celebrat, Missa conventualis non debet a Capitulo omitti, sed privatim eamdem lectam celebrare licet per eum, cui huiusmodi onus obtingit. Nam S. C. Rit. idipsum declaravit, ut constat ex eiusdem decreto diei 12. Nov. 1831. apud Gardellin. n. 4669. ad 20.; ibi enim legitur: « Quum Episcopus diebus festivis applicare de- » beat pro ovibus suis, quaeritur, an, Episcopo hisce diebus pon- » tificaliter celebrante, canonici debeant Missam conventualem » pro benefactoribus cantare, et quando? » S. Congr. respondit: « Hebdomadarius, vel is, cui onus inest Missae conventualis, illam » celebret lectam vel ante vel post Missam pontificalem. »

IV. « An suas habeant constitutiones et eas punctualiter ob- » servent? »

Summarium. 142. Concilium Romanum anni 1725. sancivit, ut Capitula omnia constitutiones, si haberent, depromerent; si non haberent, intra congruum tempus easdem conficerent. – 143. Ibidem tradidit etiam methodum, quae in iisdem conficiendis servari debet. – 144. Huiusmodi sanctiones s. m. Bened. XIII. ad omnia totius catholici orbis Capitula extensas voluit. – 145. Id etiam nuperis hisce temporibus confirmavit S. C. Conc. suis declarationibus circa Capitula Romanae Synodo minime subiecta. – 146. Idipsum S. C. Conc. inculcat in suis responsionibus indiscriminatim ad omnes totius catholici orbis Antistites. Capitula ipsa constitutionum opus condendi ius habent, reservata Episcopo facultate easdem expendendi et approbandi. At si Capitula negligant, congruo tempore inutiliter elapso, S. C. Episcopis significat, ut suo marte ipsi conficiendas curent, easdemque servandas Capitulo iniungant. – 147. S. C. Conc. non solet capitularia statuta examinanda assumere; licet vero eamdem consulere super peculiaribus quaestionibus statuta ipsa attingentibus. – 148. Perraro hoc sibi onus assumpsit. Aliquando eadem sta-

tuta alicui ex suis Consultoribus examinanda et corrigenda in forma privata commisit, unde Episcopi normam sumere possent in suae auctoritatis decreto eisdem adiiciendo. – 149. Non raro usuvenit, ut S. C. Conc. statuta informia, manca et imperfecta praesententur. – 150. 151. Exempli gratia distincte referuntur capita constitutionum Centumcellensium, quae, tamquam delineamenta simili operi absolvendo usui esse possunt. – 152. Qua materia speciatim constitutiones conflandae perficiendaeque sint, suppetunt ea, quae dicta vel dicenda sunt de Capitulis, necnon ea, quae de comitiis capitularibus et chori disciplina evolvenda proponuntur. – 153. De comitiis capitularibus affabre agit Ferraris, eiusque doctrina per extensum refertur. Ad actum capitularem rite conficiendum quatuor conditiones requiruntur, et quae. – 154. Ut Capitulum rite convenisse dici possit, habenda est ratio personarum, modi, loci ac temporis. Capitulum convocat Episcopus vel decanus; quando alteruter idem convocat. – 155. Circa modum standum est consuetudini, sed absentes per literas omnino monendi sunt. Circa locum, convocandum est in aula capitulari. Sed Episcopus, nisi habeat controversiam aliquam cum ipso Capitulo, in aula sua potest ipsum cogere. Quamvis in quolibet alio honesto loco possit valide congregari. – 156. Convocandum est tempore consueto: nunquam tamen, quando divina celebrantur. – 157. Convocandi sunt ii tantum, qui de Capitulo sunt, adeoque regulariter soli canonici, nec etiam dignitates, modo vel fundatione vel consuetudine de Capitulo non sint, nec mansionarii. Quin imo inter canonicos, qui sunt intra numerum et diaconatu saltem insigniti. Absentes vocandi sunt in negotiis maioris momenti. – 158. Negotia tum capitulariter expedita censentur, cum Capitulum coaluerit, singulorum vota fuerint audita, et deliberatio a congregatis inita. Gesta extra Capitulum non constituunt actum capitulariter expeditum. – 159. In actis capitularibus valet assensus maioris partis canonicorum praesentium ac votum ferentium, nisi aliter consuetudo ferat. – 160. Sed si agitur de negotio singulos respiciente, singulorum assensus exigitur. Quando negotium singulos vere attingat, tradit Louvrez. – 161. In capitulis extraordinariis non tenetur Capitulum ei, qui convocandi et praesidendi ius habet, negotia significare, quae in comitiis habendis proponentur. – 162. Acta capitularia Episcopo requirenti negari non possunt; ad eaque exhibenda potest Episcopus canonicos cogere poenis ac censuris; non obstante, quod aliquando inter Episcopum et Capitulum lites adesse queant. – 163. Consanguinei regulariter votum pro consanguineis ferre possunt. Sed nihilominus statutis particularibus standum est. Quomodo vero statuta consanguineos a voto removentia intelligenda sint, docet Rota, nempe quod statutum non potest auferre ius haud attingens Capituli interesse, quale est ius a fundatore reservatum beneficiatis. – 164. Vota secrete danda sunt. Absentes

non possunt dare votum iuxta Fagnanum per literas et in scriptis, sed per procuratorem cum generali mandato, aut saltem per schedulam obsignatam Capitulo directam iuxta Schmier. An autem nullitas emergat, si aliter actum fuerit, non est certum: nam sanctiones pro Episcoporum electionibus non possunt adamussim extendi ad alios actus capitulares. – 165. S. C. Conc. edixit, abusum esse non tolerandum, quod diebus festis non punctentur, nisi ii, qui post absolutum primum nocturnum choro adsint, et diebus ferialibus, qui adsint post absolutos sex psalmos, et item quod non exigatur mulcta statuta pro iis, qui processionibus intervenire detrectant; denique in tribus hisce casibus non tolerari contrariam consuetudinem. In hac re sequenda proponitur norma a S. Carolo Borromaeo sancita, et a Bened. XIV. inculcata, quaeque eadem sit, exponitur. – 166. S. C. Conc. in *Placentina* declaravit, canonicos et beneficiatos eiusdem collegiatae distributiones non capere, dum tempore chori confessiones audiunt, item ante vel post confessiones auditas privatim horas canonicas recitant. Item nec ii, qui confabulantur; quod intelligendum, si plures collocutiones fiant in eadem hora. Distributiones autem capiunt ii duo, qui tempore a Synodi et Capituli sanctione praescripto Missam celebrant. – 167. Quamvis regula sit generatim, ne capitulares ultra tertiam partem simul a choro absint, nihilominus in casibus particularibus id relinquitur arbitrio Episcopi et Capituli. – 168. S.C. Rit. definivit, capitulares teneri obedire magistro caeremoniarum in his, quae divinum cultum respiciunt; eorum siquidem director, non famulus est. – 169. Librum caeremonialem ad unguem servandum esse, nisi diversimode ex consuetudine immemorabili indultum sit. Eumdem non tollere laudabiles consuetudines, et ubique in christiano orbe observandum. – 170. Canonicis uti singulis nullam praecedentiam et praerogativam deberi. – 171. Iisdem non licere uti rochetto et mozzetta in administratione Sacramentorum. Bene vero in praedicatione verbi Dei, dummodo agatur de propria ecclesia vel aliis, ubi usus adest cappam vel mozzettam deferendi. In administratione Sacramentorum canonicis tempore aestivo licet superpelliceum rochetto imponere, minime vero aliis temporibus. 172. Episcopum posse prohibere, ne Missae privatae celebrentur, dum ipse Missam solemniter celebrat. – 173. Canonicis collegiatae deberi praecedentiam supra alios in ecclesiis parochialibus, praeter celebrantem, atque etiam in Synodis. Missas solemnes in parochiali spectare ad parochum. Officium super cadaveribus a parocho peragi debere, etiamsi interveniat Capitulum. Parochum protonotarium almutia uti non posse. Erectionem collegiatae absque beneplacito Apostolico nullam esse. Collegiatam antiquiorem praecedere recentiori. – 174. Canonicum in ecclesiasticis functionibus uti non posse bireto doctorali. Sed non idcirco amittere distributiones. Quando celebrat Episcopus, presbyteri assistentis

partem semper agere primam dignitatem. Idem valere, quando Episcopus benedictionem candelarum, palmarum, cinerum peragit. Si Episcopus non celebrat, sed est praesens, digniorem canonicum esse debere presbyterum assistentem. – 175. Consuetudinem, ut, deficientibus diacono et subdiacono altari ministrent laici, tamquam abusum non esse tolerandum, ac potius Missam per solum presbyterum esse cantandam; Missam conventualem celebrari non debere, nisi hora a rubricis praescripta. – 176. Decreta sacrorum Rituum tollere contrarias consuetudines etiam immemorabiles. Sed in casibus particularibus ad ipsam recurrendum esse. De chori disciplina scite et copiose agit Synodus Fulginatensis.

142. Caput istud, in quo Benedictus XIII. in sua instructione quaerit, an Capitula suas habeant constitutiones, consentaneum est *cap. 4. tit. 2.* Concilii, quod habuit Romae 1725. Porro in eodem capite quarto Capitulis omnibus gravissime praecipit, ut constitutiones antiquas, si quas habent, depromant, et, si non habent, saltem infra semestre sub ecclesiastici interdicti poena omnino conficiant, et utrasque, antiquas et novas suo Capitula quaeque Episcopo corrigenda vel comprobanda praesentent. « Epi-
» scopi igitur (sic ipse) in iis examinandis, si quid contra ius,
» vel Trid. Concilii decreta, aut Pontificias constitutiones irre-
» psisse cognoverint, super eo Sedem Apostolicam consulant, a
» qua iuris remedia exspectent. Consuetudines autem nonnisi ra-
» tionabiles et honestas admittant, et, si quas a ratione decli-
» nasse, vel contra Breviarii, vel Missalis, Caeremonialis Episco-
» porum, Pontificalis, vel Ritualis Romani rubricas inolevisse ac
» proinde indebitam legis speciem usurpasse compererint, eas vel
» corrigant, vel omnino delendas decernant. »

143. In capite 5. tituli 2. Romanae Synodi Bened. XIII. methodum pro constitutionibus capitularibus proponit. « Hisce prae-
» habitis (sic pergit) praecipuae Episcoporum partes erunt, ut
» tali methodo statuta ipsa et constitutiones condantur; quatenus
» quae ipsarum sint ecclesiarum et Capitulorum origines, funda-
» tiones, insignia, iura, consuetudines, reditus, onera et munera,
» suis sub capitibus distinctis exprimantur, nihilque in eis sit,
» quod a iuris dispositione et Congregationum decretis, usuque
» recepto et approbato exorbitet, sed illa apposite statuantur,
» quae pro opportunitate et necessitate temporum, rerum et lo-
» corum, ad divini cultus augmentum, sanctioris disciplinae ob-
» servantiam, et ecclesiarum utilitatem statuenda iudicaverint. »

144. Quamvis autem sanctiones praedictae Synodi Romanae vim obligandi non exserant extra Campanam et Pisanam provinciam, nihilominus quae hoc quarto et quinto capite tituli 2. disposita sunt, ad omnia totius catholici orbis Capitula extenduntur. Ait enim ipse Pontifex eo ipso loco: « Hoc interim decretum cum » praecedenti, ut ceterarum ecclesiarum Capitulis et Collegiis con» sulamus, ad Metropolitanos omnes extra hanc Synodum exten» dimus, qui primo in eorum Concilio providas ipsas et plane » necessarias praefatis super condendis statutis sanctiones publi» care meminerint, et exsecutionem sedulo promovere. » In quo Summus ille Pontifex sese obsequi professus est menti sui decessoris s. m. Clementis XI., qui similes a se editas dispositiones in prima et secunda Synodo Beneventi, cuius Archiepiscopatui in minoribus Bened. XIII. praefuerat, laudavit et exsecutione observari institit suis Apostolicis Literis, quas grati animi ergo in appendice eiusdem Concilii integras referri voluit.

145. Huic saluberrimae praescriptioni fideliter inhaerens S. C. C. quoties (ita in Fol. *Puteolanae* Servit. chor. 26. Februar. 1842. §. *Unam*, postquam, sanctione Romanae Synodi allegata, ad omnes ecclesias productam eam fuisse animadverterat, prosequitur) « ca» pitularia statuta mendis scatentia deprehendit, vel abrogavit » omnino, vel eorum reformationem iuxta sacrorum canonum le» ges, uti praesertim in *Valven*. Serv. chor. 24. Novemb. 1838., » necnon ea confici iussit, si nulla existerent, ut in *Alben*. Servit. » chor. 23. Mart. 1839. » Idemque praestitit in ea ipsa *Puteolana* resoluta 24. Iunii illius anni. Proposito namque tertio dubio: « An » et quomodo iniungendum sit capitularibus, ut constitutiones » sibi conficiant in casu? » responsum prodiit: « Affirmative, et » Capitulum conficiat intra sex menses constitutiones a novo Epi» scopo approbandas. » Quamvis autem Valvensis ecclesia Romanae Synodo, uti suffraganea, subsit, non ita tamen est de ecclesia Albensi et Puteolana.

146. Huc accedit, quod eadem S. C. ex constanti disciplina in hoc argumentum sollicite suam attentionem convertit, quoties in expendendis dioeceseon relationibus suspicionem conceperit, quod Capitula constitutionibus careant, aut mendosis utantur, vel utcumque a praesenti disciplina abhorrentibus. Quapropter postquam debitas hac super re notitias exquisivit et recepit, nullo habito discrimine ecclesiarum, an Concilio Romano subsint necne,

imo etiamsi in exteris nationibus existant, si nullae adsunt, intra congruum tempus ab Episcopo praesignandum confici iubet, si vero mendosae sint, emendari et corrigi praescribit. Hoc tamen opus a Capitulis ipsis condendum est iuxta normas in decretis Concilii Romani praescriptas. Quod cum ad exitum perductum fuerit, Episcopo exhibendum est, ut, maturo adhibito consilio, corrigat, ac dein suae auctoritatis calculo approbet atque corroboret. Sed si Capitula ultra spatium constitutum negligenter se gerant, S. C. C. mandat Episcopis, ut constitutiones ipsi conficiant, easque Capitulo observandas iniungant. In hanc porro sententiam pro opportunitate communiter solere rescribi, quotidiana docet experientia. (Cfr. Montisfalisci 16. Iun. 1866.).

147. Ex his, quae modo statuimus, quisque videt, pertinere ad Episcopos, statuta Capitulorum, quae in eius dioecesi exstant, episcopali sua auctoritate munire; ac proinde non solet S. C. huiusmodi statutis capitularibus ex ordinaria disciplina omni ex parte prorsus expendendis et comprobandis manus apponere. Integrum tamen est, eamdem S. Congregationem consulere, si quid in peculiaribus casibus occurrat penitiore disquisitione dignum, quod episcopali auctoritate definiri non possit; id enim consentaneum est dispositioni Concilii Romani, in quo monentur Episcopi, ut in casibus ibi indicatis « Apostolicam Sedem consulant, a quo iuris remedia exspectent ».

148. Nihilominus identidem usuvenit, ut sive Capitula, sive Antistites ipsi capitularium statutorum opus S. Congregationi praesentent, ut eadem recognoscat, suaque sanctione comprobet. At vero nonnisi perraro, et gravissimis tantum intervenientibus causis, eadem hoc sibi munus assumit. Aliquando, ut Episcopis id enixe flagitantibus rem gratam faceret, S. C. extra ordinem annuit, ut non in plenis comitiis, sed, ut ita dicam, privata quodammodo forma constitutiones capitulares per aliquem ex suis Consultoribus excuteret, et opportunas in illis pro re nata animadversiones praenotaret. Has autem Episcopis animadversiones remittens diserte significavit, ut easdem prae oculis sibi ponerent, earumque rationem et respectum haberent; de cetero sibi satis esset easdem constitutiones ordinariae suae auctoritatis decreto roborare, quin opus foret, ut suam Apostolica Sedes potestatem adiiceret.

149. Inter multas, quae S. Congregationi oblatae sunt constitutiones, aliquae compertae sunt nonnunquam sic imperfectae,

ut opus informe, mancum, et fini proposito minime conducens praeseferrent. Itaque rem non inutilem nos facturos esse ducimus, si paullo enucleatius hanc materiam evolvamus. Id autem ita assequi posse censemus, si in exemplum proponamus aliquod huiusmodi statutorum corpus, quod accuratius et perfectius videatur, non quidem toto, prout iacet, opere offerendo, sed eorumdem capitibus distincte recensendis. Seligimus speciatim constitutiones cathedralis Centumcellarum (1) conditas auspice et duce cl. mem. Cardinali Falzacappa, viro rei civilis et canonici peritissimo, qui Secretarii S. Congregationis Concilii munere functus fuerat, et Praefectus erat utriusque Signaturae; idque eo magis, quod ille opera usus est virorum rei ecclesiasticae scientia perinsignium, qui postea primos Romanae curiae honores et munera adepti sunt.

150. Igitur Centumcellarum illa statuta in prima pagina praefationem praeseferunt, in qua iuxta normam a Concilio Romano propositam ecclesiae origo, gradus honorum subsequo tempore acquisiti, privilegia a Summo Pontifice impetrata describuntur. Sequuntur totidem distincta capita, videlicet: *De canonicis, eorumque admissione et praecedentia. De servitio ecclesiae et vacationibus. De divinis officiis et eorum celebratione. De Missa conventuali, de reditibus ecclesiae, de capitulis, seu capitularibus conventibus. De officialibus eorumque electione. De officio camerarii. De officio syndacorum. De officio praesidis causarum. De officio secretarii. De officio archivistae. De officio punctatoris. De praeposito, qui prima dignitas est cum cura animarum. De canonico theologo. De canonico poenitentiario. De sacrarum caeremoniarum magistro. De beneficiatis, idest mansionariis. De constitutionum vi et interpretatione.*

151. Post haec in appendice affertur *Tabella distributionum, ubi determinatur, quantum cuique pro singulis horis, et sacris functionibus iuxta dierum diversitatem obtingat;* dein *Tabella dierum solemniorum; Tabella Missarum, in quibus Missae et Vesperae a R. P. D. Suffraganeo celebrantur:* eo siquidem tempore Centumcellarum ecclesia a Cardinali suburbicario regebatur; *Tabella dierum, quibus Missa canenda est a canonico poenitentiario; Tabella anniversariorum; Tabella horaria; Formula iuramenti prae-*

(1) Romae ex typographia Contadini, 1840.

standi per punctatorem; *Iuramentum quotannis emittendum per singulos officiales*. Finem imponit *Decretum approbationis ab Eminentissimo Cardinali Falzacappa editum*.

152. Haec sunt veluti delineamenta, quae normam afferre queunt in designando statutorum opere. Materia vero, qua opus idem suis quodammodo coloribus pingi, discriminari et ad perfectionem perduci potest, satis superque suppetit ex iis, quae hoc tertio incunte capite de Capitulo, ac rebus capitularibus fuse locuti sumus. Ne quid vero desideretur, nonnulla de capitularibus conventibus adiungimus, quippe qui maximi sint momenti. Accedit, quod in iisdem comitiis a canonicis constitutiones capitulariter conficiendae sunt, aut saltem communi consensu recipiendae, antequam pro episcopali sanctione Antistiti deferantur. Pauca insuper exponemus super tuenda chori disciplina.

153. De capitularibus conventibus affabre agit Ferraris verbo *Capitulum* art. 1. in additionibus ex aliena manu num. 4., cuius doctrinam suis verbis exhibemus: « Ut autem Capitulum iure suo » expleat negotia, quatuor haec concurrant oportet: – 1. ut sit » legitime congregatum; 2. ut vocentur omnes, qui vocem in ca- » pitulo habent, vel de praesenti habere possunt; 3. ut negotia » capitulariter expediantur; 4. ut maior pars consensum suum » interponat.

154. » Quod attinet ad primum requisitum, Capitulum ut le- » gitime convocetur, haberi debet ratio personarum, idest con- » vocantium, modi, loci et temporis. Convocat Capitulum Episco- » pus vel decanus. Episcopus convocat in negotiis, quae peragi » debent cum consensu vel consilio Capituli, vel alias coniunctim » ad Capitulum et Episcopum pertinent. In ceteris negotiis de- » canus convocat Capitulum vel tempore stato, vel extraordinario » pro re nata, eoque deficiente senior, ut plurimum, nisi aliter » ea in ecclesia obtinuerit. (Boehmer in *Decretal. lib. 4. tit. 2.* » §. *3.*, ubi, quod convocante decano Capitulum, haud opus est » licentia Episcopi; Louvrez *Dissert. canon. 17. n. 1. et plur. seq.*).

155. » De modo convocandi Capitulum nihil in iure statutum » est. Quocirca retineri debet modus, qui in ecclesia, de qua » agitur, invaluit; alibi enim fit convocatio per sonum campa- » nae, alibi per literas, alibi viva voce. Quod vero attinet ad » absentes, ii convocandi sunt per literas, vel per nuntium. » Passer. *de elect. can. c. 11. fere per tot.*

» Locus Capituli solet esse certus ac determinatus. Episcopus
» tamen potest Capitulum in aula sua convocare, nisi controver-
» siam cum ipso Capitulo habeat. Formosin. *de pot. cap. sede vac.*
» *tract. 3. qu. 6. n. 12.*, verum si alibi, modo in loco honesto,
» convocandum sit Capitulum, nequit actus hoc nomine impu-
» gnari, quod Capitulum non sit convocatum in loco consueto.
» Card. de Luca *de Reg. disc. 15. n. 12.*, Passer. *de elect. can.*
» *cap. 12. n. 12. et seq.*

156. » Demum tempore consueto convocari debet Capitulum,
» non eo tamen, quo Divina celebrantur, alias capitulares im-
» pune non comparent. (Leuren. *For. ben. tom. 1. qu. 420. n. 5.*)

157. » Quod concernit secundum requisitum, vocem in Capi-
» tulo habent, adeoque sunt convocandi, qui nomine Capituli ve-
» niunt, et sic regulariter soli canonici; nam nonnisi canonici (1)
» veniunt nomine Capituli, ipsumque constituunt. (Boehmer in
» *Decret. lib. 3. tit. 11.* §. *6.*). Hinc sequitur, dignitates convocari
» non debere; nam eae non dicuntur de Capitulo, nisi vel fun-
» datione, vel consuetudine aliud obtineat. (Card. de Luca *de Ben.*
» *disc. 46. num. 1.*, Barbosa *de Can. cap. 36. n. 14.*). Idem dicen-
» dum est de mansionariis, quippe qui nec de Capitulo dicantur.
» (Cf. Rota *coram Crispo Decis. 50. n. 20.* et *Gerunden.* Servitutum
» *23. Febr. 1731.* §. *Siquidem* coram Cincio).

» Quin imo nec omnes canonici convocandi sunt, sed tan-
» tum praebendati intra numerum, et in ordine saltem diaco-
» natus constituti. (Boehmer in *Decretal. lib. 3. tit. 11.* §. *7. 8.*).
» Num autem canonici absentes vocandi sunt? Negatur, exceptis
» tamen negotiis maioris ponderis, ut sunt electio Praelati, re-
» ceptio canonicorum, aut praebendarum collatio, et cessatio a
» divinis Capitulo indicenda. (Idem auctor *loc. cit. n. 9.*).

158. » Tertium requisitum est, ut negotia capitulariter ex-
» pediantur. Dicuntur enim negotia expediri capitulariter, si
» congregatum sit Capitulum, audita sint vota singulorum, et
» deliberatio a congregatis facta sit. Neque enim singuli extra
» congregationem capitulum constituunt, et ita nec singulorum
» consensus extra capitulum interpositus sufficit in negotiis a ca-

---

(1) Canonici honorarii non possunt habere vocem activam et passivam in Capitulo, nec praecedentiam in stallis. *Ventimilien.* 17. Dec. 1836.

» pitulo expediendis, id quod ex natura collegiorum fluit. Card.
» de Luca *de Ben. disc. 30. n. 3.*, Louvrez *Dissert. can. 17. n. 44.*

159. » Restat, ut disseramus de ultimo requisito, ut maior
» pars Capituli consensum suum interponat. Id quoque ex natura
» omnium collegiorum et universitatum fluit, quum non esset
» ratio expediendorum negotiorum, nisi maior pars concluderet.
» Maior tamen pars aestimari debet non respectu partium mino-
» rum, sed totius Capituli, idest omnium canonicorum interve-
» nientium et suffragium ferentium, nisi alia sit consuetudo. Lou-
» vrez *Diss. canon. 17. n. 9. et seq.* Idemque obtinere debere
» tenet idem auctor, si Capitulum consenserit, ut maior pars
» respectu partium minorum concludat.

160. » Ceterum si agatur de negotio canonicos uti singulos
» concernente, non sufficit consensus maioris partis, sed singu-
» lorum canonicorum consensus exigitur. Fagnan. in *Cap.* Cum
» in cunctis *per tot. De his, quae a maior. part. Capituli;* Fer-
» mosin. *de pot. cap. sed. vac. tract. 3. quaestio 1. n. 5. 15. et seq.*

» At quando negotium dici debeat huius generis, ut concer-
» nat canonicos uti singulos, omnium optime explicat Louvrez
» *loc. cit. n. 16. et seq.*, omnino consulendus, ubi res postulat.

161. » Num ad convocationem capituli extraordinarii debeant
» canonici ei, qui ius habeat convocandi capitulum, eique praesi-
» dendi, negotia pandere, propter quae convocatio illa desidera-
» tur? De quaestione hac magna utrinque animorum contentione
» disputatum novissime est in Rota. At tribunal hoc definivit,
» necesse haud habere canonicos negotia proponenda in capitulo
» extraordinario nota facere habenti ius convocandi capitulum,
» ipsique praesidendi. Vide decis. *Avenion.* Convoc. Capituli
» 17. Mart. 1752. *coram Bussio* » (1).

162. Sequentem doctrinam, quod non possint Episcopo de-
negari acta capitularia, nosse ne pigeat. « Acta ac resolutiones
» capitulares Episcopo requirenti, utpote cui incumbat invigilare
» et recognoscere, ne quidquam per capitulares decernatur contra
» iuris dispositionem vel praeiudicium ecclesiae, a canonicis de-
» negari non possunt, illasque a canonicis Episcopus exigere valet
» sub poenis et censuris. Barbosa *de canon. cap. 35. n. 6.*, S. C.

---

(1) Cfr. *Acta S. Sedis* vol. 2. pag. 460.

» apud Pignatell. *tom. 4. Cons. 154. n. 7. in fin.*, S. Conc. in » *Casalen.* 22. Apr. 1708. *ad 31.*, non obstante, quod aliquando » adesse possunt lites inter Episcopum et Capitulum; nedum quia » ibi non panduntur motiva, merita et secreta causae, sed eo » magis, quia licet tali casu Episcopus interventum habere ne- » queat in capitulo, ne tollatur canonicis libertas votandi; secuta » tamen resolutione, ex hoc capite ei negari nequeunt huiusmodi » capitulares resolutiones (1), ut distinguendo punctualiter do- » cent Petra ad *Constit. Apost. tom. 1. pag. 69. n. 55.*, nuperrime » Scarfant. *ad Cecc. l. 4. anim. 1. 2. 42. et 43.*, et ad partes di- » scusso articulo *Rota Gerunden.* Exhib. Res. capit. 12. Iun. 1702. » §. *Fundamentorum* et §. Prout *coram Priolo*, confirmata 22. Iu- » nii 1706. *coram Kaunitz.* » Vid. *Append. Syn. Fulg. p. 64.*

163. Haud raro evenire solet, ut disputetur, an canonici consanguinei pro consanguineis in aliquo actu ad hos pertinenti suffragium ferre valeant. Porro in *Ferentina* Capellaniae 1. Mart. 1834. §. *Iamvero* statuitur, consanguineos, licet de affine cognatoque eligendo agatur, legitima suffragii facultate pollere ex ratione communis iuris, ac decretis S. C. Conc. (Consulatur *folium* eiusdem *Ferentinae ad diem* 27. April. 1833. §. *Iure quidem*), attamen servandas esse peculiares constitutiones, ubi adsint, docetur §. *Certum;* sed huiusmodi statuta removentia canonicum a iure suffragii, quando agitur de suo vel alicuius coniuncti commodo, intelligenda esse traditur iuxta Rotam (Vid. *Fol.* 1. Mart. 1834. §. *Haec*), quod non habeant locum in electione, quae non tangit, respectu ipsius personae eligendae, interesse communitatis, et sic in materia iurisdictionis pater potest filium praesentare, et contra filius dare suffragium patri non prohibetur.

In eadem *Ferentina* res erat de electione capellani, quod ius Capitulo a capellaniae fundatore relictum fuerat. Oberat specialis Capituli Ferentini constitutio, ne consanguinei votum ferre possent pro consanguineis usque ad tertium gradum. Haec autem ad ea extendi non poterant, quae Capituli interesse non afficie-

---

(1) Canonicum quemdam, qui in comitiis capitularibus sese turbulentum et bonis iniuriosum ostendebat, S. Congr. Episc. et Regul. 22. Ian. 1822. monendum iussit, ut a similibus abstineret. Cum itaque sese non emendaret canonicus ille, postquam legitime constitit de insultibus collegio factis, voce activa et passiva formiter privatus est. Cfr. *Analecta Iuris Pontificii* 1867. pag. 461.

bant, quale profecto erat ius a fundatore Capitulo collatum. Itaque 1. Mart. 1834. proposito dubio: « An et quomodo iure suffragii » gaudere debeant canonici intra tertium gradum propinqui con- » currentium ad capellaniam Cuppini in casu? » S. C. respondit: « Affirmative per secreta suffragia »; et causa iterum proposita die 28. Mart. 1835., Emi Patres *steterunt in decisis*.

164. Emi Patres idcirco addiderunt *per secreta suffragia*, quia in electione a Capitulo Ferentino habita unus ex canonicis absens per literas alteri canonico mandatum dederat, ut pro certo, quem nomine indigitabat, candidato, seu concurrenti votum daret, ac praeterea pro nemine. Iamvero hae literae palam in comitiis ostensae ac cognitae fuerant.

In folio dictae *Ferentinae* ad diem 27. Apr. 1833. §. *Expendenda* circa hunc articulum animadvertebantur nonnulla, quae hic afferre iuverit. « Novimus quidem ex Bonif. VIII. Pontificis » placito, *absentem canonicum non posse aliquatenus per literas* » *exprimere votum suum, quod non ante scrutinium, sed in ipso* » *scrutinio secreto ac singillatim exprimendum (Cap. Si quis* §. *ult.* » *de Elect. in 6.)*. Quocirca monet Fagnanus, a canonico, qui iusta » ex causa praepeditus non accedat ad capitulum, *non mitti de-* » *bere votum in scriptis per procurationem, sed procuratorem* » *institui ad eligendum cum generali mandato, ut haec ipsa S. C.* » *alias censuit*. (Fagn. *Cap. quia propter* §. *illud autem n. 5.*). » Verum Schmier diserte tradit *votum in literis explicari hoc modo* » *posse, ut absens literas ad capitulum scribat, eisque schedulam* » *obsignatam inserat, quae vel a persona absente, vel capitulo* » *nominanda, tempore electionis in urnam (si ita moris sit), conii-* » *ciatur, aut saltem a scrutatoribus aperiatur*. (Schmier *Iurisp.* » *can. lib. I. tract. 3. c. 1. num. 119.*). Procuratorem autem con- » stitui posse cum speciali mandato de certa persona eligenda, » notissimum in iure est. *(Cap.* Si quis *46. de elect. in 6.)*. »

Post haec additur in paragrapho subsequenti, quod cum haec *modum* respiciant, quo suffragium fertur, non autem *personam eligendi*, quod praecipua est suffragiorum causa, pro certo statui non possit, exinde actum vitiari, ac nullitatem eiusdem sequi, cum praesertim ea, quae dicta sunt, utpote canonicae electionis Episcoporum propria, ad ceteros omnes actus capitulares extendi adamussim nequeant. Quae hactenus explicata sunt, maiorem auctoritatem sibi demereri videntur ex quadam causa, cui titu-

lus *NN. Super deliberatione capitulari,* penes Sac. Congregationem Episcoporum et Regularium discussa die 28. Iulii 1865., et ad normam eorumdem iurium resoluta. De hac causa peculiariter agetur in *Capite de Postul. postul. 14.*

165. Pro tuenda chori disciplina attendendae sunt sequentes S. C. Conc. resolutiones. In *Interamnen.* 24. Maii 1674. *(lib. 14. decret. pag. 143.* relata a Bened. XIV. *Inst. ecc. 107. n. 23.)* sic habetur: « In visitatione suae cathedralis ecclesiae reperit Do-
» minus Episcopus Interamnensis nonnullos abusus circa servi-
» tium chori, quos cum eliminare cupiat, supplex quaerit ex hac
» Sacra Congregatione, an tolerandum sit,

» 1. Quod diebus festis Matutino praesentes habeantur, ac
» proinde punctis non mulctentur, qui, nonnisi absoluto primo
» Nocturno, videlicet post psalmos tres totidemque lectiones re-
» citatas choro intersint?

» 2. Diebus vero ferialibus, qui, nonnisi absolutis sex psalmis?

» 3. Quod sacris processionibus distributiones assignatae non
» sint, sed contra contumaces poena dumtaxat trium librarum
» cerae constituta, quae nunquam exigi consuevit?

» 4. An praenarratus modus interveniendi possit etiam ratione
» consuetudinis immemorabilis tolerari?

» S. Cong. respondit ad primum: Non esse tolerandum. Idem
» ad secundum. Ad tertium respondit: exigendam esse poenam
» praescriptam. Ad quartum: non suffragari contrariam consue-
» tudinem. »

Super hoc articulo norma desumi potest ex sanctione I. *Concilii provinc. Mediol.* a D. Carolo Borromaeo celebrato, quae refertur a Bened. XIV. *loc. cit.* sequentis tenoris: « Si quis non
» venerit ad Matutinum ante finem Capituli de Beata Virgine,
» cum de ipsa officium celebratur, alioquin ante finem psalmi
» *Venite exsultemus,* in aliis etiam horis ante finem primi psalmi,
» pro absente habeatur, illiusque horae distributione careat. In
» Missa vero, nisi venerit ante finem ultimi *Kyrie eleison,* eamdem
» negligentiae poenam subeat. »

166. In *Placentina Distribut.* 27. Mart. 1847. propositis dubiis: « 1. An canonici vel beneficiati collegiatae ac basilicae
» S. Antonini, qui ferme quotidie audiunt confessiones tempore
» divinorum officiorum, lucrari possint distributiones quotidia-
» nas in casu?

» 2. An eas lucrentur, si tempore tantum divinorum officio-
» rum excipiant confessiones, vel post confessiones supervenientes
» in chorum privatim recitent horas canonicas in casu?

» 3. An et quomodo quotidie computandus sit numerus ad-
» stantium in choro ad hoc, ut, ceteris absentibus, sufficiens
» chorali servitio habeatur?

» 4. An et quomodo confabulantes in choro tempore divino-
» rum officiorum amittant quotidianas distributiones in casu?

» 5. An confabulationes, ob quas amittuntur distributiones,
» constitui possint a pluribus parvis collocutionibus in casu?

» 6. An Praepositus S. Antonini comprehendatur inter duos
» canonicos, quibus permissum est (nempe ex Synodi et capitu-
» lari sanctione) celebrare tempore divinorum officiorum in casu?

» 7. An canonici, praeter duos iam celebrantes, uti possint
» sacris vestibus canonici thesaurarii ad sacrum faciendum sal-
» tem a die Omnium Sanctorum usque ad diem Paschatis in
» casu? » (1).

« S. Cong. respondit: Ad 1. negative. Ad 2. negative in omni-
» bus. Ad 3. provisum in praecedentibus, et ad formam sacro-
» rum canonum. Ad 4. affirmative. Ad 5. affirmative, si plures
» fiant in eadem hora. Ad 6. affirmative. Ad 7. relinquendum
» esse arbitrio et prudentiae Episcopi. »

167. Circa tertium dubium adnotabatur in fol. ipsius causae *6. Mart. 1847.* §. *Post haec,* regulam a S. C. servari, ut canonici uno eodemque tempore ultra tertiam partem abesse non possint iuxta declarationem S. Congregationis in *Interamnen.* 21. Iul. 1640. relata a Monacello *Form. leg. tit. 13. form. 2. n. 65.*, cui consonat *Auximana* 12. Iul. 1631. *(lib. 14. decret. pag. 467.)* per extensum relata a Bened. XIV. *Inst. ecc. 107. n. 34.* Quae tamen regula modificationem pati videtur ex alia declaratione in *Abulen.* anni 1581. *(lib. 3. decret. pag. 79.)* relata similiter ab eodem Pontifice *num. 35.*, quae sic se habet: « An dignitates, canonici,
» portionarii, cantores, aut alii officiales possint abesse a servitio

---

(1) Ad huius rei intelligentiam notatur in folio eiusdem *Placentinae* ad diem 6. Mart. eiusdem anni §. ultima, « quod, ut quisque videt, haud usus vestium
» cuique patentium in quaestionem adducitur, sed illud sane quaeritur, utrum nempe
» canonici, quo tempore psallunt in choro, valeant celebrare. Nam usus invalue-
» rat, ut thesaurarius in distincta sacristia sacerdotales habens vestes, tempore
» divinorum officiorum exinde ad Missam celebrandam prodiret. »

» ecclesiae sine licentia Episcopi? S. C. censuit, non requiri li-
» centiam Episcopi, quando dignitates, canonici, aut portionarii
» abesse volunt tempore ipsis a Concilio permisso: non tamen
» omnes simul abesse posse, ne ecclesia suo debito servitio de-
» stituatur. Quota autem pars simul possit abesse, relinqui ar-
» bitrio Episcopi et Capituli » veluti iam notavimus.

168. In Collectione Gardelliniana sub num. 4536. habetur decretum, ex quo deducitur, capitulares in choralibus functionibus magistro caeremoniarum obedire debere; ipse enim eorum director, minime vero famulus reputandus est in rebus ad ministerium suum pertinentibus. Et sane quaerebatur: « An omnes
» capitulares teneantur obedire caeremoniarum magistro ab Epi-
» scopo electo in his, quae divinum cultum respiciunt, vel potius
» considerari debeat tamquam capitularium famulus? Resp. Ca-
» pitulares omnes teneri obedire caeremoniarum magistro in iis,
» quae divinum cultum respiciunt: eumdemque in sui muneris
» exercitio esse capitularium directorem, non famulum. » *(S. R. Cong. 21. Maii 1817. dub. 11.)* Quod iam fuerat decisum ab eadem S. C. *sub die 17. Iul. 1734. in Monopolitana.*

169. Addimus hoc ipso in loco alia S. C. Rit. decreta, quae cum statutis capitularibus materiam praebere valent, tum normam ac regulam suppeditant, ut disciplina chori satis perspecta sit, et diligentius custodiatur. Itaque ex *Collectione Gardelliniana (n. 270.)* exscribimus quae sequuntur: « Capitulum et canonici
» ecclesiae Salernitanae S. R. C. exponi fecerunt, eos habere in
» eorum ecclesia nonnullas particulares et antiquas caeremonias
» a Pio IV. fel. rec. approbatas, quae libro Caeremoniali Episco-
» porum noviter impresso non sunt conformes; et ideo ab eadem
» S. R. C. declarari petierunt, eos non esse obligatos ad obser-
» vationem dicti Caeremonialis. Quae quidem S. R. Cong. respon-
» dit: *Omnes ecclesias metropolitanas, cathedrales et collegiatas*
» *dictum librum Caeremonialem in omnibus ad unguem servare*
» *debere, praeterquam in illis, quae de antiqua, immemorabili*
» *ac laudabili consuetudine, alio vel diverso modo ab eo, quo in*
» *Caeremoniali praescribitur, observantur. 16. Iul. 1605. Salerni-*
» *tana.* »

Huc pertinet hoc aliud etiam, quod sequitur, sacri illius Ordinis decretum, videlicet: « Pro parte Capituli ecclesiae Elboren.
» petitum fuit: An decretum emanatum ad instantiam omnium

» ecclesiarum in Hispaniae regnis, quod scilicet *Liber Caeremo-* » *nialis Episcoporum non tollat laudabiles et immemorabiles con-* » *suetudines*, habeat locum etiam in regno Portugalliae? S. R. C. » declaravit, *dictum decretum locum habere non solum in regnis* » *Hispaniae et Portugalliae, sed etiam in quibuscumque aliis re-* » *gnis et locis per totum christianum orbem. 17. Iun. 1606. El-* » *boren.* » *(Gardellini n. 318.).*

170. Canonicis uti singulis nulla debetur praecedentia super aliis presbyteris. Id enim palam colligitur ex hoc decreto: « Di- » gnitates et canonici cathedralis Caputaquensis ob aeris intem- » periem non obligati ad residentiam in civitate supplicaverunt » declarari, an ipsis existentibus in locis dioecesis, debeatur prae- » cedentia supra alios presbyteros in deferendo SS. Sacramento? » et S. Rit. Congr. respondit: *Canonicis uti singulis nullam de-* » *beri praecedentiam aut praerogativam. 17. Iul. 1640. Caputa-* » *quen.* » *(Gardellini n. 1242.).*

171. Quando et quomodo canonicus choralibus insignibus in Sacramentorum administratione uti possit vel debeat, innuit una et altera sequens declaratio: « Utrum canonicus, qui per Apo- » stolicas Literas in forma Brevis expeditas favore sui collegii » canonicorum gaudet usu rochetti et mozzettae etiam coram » Pontifice, illis uti valeat in Sacramentorum administratione, » et verbum Dei annuntiando, et, quatenus Negative, utrum su- » perpelliceum rochetto imponere valeat iisdem in functionibus? » S. R. C. die 7. April. respondit: Ad 1. *Negative ad primam* » *partem, affirmative ad secundam, sed in propria tantum ecclesia,* » *vel in aliis ecclesiis, ubi adest usus deferendi cappam vel moz-* » *zettam iuxta decretum in una Dubiorum diei 31. Maii 1817.* » Ad 2. *Affirmative, si Capitulum in choro utatur superpelliceo* » *tempore aestivo, secus Negative iuxta decretum praedictum, sed* » *cotta tantum et stola utendum iuxta Rituale Romanum Tit. 1.* » *num. 7. (7. April. 1832. Maceraten. ad 2., Gardellini n. 4683.)*

» 1. An canonici cathedralis in administratione Sacramen- » torum tam intra quam extra cathedralem ecclesiam teneantur » deponere cappam, atque uti superpelliceo et stola, iuxta Ri- » tuale Romanum?

» 2. An teneantur dicti canonici cappam deponere tam intra, » quam extra cathedralem, dum verbum Dei praedicant, vel » dum officium sacerdotis assistentis in Missa novi celebrantis

» aliasque quascumque non capitulares functiones exercent? Resp. » ad 1. *Affirmative* ad 2. *Negative in propria ecclesia, etiam in* » *concionibus aliisque functionibus, excepta Sacramentorum admi-* » *nistratione, in qua utendum est superpelliceo et stola, ut ad pri-* » *mum; affirmmative extra propriam ecclesia* » (*31. Maii 1817. dub. Additionalia, Gardellini n. 4536.*

172. An prohibere possit Episcopus, ne Missae privatae celebrentur, dum ipse Pontificalibus incumbit in ecclesia, quaeritur in sequenti resolutione: « Capitulo et canonici cathedralis Lari- » tanae declarari postulantibus: an potuerit Episcopus prohibere, » ne, eo sacris Missarum solemniis pontificaliter incumbente, in » eadem ecclesia Missae privatae interim celebrentur? S. R. C. » *Affirmative* respondit, *28. Aug. 1655. Laritana.* » (*Gardellini num. 1766.*).

173. In subsequentibus agitur de praecedentia inter collegiatarum canonicos et parochos. « Dubiis tribus per parochum » S. Petri Terrae Sinalungae porrectis, sic respondendum cen- » suit S. R. Congr.:

« Ad 1. *Canonicos collegiatae capitulariter convenientes in ec-* » *clesia parochiali S. Petri occasione festivitatum aut funeralium* » *habere debere praecedentiam supra omnes alios, praeter cele-* » *brantem solemniter aut Officium facientem.*

» Ad 2. *Missas solemnes in parochiali spectare ad parochum* » *seu rectorem.*

» Ad 3. *Officium super cadaveribus peragi debere ab ipso re-* » *ctore in sua parochiali, etiam quod interveniat Capitulum col-* » *legiatae.* 21. Iun. 1636. *Pientina* (Gardellini n. 1045).

» Capitulo et canonicis collegiatae ecclesiae S. Iacobi de Bene, » dioecesis Montis Regalis, petentibus declarari:

» 1. An parochus et clerus ecclesiae parochiali matrici ad- » dicti sint praeferendi Capitulo et canonicis collegiatae? Resp. » *Capitulum et canonicos collegiatae parocho matricis ecclesiae in* » *omnibus praeferendum esse.*

» 2. An parochus protonotarius Apostolicus uti possit almutia? » Resp. *Parochum uti protonotarium almutia nullatenus uti posse.*

» 3. An in Synodo dioecesana Capitulum collegiatae sit paro- » cho matricis ecclesiae praeferendum? Resp. *In Synodo canoni-* » *cos collegiatae praeferendos esse cuilibet parocho etiam matricis* » *ecclesiae eiusdem loci.*

» 4. An valida sit erectio collegiatae auctoritate Ordinaria, » ob idque collegiata auctoritate Apostolica erecta videatur prae- » ferenda antiquiori collegiatae, sed novissimis hisce temporibus » erectae auctoritate Ordinaria? Resp. *Erectionem collegiatae au- » ctoritate Ordinaria, cui saltem auctoritas Apostolica minime ac- » cesserit, penitus nullam nequaquam sustineri, et collegiatam ca- » nonice erectam ius praelationis acquisivisse super ceteris a die » expeditionis Literarum Apostolicarum.* 4. Aug. 1657. *Montis Re- » galis.* » (Gardellini n. 1837.).

174. Sequuntur aliae declarationes, quae praecedentiam et alia respiciunt: « 1. An in choro et processionibus, quae capitu- » lariter aguntur, possit is, cui ob magisterium et lauream aut » licentiatum in disciplinis theologicis vel sacris canonibus obten- » tam facultas conceditur deferendi biretum cum quatuor apici- » bus, eodem bireto uti? 2. An iste, contradicente Capitulo, pun- » ctationi distributionis obnoxius evadat, etiamsi quadraginta ab- » hinc annis iam defunctus alius sacerdos in eadem ecclesia usus » fuerit tali facultate, et nemo contradixerit? Resp. Negative in » omnibus, nimirum nec uti posse in ecclesiasticis functionibus » tali bireto, nec amittere distributiones, siquidem biretum non » est chorale indumentum. 7. Decembr. 1844. *Venusina.* » (Gardellini n. 4991.).

Patientia lectoris non abutemur, si alia superaddamus. S. Rituum Congregationi ad Vaticanum in ordinario coetu coactae sub infrascripta die duo a dignitatibus et canonicis cathedralis Bugellensis ad dissidia vel scandala vitanda proposita fuerunt dubia enodanda, nimirum:

» 1. Num in cathedralibus, in quibus dignitates et canonici » existunt, prima dignitas semper esse debeat presbyter assistens, » quando Episcopus Missam et Vesperas solemniter celebrat, sive » hoc peragat diebus primae classis, vel secundae, vel ferialibus?

» 2. An ipsamet prima dignitas debeat quoque esse presby- » ter assistens, quando Episcopus benedicit candelas, cineres, » palmas, ita ut dignior canonicus post dignitates debeat tantum » esse presbyter assistens Episcopo non celebrante, sed Vesperis » aut Missae solemni per alterum cantatae praesente?

» Et S. eadem Congr., exquisito prius voto alterius ex Apo- » stolicarum caeremoniarum magistris scripto pandito, praeloque » cuso, necnon inspectis Rev. Bugellen. Episcopi informatione et

» voto, re mature diligenterque discussa, ad relationem Emi et » Rev. Cardinalis Vidoni Ponentis respondendum censuit:

» Ad 1. Affirmative.

» Ad 2. Affirmative pariter iuxta votum caeremoniarum magistri.

» Et ita decrevit, et servari mandavit. 22. Sept. 1827. *Bugel-* » *lens*. (Gardellini n. 4633).

175. In Blesensi dioecesi sicut in quibusdam aliis Galliarum dioecesibus consuetudo invaluit, ut, deficientibus diacono et subdiacono, eorum loco altari ac celebranti assisterent duo uxorati, vel non, cum sacris ecclesiae vestibus, sine stola tamen ac manipulo, quin tamen ullam functionem peragerent, sed tantum solemnitatis pompam augerent. Quare Episcopus Blesen. interrogavit, an invectam hanc consuetudinem conservare, vel potius de medio tollere debeat? S. Rit. Congr. respondit: « *Consuetudo, tam-* » *quam abusus, omnino eliminanda, et in casu Missa cantetur per* » *solum presbyterum*. 11. Sept. 1847. *Blesen.*» (Gardellini n. 5103.).

176. « In festis solemnibus, quae occurrunt in feriis Quadra- » gesimae, licetne continuare usum canendi Missam de feria post » Tertiam, et Missam de festo, cui assistit Episcopus post Nonam » circa meridiem, an aliter faciendum? S. R. C. resp.: *Negative,* » *sed rubricae servandae sunt quoad horam solemnis Missae in* » *choro*. 12. Nov. 1831. *Marsorum, ad 27*. (Gardellini n. 4669.).

» An decreta S. R. Cong. dum eduntur, derogent cuique in- » vectae contrariae consuetudini etiam immemorabili, et in casu » affirmativo obligent etiam quoad conscientiam? Resp. *Affirma-* » *tive, sed recurrendum in particulari*. 1. Sept. 1847. *Angelopol.* » *ad 16*. » (Gardellini n. 5102.).

Qui super chori disciplina plura nosse cupiat, adeat *Append. Syn. Fulginatensis* a Baptistellio habitae *ad Cap. III.* §. *7. edit. 1762. pag. 30. et seq.*, ubi legitur *Istruzione ed Ordini per la disciplina del clero*. In ea porro omnia, quae ad hoc argumentum referuntur, enucleatim ordinantur ac sapientissime disponuntur. Quin imo nihil ibidem fere praecipitur, quod non ex generalibus ecclesiasticae disciplinae fontibus derivatum fuerit: hinc est, quod omnibus Capitulis communia dici debeant, ac normam, ut plurimum, aptissime suppeditare possint (1).

---

(1) De quaestione, an canonici nondum in sacris constituti vocem activam habeant in capitulis, et an saltem assistendi iisdem capitulis ius obtineant, vide

« V. An, qui obtinent praebendam poenitentiariam aut theo-
» logalem, adimpleant, quae adimplenda sunt, et quomodo? »

Summarium. 177. De theologi et poenitentiarii persona ac munere. – 178. Nulla a iure canonico et Conc. Trid. forma praescripta est pro utriusque praebendae collatione. At pro Italia et insulis adiacentibus Bened. XIII. concursum ad instar parochiarum induxit. – 179. In volumine III. sub n. 28. afferetur Constit. Bened. XIV. super concursu incip. *Cum illud.* – 180. Quae solemnitates in parochialibus, eaedem in theologalibus et poenitentiariis praebendis servandae sunt; nisi quod in illis examinatores debent esse synodales, et in his possunt etiam non synodales, modo licentiati ac valde periti. Hi tamen debent esse quatuor et in parochiis possunt esse tres. – 181. Ab utriusque praebendae concursu datur appellatio ab irrationabili iudicio Episcopi, et mala relatione examinatorum. – 182. Triplex inspiciendum est tempus, quo quis reiectionem patitur, nempe ante descriptionem, post descriptionem, post examen. Qui ex singulis casibus consequantur effectus, explicatur. – 183. Si defectus in concursu admissi non tangant intrinsecum iustitiae meritum, sed circa solemnitates extrinsecas tantummodo versentur, potest S. C. eiusmodi defectus sua auctoritate sanare. Plura in id afferuntur exempla. – 184. Inter approbatos ab examinatoribus uni Episcopo ius est eligere, quem ipse digniorem iudicaverit, etiamsi minora iste ab examinatoribus suffragiorum puncta retulerit. – 185. Quando eligendi ius ad Capitulum pertinet, electio dignioris ad Episcopum pertinet, et Capitulo nuda praesentatio relinquitur. – 186. Non est certum, an idem valeat, cum Capitulum ius nominandi habet ex titulo iuris patronatus. – 187. Idipsum valet, cum institutio ad alium, quam Episcopum, e. g. ad Summum Pontificem pertinet. Quando praebenda vacat, sede episcopali vacante, vel mense Pontificio, in iure patronatus etiam ecclesiastico, canonica institutio non S. Sedi, sed Ordinario, idest Vicario Capitulari competit, adeoque electio dignioris patrono salva remanet. – 188. Ceterum patronus ecclesiasticus magis dignum et idoneum inter approbatos eligere tenetur. Episcopus autem

---

Albinganen. Iurium 2. Aug. 1856. – Consuetudo Constitutionibus derogandi vim habet; debet tamen esse legitime praescripta. *Romana Iurium* per Sum. pr. 1747., *Cathacen. Distrib.* 27. Ian. 1866. Capitulum potest condere statuta suum ius vel interesse respicientia, etsi contra consuetudinem eatenus insolitam. *Nicoraten. Stalli* per Sum. pr. 23. Feb. 1848. *Maceraten.* 13. Sept. 1856., ubi per Sum. prec. De consuetudine contra statutum, quae nihili habita est, *Fulginaten.* 5. Iunii 1856. per Sum. prec., ubi, contradicente medietate Capituli derogata est gratia retinendi stalli, namque statuta adversabantur. Vid. supra pag. 345. Perpetuitas in electione officialium Capituli non sustinetur. S.C. Episc. et Regul. *Camerinen.* super official. Capituli 13. Maii 1857.

hunc instituere omnino debet, si nemo sit, qui queratur; aliter enim, uti iudex, in patroni iudicium inquirit. Appellatio datur in devolutivo, si iudicium patroni et Episcopi concordant; aliter datur solum in suspensivo. – 189. In praebendis, quae ad instar parochialium laico patrono subiacent, praesentatum a patrono nominat Episcopus, nec nonnisi idoneum repertum admittit. – 190. Qui si reiicitur, ad novum examen bis terve potest appellare, donec quasi per rem iudicatam de eius imperitia constiterit. S. C. Conc. aliquando novum examen in Urbe indulsit, modo negavit, veluti factum est in Anagnina, cuius adiuncta referuntur. – 191. Theologo non suffragatur doctoratus in iure canonico, sed omnino requiritur doctoratus in theologia. Multa peculiariter de theologi officio explicata leguntur in causa *Casalen.*, quae referetur in III. volumine huius operis sub num. 29. – 192. Si ex legitima consuetudine inductum fuerit, ut theologus conscientiae casus legat, seu moralem doceat, utique ab Episcopo ad id etiam per mulctas adigi potest. Vide postea *n. 470.* – 193. Idipsum accidit, si ex lege fundationis theologus et casus legere et scripturam explanare debeat. Quin imo S. C. Conc. in *Bisarchien.* approbavit decretum Episcopi, qui theologum, iam ex fundatione ad moralem obstrictum, ad S. Scripturam insimul obligandum esse in edictalibus concursus literis edixerat. – 194. Circa loci, temporis et horae determinationem standum est prudenti Episcopi arbitrio. – 195. Qua die theologus legit, uti praesens habetur in choro, et distributiones lucratur. – 196. Idque valet, etiamsi mane tantum vel sero legat. – 197. Neutiquam vero, si Matutinum et Laudes die praecedenti anticipentur. – 198. Canonici distributiones theologo negare nequeunt, etiamsi adesset consuetudo contraria, vel hora certa lectio habeatur, vel paucae sint in anno lectiones, vel parvus sit canonicorum numerus. – 199. Quin imo die, qua legit theologus, distributiones etiam extraordinarias lucrifacit, modo non obstet consuetudo, vel statutum, vel mens disponentium. – 200. Poenitentiarius debet esse doctor vel licentiatus in theologia, vel iure canonico, et annos 40 natus. Circa poenitentiarium affertur doctrina Ferraris. Sui muneris vi potestatem habet confessiones excipiendi uti parochus. Quilibet potest ei confiteri, et satisfacere praecepto. Haec autem intelligi debent de subditis dioecesanis, minime vero secus, etiamsi adsit privilegium Bullae Cruciatae, vel licentia parochi. – 201. Poenitentiarius non potest suam potestatem delegare neque circa casus reservatos, a quibus nec ipse potest absolvere sine speciali delegatione. Ipse tenetur integras confessiones audire, non circa casus reservatos tantum. Debet adstare in confessionali etiam non vocatus diebus solemnioribus. Non debet tenere in manu virgam, si usus non adest. Si desunt poenitentes, non potest cogi ad assistendum in confessionali. – 202. Non potest cogi ad maiorem residentiam, dummodo non absit in diebus so-

lemnioribus. Audiens confessiones habetur pro praesente; minime vero si non audiat confessiones, aut Missam privatam celebret, aut Officium privatim recitet. Idem lucratur distributiones ordinarias, atque adeo extraordinarias, nisi consuetudo, statutum aut mens disponentium aliter praescribat. Secus est, si confessiones extra cathedralem audiat. – 203. Non potest esse Vicarius Generalis, nec confessarius monialium iuxta modum. – 204. Praesens habetur in choro etiam ille, qui aliquando poenitentiarii vices expleat. – 205. Poenitentiarius potest cogi ad accipiendam facultatem absolvendi a reservatis, etiam per comminationem censurarum. – 206. Dum in confessionali audit confessiones, gerere non debet indumenta choralia, nisi adsit consuetudo. – 207. Theologus et poenitentiarius non possunt cogi ad suscipienda ea officia capitularia, quae ipsos in suo munere obeundo impedirent. – 208. Afferuntur S. C. Conc. declarationes, quibus pro varietate circumstantiarum edixit eadem officia eisdem iniungenda esse, vel non. – 209. Si ius optionis in aliquo Capitulo obtineat, quae iura pro theologo, eadem pro poenitentiario valent, et viceversa. Si praebendae destinatio formiter locum non habuerit ante praebendae vacationem, vincit ius optionis, nec praebendam in usum officii theologalis, vel poenitentialis destinare licet. Si decretum peractae destinationis ante vacationem locum habuerit, secus dicendum est. Poenitentialis vel theologalis praebenda semel constituta optari non potest, neque etiam canonicus eas obtinens potest alias optare. Ne vero, cum maius onus perfert, minora emolumenta percipiat, succurritur per indultum S. C., ut possit optare. At lex adiicitur, ut, cum una ex pinguioribus optata fuerit, perpetuo pro theologo vel poenitentiario destinata intelligatur. In *Signina* insuper canonicorum seniorum iam extantium ius salvum esse debere S. C. praescripsit. – 210. Quod supra dictum est, theologum vel poenitentiarium optionis iure uti non posse, ita intelligendum est, ut optare non possit, retento titulo. Nam si titulum cum officio in manibus Episcopi canonice resignet, optionis ius exercere non prohibetur.

177. In paragraphis quinta et sexta primi capitis nostrae Benedictinae Instructionis, ubi rogantur Antistites, an in cathedralibus erecta adsit praebenda poenitentialis simul ac theologalis, fuse explicavimus ea, quae harum praebendarum erectionem respiciunt, aliaque omnia, quae cum ea re affinitatem habent. In hac quinta paragrapho tertii capitis, ubi quaeritur ab Antistitibus, an canonici poenitentiarius ac theologalis adimpleant, quae adimplenda sunt, et quomodo, ea studebimus evolvere, quae ad personam canonici poenitentiarii ac theologi proprie spectant, et eorumdem munus afficiunt.

178. Ex iure sacrorum canonum et Concilii Tridentini, nulla peculiaris forma solemnis constituta est, quam servare debeant Episcopi, quandocumque alicui personae sive poenitentialem, sive theologalem praebendam conferre debeant. Quocirca hoc inspecto iure, satis est, ut ipsis legitime constet, quod candidati eadem praebenda iuxta sacrorum canonum praescripta digni sint, atque insuper ea idoneitate praediti, quae officii utrique adfixi muneribus cumulate obeundis par habeatur. Verumtamen in Italia, eiusque adiacentibus insulis concursus praemittendus est eo modo, quo de parochiis praescriptum exstat: id enim Bened. XIII. speciali lege sancivit in Constit. incip. *Pastoralis officii*, quam dabimus in vol. *III.* sub *num. 7.*

179. Quoniam vero in conferendis ecclesiis parochialibus hodie inhaerendum est Constitutioni seu Literis encyclicis Bened. XIV. incip. *Cum illud* diei 14. Decemb. 1742., quae omnibus Episcopis etiam extra Italiam directae sunt, ideoque similiter ab ipsis servari debent; ne quid hac in re desit, has quoque referemus volumine III. sub num. 28. eo magis, quod in ipsarum paroeciarum collatione, de quibus paulo post sermonem habebimus, non mediocri Episcopis usui et utilitati eas fore persuasum habeamus.

180. Quae itaque forma per omnes partes teneri solet pro parochiis, eadem pro praebendis theologali ac poenitentiali servari debet. Pauca sunt, in quibus aliquod inter utrasque discrimen interponitur, ut ex comparatione Constit. *Pastoralis officii* et Constit. *Cum illud* aperte colligitur; sic ex. gr. in parochiis examinatores debent esse synodales; at vero in praebendis theologali et poenitentiariae deputare licet examinatores etiam non synodales, dummodo sint saltem licentiati ac valde periti. Hi tamen quatuor numero esse debent, dum contra in paroeciis tres etiam satis esse queunt ex iure Conc. Trid. *Sess. 24. cap. 18. de Reform.*

181. Quemadmodum in parochiis datur appellatio ab irrationabili iudicio Episcopi et mala relatione examinatorum, sic etiam conceditur illis, qui in concursu theologalium ac poenitentialium praebendarum sese gravatos esse sentiunt, quemadmodum passim videre est in Thesauro Resolut. S. Congr. Conc., ac praesertim in *Alerien. Canon. Poenitent.* 19. Apr. 1777., in *Urbevetana* 11. Iulii 1846. Hac in re nonnulla perpendenda sunt.

182. In folio *S. Marci et Bisinian. Concursus* ad diem 22. Iulii 1850. §. *Verum* triplex esse tempus inspiciendum traditur,

quo candidati seu concurrentes reiici possunt: nimirum primo ante descriptionem, deinde post descriptionem, tertio post expletum examen. Initium sumendo ab hoc tertio casu ibidem §. *Nemo* ponitur, indubitati iuris esse, subveniri per remedium appellationis ab irrationabili iudicio Episcopi vel mala relatione examinatorum. In secundo casu statuitur ibidem §. *Indubitati* ob spretum Conc. Trident. *Sess. 24. cap. 18. de Reform.* concursum nullitatis vitio laborare, ac proinde parochiae vel praebendae collationem ad S. Sedem devolvi, ut firmat Rota in *Metropolitana Praeb. theol.* 27. Iun. et 5. Dec. 1755. *coram Stadion.* Vide Ferrar. verbo *Concursus, art. 1. in fin. Add. ex aliena manu,* sed et S. C. Conc. confirmavit in *Oritan.* seu *Tarent. Concursus pro theologali praebenda* 7. Augusti 1841. ad ea, quae in eiusdem folio §. *Quoad exclusionem*, plena manu congeruntur. Maior difficultas offenditur in tertio casu, de quo neque Conc. Trid., neque Pontificiae Constitutiones loquuntur. At in *S. Marci ac Bisin.* §. *Maior* quaestio ad factum reducitur, videlicet, an qui rejectus fuit, indignus et inhabilis censendus sit. In prima enim hypothesi, licet ex Fagnano (ibidem §. *Si neque*) possit Episcopus etiam criminosos describere, neutiquam tamen tenetur; et reapse a S. C. Conc. in *Tarentina Archipr.* 7. Decemb. 1720., concursus validus declaratus est, tametsi Episcopus quemdam de concubinatu diffamatum describere renuisset. Si vero eum, qui repulsam passus est, neque indignum neque ineptum esse constet, tum secus est: et sane in memorata *S. Marci ac Bisin.* resoluta 18. Sept. 1852. constare de nullitate concursus, sacer Ordo declaravit, iussitque renovari concursum, actaque ad S. Sedem transmitti, quia nempe eum, qui repulsam passus fuerat, neque inhabilem neque indignum esse demonstrabatur.

183. In appellatione ad S. Sedem interponenda accurate ponderari debet, an gravamen oppositum respiciat intrinsecum iustitiae meritum, quando videlicet examinatores minus recte de competitorum scientia aliisque bonis qualitatibus in detrimentum appellantium Episcopo retulerunt, aut Episcopus iniustum et irrationabile eadem de re iudicium pronuntiavit: an gravamen extrinsecam formam tantummodo afficiat, quia videlicet aliqua ex praemissis solemnitatibus vel omissa, vel ad unguem servata non fuerit, ex. gr. si examen scripto non fuerit peractum, si examinatores non erant licentiati, et alia id genus. In primo casu,

constito sane de mala relatione examinatorum, aut irrationabili iudicio Episcopi, S. Cong., omnibus ac singulis concursus actis rescissis, mandat, ut novus concursus indicatur penes Metropolitanum, veluti in *Urbanien. Praeb. theol.* 23. Iun. 1764., *Larinen. Concursus* 2. Sept. 1758. In secundo casu, modo nihil contra iustitiam sive ex parte examinatorum, sive ex parte Episcopi peccatum fuerit, potest S. C. defectus admissos sua auctoritate sanare, dummodo rationabiles causae concurrant: quo casu neque acta rescindit, neque novum iubet concursum, et ratio ea esse videtur, quod, cum aliunde constet de maiore habilitate et dignitate electae personae, solemnitates in forma concursus omissae, aut neglectae concursus nullitatem secum ferre non reputantur, vel saltem S. C. hisce in casibus necessarium non arbitratur, ut concursus instauretur. Et sane in *Policastren. Paroch.* diei 18. Sept. 1745. confirmata 28. Maii. 1746., in qua examen coram duobus examinatoribus synodalibus tantum, addito tertio Vicario Generali, qui synodalis examinator non erat, quamvis ex illius dioecesis consuetudine loco tertii examinatoris assumi soleret, absolutum fuisse opponebatur, ac deinde dictum examen ad unam doctrinam coercitum, minime vero ad mores, aliaque requisita extensum fuisse, et insuper conciunculam verbo, non scripto traditam fuisse subiiciebatur, sacer Ordo super nullitate requisitus respondit: « *esse locum sanationi ad cautelam* » et ad mentem, quae fuit, ut concursum convalidaret quidem *ad cautelam, sed simul scribendum dixit Episcopo, Vicarium Generalem non posse deinceps synodalis examinatoris munus exercere, nisi proprio expresso nomine ad illud iterum deputaretur,* teste Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. 4. cap. 7. num. 5.* In *Milevitana Parochialis* 2. Iunii 1764., in qua contra peracti concursus validitatem aliqui defectus ex non servata forma excipiebantur, licet S. Cong. pro nullitate in prima propositione causae stetisset, nihilominus, instaurato certamine, ac re maturius expensa die 15. Sept. insequentis a decisis recedendum esse pronuntiavit. Et in *Alerien. Can. poen.* 19. Apr. 1777., in qua Antonius Matra querebatur, examen verbotenus ab examinatoribus synodalibus expletum fuisse, seseque licet doctorali laurea insignitum ab Episcopo posthabitum fuisse Dominico Iacobi eodem gradu carenti, proposito dubio: « An sustineatur collatio poenitentiarii in per- » sonam canonici Dominici Iacobi, seu potius locus sit novo exa-

mini in casu? » S. C. respondit die 10. Maii illius anni: « Affir- » mative ad primam partem, negative ad secundam et amplius. » Tandem in *Forolivien. Concursus* die 5. Septemb. 1846. Episcopus in theologum renuntiavit Eugenium Zavatti, et competitores repulsam passi penes S. C. Conc. nullitatem concursus acriter tuebantur ex eo, quod et acta concursus non ab omnibus sua subscriptione munita fuissent, qui ea iuxta Constit. Bened. XIV. *Cum illud* subscribere debent, et examinatores non omnes doctorali laurea fulsissent. Proposito igitur dubio: « An constet de » nullitate concursus, ita ut sit locus novo concursui in casu? » S. C. respondit: « Negative et amplius. » Et iterum causa ad examen revocata die 24. Apr. 1847. S. C. stetit *in decisis et amplius*. Ceterum si cui placeat penitus cognoscere rationum momenta, quae militant pro hac doctrina, quod omissio huiusmodi solemnitatum in concursu praescriptarum nullitatem minime importare videatur, adeat folium eiusdem causae *Forolivien.* ad diem 5. Sept. 1846., ubi controversia haec docte simul et solide pertractatur (1).

184. In celebratione concursus inter competitores sunt nonnulli, qui ab examinatoribus omnino reiiciuntur, et nonnulli, qui approbantur; itemque inter approbatos sunt, qui plus vel minus suffragiorum ab examinatoribus consequuntur, sive ex titulo scientiae, sive ex aliorum meritorum ratione. Iamvero Episcopus, dummodo unum eligat ex approbatorum numero, licet posthabeat alios, qui maiorum suffragiorum puncta retulerint, electio sustinetur. Res haec, formiter discusso articulo, definita est in *Aversana Can. theol. et poenit.* die 21. Nov. 1829. Dubium enim, quod in consultationem vocabatur, ita erat conceptum: « An Episcopus polleat » iure eum eligendi ad praebendam theologalem et poenitentia- » riam, quem ipse inter approbatos in formali concursu digniorem » iudicaverit, seu potius illum eligere teneatur, quem magis ido- » neum in eodem concursu examinatores renuntiaverint in casu? » S. C. respondit: « Affirmative ad primam partem, negative ad se- » cundam. » Quocirca repudiata fuit sententia auctoris Additionum ad Ferrar. verbo *Canonicatus art. 9.*, qui in suae sententiae subsidium causam *Salernitanam* 1. Sept. 1753. afferebat. In

(1) De examinatoribus synodalibus, qui gratuito munus suum exercere debent, vide *Acta S. Sedis* vol. 2. pag. 88.

ea siquidem causa sacri Ordinis scopus erat, ut Capitulum ab electionis iure excluderet, idemque ius Archiepiscopo ita adiudicaret, ut electionem inter approbatos ab examinatoribus coercere teneretur, uti fusius in fol. *Aversanae* §. *Ex his*. Itaque hoc Episcoporum iure statuto, si quis de irrationabili Episcopi iudicio ob hanc causam conquereretur, S. C. eiusdem querelam reiiceret, prout contigit in *Urbevetana Concurs.* 11. Iulii 1846., ubi Episcopi electio hac punctim de causâ impugnabatur. Sed proposito huiusmodi casu, concinnatum fuit dubium: « An et quomodo con» stet de irrationabili iudicio Episcopi circa electionem canonici » theologi in casu? » S. C. respondit: « Negative in omnibus et amplius » (1).

185. S. C. Conc. pluries etiam definivit, ad Episcopum spectare electionem dignioris inter plures approbatos in concursu, quamvis ageretur de praebendis, in quibus electio personae ad eas instituendae ad Capitulum pertinebat, antequam Constit. *Pastoralis* edita fuisset, adeoque Capitulo nihil iuris reliquum foret, praeter ius praesentandi personam ab Episcopo inter approbatas electam. Huius rei prostant exempla in *Cremonen. Praeb. theol.* 15. Mart. 1727., *Maioricen. Can. theol.* 15. Dec. 1753., *Pinnen.* 25. April. 1761., in qua, disceptato dubio: « An electio ad ca» nonicatum theologalem fieri possit a Capitulo favore sibi ma» gis bene visi inter approbatos in concursu, et collatio priva» tive spectet ad Episcopum? » responsum prodiit: « Electionem, » et collationem spectare ad Episcopum, praesentationem vero » spectare ad Capitulum et amplius. » Idipsum confirmatum fuit in alia *Pinnen. Supp. canon. et erect. praeb. theolog.* 1. Iun. 1861., in qua S. C. respondit in hanc sententiam iuxta declarationem in veteri *Pinnen.* 25. Apr. 1761.

186. Superius diximus, id valere (nempe ut electio dignioris ad Episcopum spectet) quando generatim ius electionis ad Capitulum pertineat. Non est tamen certum, an idem valeat, quando Capitulum super praebenda theologali vel poenitentiali non ius electionis, sed ius patronatus ecclesiasticum obtineat. Ratio dubitandi exsurgit ab exemplo parochialium ecclesiarum, in quibus ex disertis verbis Conc. Trident. *Sess. 24. cap. 18. v. Si vero,* Capitulo patrono electio personae relinquitur. Cui quidem rei cum

(1) Vid. *Acta S. Sedis,* vol. 2. a pag. 67. ad 80.

Capitulum Pinnense enixius institisset die 29. Mart. 1862., praebendam theologalem Capituli iuripatronatus obnoxiam propugnans, S. C. rem in suspenso reliquit. Cum enim iurispatronatus pertinentia non satis a Capituli defensore demonstraretur, sacer Ordo maluit respondere: « Seposita iurispatronatus quaestione, » in decisis. »

187. Quod si institutio ad alium, quam ad Episcopum pertineat, ex. gr. ad Pontificem iure reservationis ob vacationem in mensibus reservatis, tum ex eodem Concilio *loc. cit.* etiam in parochialibus electio personae ad Episcopum pertineret, reservato favore Capituli actu praesentationis tantummodo exercendae. Vide Bened. XIV. *de syn. dioec. lib. 4. c. 8. n. 7. et seq.*, ubi hoc argumentum fuse persequitur.

Quadrat hic causa *Bononien., seu Ord. Erem. S. Augustini Iurisp. eccl.* 4. Mart. 1864. Augustiniani iurepatronatus fruebantur super quadam parochia saeculari. Vacaverat haec mense Martio 1863., cum vacaret insimul sedes Archiepiscopalis. Quaerebatur, an ius eligendi digniorem inter approbatos spectaret ad Vicarium Capitularem, salvo Augustinianis iure praesentationis, seu potius tam ius eligendi, quam praesentandi exclusive ad Augustinianenses pertineret. Vicarius Capitularis contendebat, ex regula secunda Cancellariae parochiae collationem S. Sedi reservatam esse, adeoque sibi ius eligendi digniorem, Augustinianis nudam praesentationem competere ex doctrina Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. 4. c. 8. n. 10.* ad formam Conc. Trid. *Sess 21. cap. 16. de Reform.* At vero Augustiniani excipiebant, in casu, de quo agebatur, locum non esse reservationibus neque secundae, neque nonae de mensibus regulae: nam de collatione res erat non libera, sed iuripatronatus obnoxia, quo casu canonica institutio a regulis praedictis excipitur, et ordinario collatori sarta tectaque relinquitur iuxta communem interpretum sententiam. Emi Patres declaraverunt, non ad Vicarium Capitularem, sed ad Augustinianos pertinere tum ius eligendae personae dignioris, tum eiusdem ad curiam praesentandae.

188. Ceterum patronum ecclesiasticum teneri eum praesentare, *quem inter probatos ab examinatoribus digniorem magisque idoneum censebit, quod valet amplius quacumque admonitione vel interpellatione, quam Episcopus patrono ecclesiastico faciat,* declaravit Bened. XIV. Constit. *Redditae nobis* 9. Apr. 1746. Porro

notandum, contra huiusmodi dispositionem illud oppositum fuisse, patronis deberi antea intimari, ut digniorem praesentent, iuxta doctrinam Abbatis *cap. 2. Constitutis de Appell.* Iamvero Summus Pontifex declarat, Conc. Trid. sanctionem, qua ecclesiastici patroni digniorem praesentare admonentur, valere multo plus quam valere queat intimatio vel admonitio iuxta textum allegatum praemittenda.

Bened. XIV. declaravit insuper, Episcopum teneri instituere eum, quem patronus digniorem iudicaverit, et ipsi Episcopo praesentaverit, si nemo sit inter examinatos, qui querelam contra examen moverit; si vero sit, qui queratur, debet Episcopus iudicis partem sumere, et in iudicium patroni inquirere, an rectum sit. Item hoc in casu edixit, competitoribus exclusis dari appellationem in devolutivo tantum, si iudicium patroni cum iudicio Episcopi conveniat; at si discordet, appellationem dari etiam in suspensivo.

189. Ex his, quae diximus in articulo de theologalis ac poenitentialis praebendae erectione, potest accidere, ut huiusmodi praebendae aliquando iuripatronatus laicorum obnoxiae sint, ideoque conferri debeant adinstar parochiarum, quae simili iure affectae sunt. Itaque hisce in casibus inhaerendum est dispositioni Conc. Trid. *Sess. 24. cap. 18. de Reform.*, quae talis est: « Quodsi iurispatronatus laicorum fuerit, debeat qui a patrono » praesentatus fuerit, ab eisdem deputatis, ut supra, examinari, » et, nonnisi idoneus repertus fuerit, admitti.» Et *Sess. 25. cap. 9. de Reform.*: « Ad haec liceat Episcopo, praesentatos a patronis, » si idonei non fuerint, repellere. »

190. Normam aliquam insuper potest praebere locus, quem exscribimus ex folio *Anagninae Paroch.* 20. Decemb. 1851. §. *Quae cum*, ubi docetur, « praesentatum ad parochialem ecclesiam iu- » rispatronatus laicorum, si reprobatus sit in primo examine, » admitti debere ad novum examen, ne secus appellatio inutilis » evadat, idque bis terque, ut quasi per rem iudicatam de eius » imperitia constare videatur, probant uno ore allati a Gonzalez » ad *Reg. 8. Can. Glos. 4. n. 131.* et Piton. *Disc. ecc. 13. a n. 3.* » *ad 12.* ea ratione, quod praesentatus ius quaesitum habet ex » praesentatione, quod ei tolli non debet: qua in re si nullus » sit contradictor in beneficio, nulla fit iniuria, nullique detri- » mentum infertur, ut disserunt Garcia de *Ben. p. 6. cap. 2. n. 76.*,

» Lotter. *de re Ben. lib. 5. quaest. 31. n. 130.*, Pit. *loc. cit. n. 14.* » S. C. plerumque in identicis casibus novum indulsisse in Urbe » examen colligere est a *Castrimaris* 26. Apr. 1756., sed quan- » doque denegasse, ut in *Asculana Paroch.* 30. Iul. 1763. Di- » scriminis ratio inter eos casus et hunc esse potest, vel quia » non eadem de scientia ac moribus argumenta concurrebant, vel » etiam, quia aderat contradictor. »

S. C. ad novum examen minime admittendum esse etiam declaravit sacerdotem illum praesentatum a patrono, de quo agebatur in eadem causa *Anagnina* modo citata. Defectus idoneitatis constabat ex actis concursus, ex testimonio examinatorum Anagninorum, necnon de voto datariae theologi, ad quem S. Congregatio concursus acta remiserat. Insuper Episcopus adversum de probitate ipsius testimonium perhibebat. Igitur concinnatis dubiis: « I. An constet de mala relatione examinatorum, et de » irrationabili iudicio Episcopi, ita ut ecclesia parochialis S. Ma- » riae Moroli sit adiudicanda sacerdoti Eusebio Canale in casu? » Et quatenus negative: « II. An praedictus Eusebius sit subiicien- » dus novo examini faciendo in Urbe in casu? » S. C. rescripsit ad utrumque: « Negative. »

191. Postquam ea, quae communia sunt utrique personae theologi ac poenitentiarii, exposuimus, ea tractare suscipimus, quae propria sunt alterutri, et propius ac penitius eorumdem officium attingunt. In primis afferimus causam, cui titulus *Dub. praeb. theol.*, in S. C. Conc. die 5. Iunii agitatam, post doctissimum Lambertini discursum *Thes. Res. tom. 2. pag. 329.* In eadem dubium proponebatur: « An provisis de praebenda theologali » cum clausula de assumendo gradu magisterii in S. Theologia » in aliqua approbata Universitate de iure sufficiat, quod magi- » sterium intra annum recipiant in iure canonico in aliqua ap- » probata Universitate? » S. C. respondit: « Negative, et habebitur » ratio in casibus particularibus. » Cum itaque poenitentiarius Balneoregii canonicus, doctor utriusque iuris ad praebendam theologalem translatus fuisset, graveque sibi foret magisterium in theologia adsumere, quaesivit a S. Cong. Conc., an doctoratus in utroque iure ad eum finem satis sibi foret, seu potius dispensationi locus esset in casu. S. Congr. in *Balneor. Praeb. theol.* 11. Apr. 1807. respondit: *Ad primam partem negative, ad secundam affirmative.*

Ceterum plura, quae de theologo inquirenda veniunt, reperiuntur in folio causae *Casalen. Praeben. theol.* 26. Iun. 1847., quae in quinque dubiis agit de materia concionum theologalium, de modo eas habendi, de lectionum numero, ac denique de poenis contra theologos sui officii desertores; itaque secundam ipsius *Casalensis* partem, quae, quid iuris sit, late comprehendit, exhibebimus volumine III. *sub n. 29.*, eo magis, quod in eadem elucubranda, sub auspiciis Secretarii S. Congregationis illius temporis, operam nostram, qualiscumque fuerit, conferre contigerit. Quoniam vero ibidem allegantur encyclicae Literae s. m. Gregorii XVI. incip. *Inter praecipuas* an. 1844., quas admodum expedit prae oculis haberi ab Episcopis, hinc eas etiam adiiciemus eodem volumine III. *sub n. 30.*

192. Quando observantia inductum est, ut theologus casus conscientiae legat, si praesertim eadem observantia a primo erectionis tempore sumat initium, idem theologus cogi potest pro arbitrio Episcopi etiam per mulctas, loco Sacrae Scripturae ad legendos casus conscientiae seu theologiam moralem; ita punctim declaravit S. C. C. in *Pacen.* 22. Sept. 1765., quam deinceps sua Constitutione confirmavit s. m. Clemens XIII., quae legitur in Continuatione Bullarii Magni. Idem alias definitum fuerat in *Ripana* 12. Ianuar. 1692., quae tota legitur in causa *Pacen.* §. *In una*, cuius folium legitur ad diem 24. Aug. eiusdem anni. Consulantur ea, quae disseremus infra *n. 470.*

193. Quin etiam si ex lege fundationis sancitum fuerit, ut theologus utrumque praestet, videlicet Scripturam explanet, et conscientiae casus legat, veluti constitutum fuit in *Vigilien.* 27. Sept. 1681., quae habetur in folio eiusdem *Pacen.* §. *Anno*, ab Episcopo cogi potest ad Scripturam explanandam et conscientiae casus legendos. Praeterea in quodam casu, in quo ex lege fundationis cautum fuerat, ut theologus theologiam moralem doceret, ac insuper Episcopus in literis edictalibus pro concursu legem adiecerat, ut eligendus theologiam moralem et Sacrae Scripturae libros legere teneretur, in casu, de quo agebatur, theologum cumulative tam ad explicandam S. Scripturam, quam ad docendam theologiam teneri declaravit eadem S. C. in *Bisarchien. Praeb. theol.* 26. Sept. 1857. *ad 1.*

194. Circa locum, tempus et horam habendae lectionis Scripturalis standum est prudenti arbitrio Episcopi, quemadmodum

plane resolvit in quarto dubio *Amerinae* diei 11. Iun. 1710. et refertur in *Thesaur. Res. anni 1740. pag. 187.* Si igitur theologus eam habere contenderet inter Missarum solemnia dierum festorum, ac praecise post Evangelium, id ipsi minime liceret, prout declaravit S. C. R. in *Ripana* 30. Apr. 1796. apud Gardell. *n. 4467.*

195. « Theologo illo die, quo legit, tribuendas esse integras » distributiones quotidianas omnium horarum (1), licet non inser- » viverit. » definivit S. C. Conc. in *Mediolanen.* 29. Apr. 1597. *(lib. 7. decret. pag. 6.)* et saepe alias, ac nuperrime in *Bisarchien.* 16. Sept. 1857. dub. 3.

196. Itaque id valet, etsi mane tantum, vel sero tantum legat; *gaudere enim pro integra die, qua habetur lectio,* S. C. Conc. aperte declaravit inter alias in *Barchinonen. Praeb. theol.* 2. Iun. 1860. *per Summ. prec.*

197. Si tamen Matutinum et Laudes recitentur die praecedenti post Vesperas, pro Matutino et Laudibus non est censendus uti praesens. Sacra enim Congr. Conc. Nuntio Hispaniarum Decembr. 1587. rescribebat: « Theologus, qui divinis pro praesente » habetur diebus, quibus legit, non est censendus praesens Ma- » tutinis, quae dicuntur sero praecedenti pro die sequenti. » *(lib. 5. decret. pag. 7. a tergo),* et firmat Fagnan. *Cap. Licet de praeb. num. 117.* et Petra *Constit. 2. Innoc. VI. tom. 4. n. 56.*

198. Canonici denegare nequeunt canonico theologo distributiones quotidianas, licet adesset consuetudo huic inimica, licet ea die lectionem ipse tantummodo legat hora statuta, licet denique paucae sint infra annum Scripturales lectiones, et canonicorum parvus aeque sit numerus. Id enimvero luculenter colligere licet ex subsequenti causa *Perusina Theol.* 30. Iul. 1859. Concinnatis enim tribus hisce dubiis: « I. An canonicus theologus teneatur » dispensatus a choro, etiamsi sui praedecessores nunquam usi » fuerint hoc privilegio pro tota die, qua legit, an tantum pro » respectivis horis in casu? II. An censeatur dispensatus etiamsi » illa die Scripturalis lectionis studio operam non dederit, sed » tantummodo legat hora statuta in casu? III. An paucitas le- » ctionum Scripturalium infra annum, et parvus canonicorum » numerus sit ratio sufficiens, ut canonicus interesse debeat

(1) De theologo dogmaticam edocente et clericorum examini assistente circa sumendas distributiones, vide *Arboren. Theol.* 1861. die 7. Dec. 1861.

» choro illo die, quo legit in casu? » S. Congregatio Concilii respondit: « Ad I. et II. Affirmative. Ad III. Negative. »

199. Circa distributiones extraordinarias generaliter loquendo dicendus est de eisdem etiam participare; nam S. C. in *Avenionen.* Oct. 1586. *ad 17. dub. (lib. 4. decret. pag. 189.)* edixit: « Theo- » logalem praebendam sustinens non lucratur distributiones, quae » dantur pro anniversariis, nisi anniversaria incidant pro diebus » lectionis, in quibus lector habetur pro praesente; » idemque resolutum est in *Oriolen.* 12. Aug. 1628. et *Barchinonen. Praeb. theol.* 2. Iun. 1860. §. *Imo, per Summ. prec.* Si tamen obstet vel constitutio capitularis, vel consuetudo, vel disponentium voluntas, tunc attendenda sunt ea, quae traduntur in *Lucana Exemptionis,* quam afferemus in volumine III. sub num. 25.

200. Ex praescripto Tridentini Conc. *Sess. 24. cap. 8. de Reform.:* « in omnibus cathedralibus ecclesiis, ubi id commode fieri » poterit, poenitentiarius aliquis cum unione praebendae proxime » vacaturae ab Episcopo instituatur, qui magister sit vel doctor, » aut licentiatus in theologia, vel iure canonico, et annorum qua- » draginta, seu alius, qui aptior pro loci qualitate reperiatur, » qui, dum confessiones in ecclesia audiet, interim praesens in » choro censeatur. » Quae vero in canonici poenitentiarii implendo munere attendenda sunt, tradit accurate Ferraris verbo *Canonic. art. 9. n. 67. et seq.*, cuius doctrinam ea de causa suis verbis exhibemus, quod in eiusdem confirmationem Sacrarum Congregationum declarationes allegat, praesertim ex Barbosa et Garzia depromptas: « Poenitentiarius (sic ille) eo ipso, quod est insti- » tutus, habet a iure et Concilio facultatem audiendi confessiones, » et iurisdictionem ad absolvendum a peccatis absque alia Ordi- » narii licentia, et est veluti parochus totius dioecesis... Barbos. » *de off. et pot. Ep. All. 55. n. 19. et alibi.* Poenitentiario potest » quilibet peccata sua confiteri, et sic satisfacere praecepto *C.* » *Omnis utr. sex.* Sic decisum fuisse a S. C. Conc. referunt Gar- » cias, Barbos. *loc. cit. num. 20.* Poenitentiarius institutus pro » audiendis confessionibus unius dioecesis non potest audire in » alia, etiam habentium Bullam, vel licentiam sui parochi. Barbosa » *loc. cit. n. 21.,* Garc. *pag. 2. c. 8. dub. 4. de Ben.,* ubi dicit, sic » decisum fuisse a S. C. in casu simili de parocho; scilicet quod » in aliena dioecesi sine illius Ordinarii approbatione eligi ne- » queat in confessarium ab habentibus privilegium vigore iubilaei

» eligendi confessarium approbatum. Poenitentiarius non potest » delegare suam auctoritatem. (S. C. Episc. et Regul. in *Regien.* » 2. Oct. 1584.).

201. » Non potest poenitentiarius absolvere a casibus, quos » Episcopus sibi expresse reservavit, nisi ipsemet Episcopus talem » specialem facultatem ei expresse concesserit. Sic decisum fuisse » a S. C. referunt Riccius... et Garc. *loc. cit. num. 115.* (1). Nec » potest casus reservatos sibi ab Episcopo commissos alteri subde- » legare, nisi habuerit expressam ad hoc Episcopi facultatem, quia » in eis censetur electa industria personae, et delegatus, maxime » ad nudum ministerium, subdelegare non potest, nisi hoc illi » expresse demandetur *(Cap. ult. §. Ceterum de Off. Del...* Barbos. » *loc. cit. n. 24.)*. Poenitentiarius tenetur integras confessiones au- » dire, non autem solos casus reservatos; (S. C. Conc. teste Garc. » *loc. cit. num. 117.*). Confessiones parochianorum civitatis audire » nullo modo recusare potest poenitentiarius; (S. Congr. Rit. apud » Garc. *loc. cit. n. 118.*). Confessiones audire si renuerit poeni- » tentiarius, poterit ab Episcopo puniri; sic decisum fuisse a » S. C. Conc. refert Garcias *l. c. num. 119.* Imo poenitentiarius » debet assistere et residere de mane, etiam non vocatus, in sede » confessionali ab Episcopo destinata, diebus festis solemnioribus, » videlicet tempore ieiuniorum Quadragesimae, Adventus, Quatuor » Temporum, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis » Christi, Assumptionis B. M. V., Omnium SS., et Nativitatis, ut » habetur decisum in *Segobien.* a S. C. Conc., quam per exten- » sum refert Crisp. *de Vis. Past. pag. 2. §. 24. n. 2.* Non debet » tamen in manu tenere virgam seu bacchettam sicut in Urbe, » praecipue in locis, ubi hoc non est in usu.... Nec potest cogi » ab Episcopo ad interessendum in sua sede eo tempore, quo non adsunt poenitentes, qui sua opera uti velint. (S. C. Episc. » et Regul. 18. Sept. 1627.).

202. » Poenitentiarius non potest cogi ad maiorem residen- » tiam, quam alii canonici, qui per tres menses abesse possunt, » dummodo tamen non absit tempore, quo frequentius poenitentes » accedunt, et diebus festis solemnioribus, veluti tempore ieiu-

---

(1) Super hoc argumento consulendum est folium *Pisauren. Cas. reservat.* 21. Nov. 1761., ubi docetur, poenitentiarium non posse sine Episcopi delegatione a casibus ab hoc reservatis absolvere, vide ibi §. *Et disputat.*

» niorum Quadragesimae, Adventus *etc., ut supra* (S. C. Concilii » teste Garc. *l. c. n. 122.*), qui in ipsis tenetur de mane residere » in sede confessionali etiam non vocatus... Poenitentiarius in » choro pro praesente est habendus, dum audit confessiones in » ecclesia (Conc. Trid. *loc. cit.*). Non tamen pro tempore, quo » residet in confessionario, nec audit confessiones, aliis in choro » divina celebrantibus; nec item si dixerit Missam, aut si pri- » vatim Officium dixerit, etiam ut opportunius confessiones au- » diat, censendus est praesens in choro. Sic decisum fuisse a » S. Congr. Conc... referunt Moneta *de Distr. quot. p. 2. qu. 11.* » *n. 64*... Barbosa *loc. cit. num. 30.* Poenitentiarius dum actua- » liter audit confessiones in ecclesia non solum censetur praesens » in choro ad lucrandas distributiones quotidianas, sed etiam » eleemosynas ipsas, quae distribuuntur pro associandis et sepe- » liendis cadaveribus defunctorum, vel pro supplicationibus et » processionibus, quae per urbem aguntur (1), (S. C. Conc. in » *Ianuen.* 4. Sept. 1591. Garc. *loc. cit. n. 125.*) Poenitentiarius » non censendus est pro praesente in choro, si extra ecclesiam » confessiones audiat, etiam infirmorum, (Barbosa *loc. cit. n. 32.*).

203. » Poenitentiarius non potest esse Vicarius Generalis Epi- » scopi, ne suspicionem ingerat, quod in administratione iustitiae » utatur scientia confessionis, nisi tantae sit apud omnes opinio- » nis, ut excludatur huiusmodi suspicio (S. C. Episc. et Regul. » 15. Iul. 1611.) Poenitentiarius quamvis regulariter non sit ad- » mittendus in confessarium monialium propter difficultatem sa- » tisfaciendi utrique muneri, tamen cum potest utrique satisfa- » cere, S. C. Congr. in *Ianuen.* 11. Sept. 1666. censuit, in hoc » casu non esse prohibendum. (Pignat. *tom. 7. Can. 13.*) »

204. Praesens choro habendus est quilibet canonicus, qui loco poenitentiarii, dum divina celebrantur officia, excipit confessiones iuxta sensum declarationis S. C. Concil. in *Lucana* 10. Martii 1635. relata a Zambon. *Coll. Decl. S. C. C.* verbo *Canonicus* §. *6. n. 6. tom. 2. pag. 174.* « Censuit S. C. oratori Sigismundo Picuino pri- » micerio ita in locum poenitentiarii ad audiendas confessiones » ex necessitate et legitima causa ab Episcopo deputato, dum

---

(1) Id autem ita intellige, nisi consuetudo, statutum, aut mens disponentium aliter praescribat iuxta ea, quae alibi firmantur, ac praesertim paulo superius de theologo.

» tempore deputationis confessiones actu audit, deberi distribu-
» tiones quotidianas non secus ac si divinis intersit in choro. »
Eamdem etiam refert Bened. XIV. *Instit. eccl. 107. n. 55.*

205. Iuvat etiam aliam de poenitentiario declarationem addere editam in *Pisauren. Cas. Res.* 21. Novemb. 1761., in qua haec dubia disceptata sunt: « 1. An Episcopus possit cogere canonicum
» poenitentiarum ad accipiendam delegationem facultatis absol-
» vendi poenitentes a casibus reservatis? – Et quatenus Affirma-
» tive – 2. An teneatur Episcopus deputare sumptibus propriis
» alium sacerdotem dicta facultate praeditum? 3. An comminatio
» suspensionis a divinis ipso facto incurrenda sustineatur? » S. C. rescripsit: « Ad 1. affirmative et amplius. Ad 2. Negative et ad
» mentem. Ad 3. affirmative. » Porro poenitentiarius ille Episcopo pertinaciter obstiterat, quominus delegationem absolvendi poenitentes a casibus reservatis reciperet: itaque Episcopus suspensionem minatus fuerat, si voluntati superioris ulterius obstaret. Mens autem a S. Cong. pandita in secundo dubio fuit, quod hortandus esset Episcopus, ut aliis etiam probis confessariis eamdem facultatem delegaret, quae mens colligitur ex *Ind. Resol.* verbo *Canonicus Poenitentiarius tom. 31. Thesaur. Resol. ad ann. 1761. p. 241.* circa medium.

206. Quamvis ex pluribus decretis S. C. Rit. vetitum edicatur generaliter canonicis Poenitentiam ministrantibus uti choralibus indumentis, ita ut quaelibet contraria consuetudo tamquam abusus et corruptela reprobanda sit *(19. Iulii 1773. – 16. Apr. 1831. – 7. Apr. 1832. – 10. Apr. 1842. – 23. Maii 1846. ad 3. et 4.)* nihilominus si agatur de poenitentiario, qui eadem canonicalia indumenta ex consuetudine gerat, dum in cathedrali confessiones excipit, hanc consuetudinem servari edixit S. C. Conc. in *Ripana Can. Poen.* 2. Iun. 1860. *per Summ. prec.;* ideoque uti praesentem in choro censeri, nec distributionibus posse privari.

207. Tractationem de theologo et poenitentiario insimul inchoatam insimul etiam terminabimus, proposita controversia, an theologus ac poenitentiarius capitularium onera ferre teneantur? In hac re totus controversiae cardo in eo verti videtur, an officium, de quo agatur, compatibile sit cum munere theologi vel poenitentiarii. Cum enim proprii muneris implementum, ut sana ratio dictat, primas sibi partes iure suo vindicare debeat, illud superest, ut, si alia Capituli negotia iidem ex hoc impedimento

obire prohibeantur, onus hoc ab aliis eorum collegiis sustineri debeat. Et sane ita rem componit Petra ad *Constit. 2. Innoc. VI. num. 45. tom. 4.* et S. C. in fol. *Conversan.* Off. Cap. 3. Sept. 1729. §. *In similibus*, et *Pisauren. Camerar.* 21. Nov. 1761. *Praesertim.* Cum igitur capitularia huiusmodi officia inter se diversa sint, quin imo alibi alias occupationes habeant, hinc S. C. pro varietate officiorum et occupationum ipsis officiis in particulari inhaerentium controversias sibi propositas iudicavit atque diremit. Hinc die 3. Oct. 1671. proposito dubio: « An ipse (poenitentiarius) » teneatur assumere administrationem seu oeconomiam bonorum, » et rerum capitularium, ac ceteri canonici, et an etiam officium » punctatoris in choro? » S. Congr. rescripsit: « Negative.» (*Lib.27. decret. pag. 211.*).

208. *In Anagnina Residentiae* 12. Sept. 1676. ad dubium: « An pro negotiis, seu controversiis Capituli obligari possit ca- » nonicus theologus, poenitentiarius aut canonicus curatus cathe- » dralis? » resolutum fuit: « Negative quoad theologum eo tem- » pore, quo tenetur legere; quoad poenitentiarium et curatum » Negative iuxta decreta » (*lib. 29. decret. pag. 307.*). Ratio resolutionis fuit, (ita fol. in *Conversana citata l. cit.*) quia munus theologale non adeo est assiduum, sicuti poenitentiale. In *Vicen. VV. SS. LL.* 15. Apr. 1690. facto dubio: « An Capitulum teneatur » se abstinere ab eligendis canonico theologo et poenitentiario » in officio Capituli, secretarii, archivistae vel aliorum similium? » responsum fuit: « Negative » (*lib. 40. decret. pag. 252.*). Et ratio resolutionis in eo sita fuit, quia, ut animadvertit Petra (*loc. cit.*), huiusmodi officia non requirunt totum hominem, ut illos a dicto munere necessario divertant, sed sunt officia, quae manualiter parvo momento expediuntur.

In citata *Conversana Off. Cap.* officia, de quibus res erat, tot ac tantas secum ferebant occupationes, ut non ita facile sine detrimento officii praesertim poenitentialis expediri possent, veluti colligitur ex facti specie. Igitur in comitiis die 19. Novembr. 1729. concinnatis duobus dubiis: « 1. An canonicus poenitentiarius te- » neatur assumere onera et officia capitularia, et praesertim pro- » curationem generalem in casu? 2. An canonicus theologus te- » neatur ad eadem onera et officia in casu? » responsum editum est: « Ad 1. Negative. Ad 2. Dilata. » Neque vero constat, hoc alterum dubium unquam alias iterum fuisse propositum.

In *Pisauren. Camerar.* 21. Nov. 1761. poenitentiarius ex antiqua observantia camerarii munus obire consueverat non secus ac alii canonici: insuper experientia compertum fuerat, tum poenitentiarium illius temporis, tum eiusdem decessores camerariatus onera absolvere potuisse, quin unquam in navanda confessionibus excipiendis opera defecisse deprehensi essent. Quocirca tametsi decretum ab Episcopo latum fuisset, quo poenitentiarius vetabatur eligi in camerarium, ad dubium: « An canonicus poenitentiarius » a Capitulo eligi possit ad officium camerarii in casu? » rescriptum est: « Affirmative. »

209. Nemini ignotum est, penes plura Capitula sive ex privilegio, sive ex statuto, sive ex consuetudine illud obtinere, ut canonici praebendas magis opimas, quotiescumque vacaverint, optandi iure potiantur. Itaque non inconcinne quaeri potest, quid iuris sit, quando agatur de theologo vel poenitentiario, quorum praebendae iuxta sanctionem Conc. Trid. et Constit. Bened. XIII. *Pastoralis officii* in eorum officii usum perpetuo constitutae esse debent. In primis statuendum est, ea iura, quae pro poenitentiario valent, eadem pro theologo valere, ac viceversa. (S. Cong. Conc. in *Vicentina* Optionis 31. Ian. 1852. §. *Prima., Bellunen. Erect.* Praeb. Poen. 23. Apr. 1864. §. *Ius enim*). Subinde cum ex Conc. Trid. et Constit. « *Pastoralis* » praebenda, quae prima vacaverit, pro utroque officio destinanda sit, ante omnia inquirendum est, an id locum habeat, quandocumque praebenda, quae primo vacat, optionis iuri obnoxia sit. Iam vero penes doctores ea distinctio invaluit, ut vincat ius optionis, si tempore vacationis praebenda per Episcopi decretum in poenitentiariae vel theologalis usum formiter destinata non fuerit; secus autem si aliter accidit. Consulatur doctissimus Petra ad *Constit. II. Innoc. VI. n. 24. tom. 4.*, a quo alii plures haud parvi nominis doctores allegantur, necnon S. C. C. in citata *Bellunen.* §. *Equidem* et §. *At iuxta.*

Semel autem huiusmodi peracta destinatione, propius ad praestitutam quaestionem venio, an poenitentiarius vel theologus praebendas pinguiores optandi iure polleant. Porro hac in re iterum distinguendum est, an idem canonicus praebendae titulum retinere velit, an ipsum una cum suo munere dimittat. Si primum, negativa responsio certa et indubitata est; nam praeter doctorum sententiam non paucae tum veteres, tum recentiores S. C. C. declarationes in promptu sunt, quae utrique canonico optandi ius aper-

tissime denegant. Quin etiam addunt, utriusque praebendas neque etiam posse amplius optari. Satis sit *Volateran.* 18. Maii 1598. (*lib. 9. decret. pag. 70.*) afferre, in qua S. C. ex oraculo SSm̃i decrevit: « *quod praebenda theologalis non possit amplius optari,* » *sed perpetuo ab ipso theologo obtineatur, nec theologus possit aliàs* » *praebendas optare.*» Vide Petram *l. c. num. 26.* S. C. in memorata *Vicentina* Optionis §. *Et re quidem,* et *Bellunen.* §. *An vero.*

Quoniam vero *absonum videtur* « (verbis utar Card. Petrae » *loc. cit.*) *quod theologus* (idem dic de poenitentiario), *qui maius* » *onus subit, minora emolumenta, quam ceteri simplices canonici in* » *perpetuum habeat* », hinc S. C. Conc. persaepe indulsit, ut ambo praebendam opulentiorem semel optare possent, vel etiam iterato, sicut ceteri canonici, hac tamen adiecta lege, ut quando ad aliquam ex pinguioribus deventum fuerit, isthaec poenitentiario ac theologo destinata in perpetuum intelligatur: cuius indulti exempla prostant (ut antiquiora praeteream) in *Milevitana* 29. Febr. 1726., *Regien.* Optionis 7. Iunii 1755. et confirmata 12. sequent. Iulii *Volaterran.* Iur. option. 20. Iulii 1793., *Bellunen.* superius allegata diei 23. Apr. 1864.

In *Signina* Canon. Poen. quoad opt. 25. Iunii 1864. S. C. canonicorum iam exstantium ius reservatum voluit. Porro in Capitulo Signino, ubi vigebat ius optionis, praebendae theologali tenuissimus inerat reditus scut. septem circiter, et alioquin distributionum cumulus totius anni summam exaequabat scut. 36. Cum itaque poenitentiarius ne proventum quidem scut. 60. iuxta Constit. *Pastoralis* obtineret, supplex a S. C. petiit, ut sibi optionis ius, quod ipsi non competebat, exercere fas esset. Capitulum in genere non abnuebat, attamen opinabatur, quod canonicorum seniorum, qui tum erant, ius utpote iam quaesitum sartum ac tectum servaretur. Capitulo adstipulabatur Episcopus; itaque concinnato dubio: « An et quomodo annuendum sit oratoris precibus in » casu? » Em̃i Patres rescripserunt: « Affirmative, iuxta modum, » nempe, ut salvo iure optionis canonicorum nunc existentium, » poenitentiario ascensio gradatim detur iuxta ultimam partem » voti Episcopi, quousque assignetur una ex pinguioribus prae- » bendis ab eodem Episcopo designanda, quae nunc pro tunc » poenitentiario perpetuo addicatur, facto verbo cum SSm̃o. »

210. Quid autem, si theologus vel poenitentiarius praebendam aeque ac officium in Ordinarii manibus libere dimittat? quod

secundam distinctionis modo factae partem proprie respicit. Hoc in casu praenotandum est id, quod perpenditur a S. Congr. Conc. in *Vicentina* superius citata §. *Affabre et seq.*, nimirum, quod Episcopo ius sit illud diiudicare, an canonicae adsint causae, quibus vel poenitentiarii vel theologi dimissio seu resignatio excipi debeat, necne. Si adsint, nihil vetat, quin uterque suam praebendam dimittere queat et praebendam simplicem opulentiorem adipisci: qua distinctione praestituta conciliantur sententiae doctorum, qui prima fronte sibi contradicere videntur. (S. C. Conc. in dicta *Vicentina* §. *Atque, et sequent.*) Ceterum hac eadem de causa concinnato dubio: « An canonico N. N., resignata » cum officio praebenda theologali in manibus Episcopi, competat » ius optandi? » Emi Patres rescripserunt: « Affirmative ».

« VI. An parochi in suis parochiis resideant. »

Summarium. 211. Tridentinae Synodi decretum super parochorum residentia. – 212. Huiusmodi residentiae obligationem magis magisque inculcavit S. Pius V. – 213. Item Bened. XIII. – 214. Si parochus legitima de causa a parochia discedat, alium, qui suas obeat vices, deputare tenetur: eiusque deputandi ius parocho, confirmandi Episcopo competit. Constit. Innocentii XIII. *Apostolici* a Bened. XIII. confirmata, per Constit. *In supremo* commendatur, utpote providentissimas ecclesiasticae disciplinae sanctiones continens. – 215. Male nonnulli doctores tradunt, posse parochum abesse per duos menses absque Episcopi permissu, modo legitima adsit causa. Absentiae causa debet esse Episcopo cognita et ab eodem approbata, et venia nonnisi in scriptis obtinenda. – 216. Imo sine hac venia nec per hebdomadam parochus potest abesse. Excipitur causa repentina, quae non admittat dilationem: quo casu quamprimum parorochus Episcopum certiorem faciet. – 217. Pro absentia modici temporis sufficere potest licentia Vicarii foranei. Exceptis casibus repentinis, non potest parochus iuxta Conc. Romanum 1725. ultra biduum sine licentia a parochia abesse; in dioecesibus Concilio Romano minime subditis synodalibus statutis standum esse tradit Bened. XIV. – 218. Non licet parocho abesse a parochia, et in civitate per duo, tria, quatuor milliaria distanti diu noctuque commorari, licet substitutum relinquat et diebus festis ad parochiam se conferat. Item nec si maiore anni parte per diem commoratur, tametsi noctu in parochia resideat. Item nec viceversa, si nocte in civitate commoretur, die in parochia resideat. – 219. Imo parochi residere tenentur in domo parochiali, sin minus in domo viciniori intra ambitum parochialem conducta. – 220. Si tamen in domo paro-

chiali non resederint, ad fructuum restitutionem non tenentur; sed possunt coerceri iuris remediis et mulctari privatione fructuum. – 221. Parochi amovibiles residere tenentur aeque ac perpetui. – 222. Ut parocho sine licentia Episcopi abesse liceat, non suffragatur, si habeat iustam causam, licet gravem esse iuret; eamque manifestari expediens non censeat: nec si ea rationabilis viro bono et aequo videatur, quando ceteroquin talem non esse Praelatus iudicet aut fictam suspicetur. – 223. Non est liber a culpa et amissione fructuum parochus, qui per quatuor menses abfuit sine licentia ob evidentem morbi gravitatem, dummodo periculum non fuit in mora. – 224. Potestas cognoscendi et approbandi causam absentiae competit etiam Ordinario *Nullius*. – 225. A residentia non excusat infirmitas, nisi cum ibi curari omnino nequeat. – 226. Neque aetas senilis. – 227. Nec parvus numerus parochianorum. – 228. Nec causa studiorum. – 229. Neque aeris intemperies, etiamsi nemo, excepto indigena, sine periculo residere queat. – 230. At S. C. Conc. aliquando hoc in casu indultum temporaneum concessit. – 231. Aliquando negavit. – 232. Neque pestis parochum a residentia materiali ac formali excusat, etiam cum vitae periculo. – 233. Sed possunt excusare inimicitiae, quando sunt capitales iuxta doctrinam a Fagnano traditam; itaque S. C. indulta ad sex menses concedit, quae olim semel tantum prorogabat. – 234. Hodie vero huiusmodi rigor emollitus est. – 235. Contra parochum absentem procedi potest iuxta *Cap.* Ex parte *de cler. non res.*, nempe si constat, ubi sit, personaliter citandus est, ut intra certum tempus redeat, quo elapso, exspectandi sunt sex menses, quibus pariter elapsis, privatur: si vero nescitur, ubi sit, citatur per tria edicta affixa ad valvas ecclesiae, post ultimum edictum exspectantur sex menses, quibus elapsis ad privationem devenitur. – 236. Ex Conc. Trid. *Sess. 23. cap. 1. de Reform.* alia etiam forma inducta est, nempe ut primo parochus citetur, deinde ad censuras procedatur et fructuum subtractionem et ad alia iuris remedia, postea sex menses omnino exspectentur, quibus elapsis privationi fit locus. – 237. In hac Tridentini Conc. forma sequestratio fructuum ac censurae stant loco trium edictorum. Unam vel alteram formam sequi liberum est, sed adamussim servanda, aliter nulliter ageretur. – 238. Haec confirmationem habent ex declarationibus S. C. Conc. – 239. Ante sequestrationem fructuum omnino requiritur citatio per edictum. Fructus applicandi sunt pauperibus aut fabricae ecclesiae. – 240. Affertur facti species ac resolutio causae *Spoletanae*.

211. Tridentini Patres postquam *Sess. 6. cap. 2.* et *Sess. 23. cap. 1. de Reform.* multa provide constituerunt pro inculcanda ac praescribenda Episcoporum residentia, haec, quae sequuntur, adiecerunt in exitu eiusdem *Sess. 23. cap. 1.*, ut parochos, aliosque

animarum curam habentes ad residentiae legem observandam adigerent: « Eadem (nempe quae de Episcopis a Synodo statuta » fuerant) omnino etiam quoad culpam, amissionem fructuum » et poenas de curatis inferioribus et aliis quibuscumque, qui » beneficium aliquod ecclesiasticum, curam animarum habens, » obtinent, sacrosancta Synodus declarat et decernit; ita tamen » ut, quandocumque eos, causa prius per Episcopum cognita et » probata, abesse contigerit, vicarium idoneum ab ipso Ordina- » rio approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant. » Discedendi autem licentiam in scriptis gratisque concedendam, » ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant. »

212. Praeterea ut parochi magis ac magis intelligant, quam gravissime ad hanc legem servandam obligentur, attendere itidem debent ea, quae eadem hac super re sanxere Summi Pontifices, praesertim Pius IV. Constit. *De salute animarum* 4. Septembris 1560., et Constit. *In suprema* 25 Nov. 1564. necnon S. Pius V. Constit. *Cupientes* 11. Iulii 1568.

213. Circa rectores animarum, qui procul a parochia in alma Urbe moram trahunt, peculiare edictum edidit Innocent. XIII. an. 1723., quod innovavit Bened. XIII. inseruitque omni ex parte in Conc. Romano anni 1725. *Tit. 17. de cler. non resid. cap. 7.* Consulatur Bened. XIV. *Inst. eccl. 17. num. 5.*

Super obligatione, qua adiguntur animarum curatores, residendi in parochia ac in domo parochiali habitandi, consultissimam disputationem elucubravit Baptistellius in sua Synodo Fulginatensi, eaque legitur in eiusdem *Appendice ad cap.* §. *2. pag. 68. et seq.*

214. Post haec aliquas S. Congr. declarationes subnectimus; nam hac in materia haud infrequenter usuvenit, ut eae similibus casibus accommodentur. Et primo quidem circa vicarium a parocho relinquendum, quoties eum ob legitimam causam abesse contingat, advertendum est, vicarium eumdem deputandum non esse ab Episcopo, sed ab ipsomet parocho, praevio tamen Episcopi examine et approbatione, veluti decrevit Sacr. Congr. Conc. in *Zamoren.* 29. Sept. 1691., et 23. Iulii 1622. et fusius declaravit Innoc. XIII. Constit. *Apostolici ministerii.* §. *Quoties;* (quae tota legetur volumine III. sub num. 31.). Haec porro Constitutio licet specialiter ab eodem Pontifice pro restauranda ecclesiastica disciplina in regnis Hispaniarum evulgata fuerit, attamen

Bened. XIII. in Constit. *In supremo.* 23. Sept. 1724. ad quoscumque Ordinarios extendit, veluti auctor est Girald. *Ius Pont. P. II. sect. 19.* (illam dabimus in volumine III. sub num. 32.) et Bened. XIV. Constit. *Pastoralis*, (quae referetur volumine III. sub num. 33.), ubi §. *At cum,* narrat, Congregationem particularem a s. m. *Innoc. XIII.* specialiter deputatam fuisse, ut plura quaestionum capita ventilarentur, quae in memorata Constit. *Apostolici ministerii* eiusdem Pontificis inserta sunt. Quam sapienti vero methodo quaestionum capita proponerentur et diiudicarentur Bened. XIV. eodem loco §. *Verum* accurate describit. Constit. *Apostolici* edita fuit in Concil. Roman. anni 1725., et cum peculiarem in omni parte, tum in hac de vicarii deputatione attentionem plane meretur.

215. Falsa est eorum auctorum doctrina, qui tradunt, posse parochum abesse per duos menses absque Episcopi permissu, dummodo legitima adsit absentiae causa. Nam S. C. Conc. an. 1572. *(lib 2. decret. pag. 202.)* haec habet: « Illmi et Rmi Domini. Sunt » multi rectores in dioecesi Toletana, qui praetendunt, se iuxta » formam Conc. Trid. *Sess. 23. cap. 1. de Reform.* posse per ali- » quod tempus singulis annis a suis parochiis abesse absque » suorum Superiorum licentia, dummodo legitime absentiae cau- » sae rationem proponant, et ita, quia quamplurimi gravissimi » doctores tam theologi quam canonistae sentiunt, aliqui ex prae- » dictis rectoribus ausi sunt absque Superiorum licentia pro suis » negotiis gerendis per aliquod tempus, non tamen ultra duos » menses suas parochias relinquere, tradita tamen quoque prius » alicui idoneo sacerdoti cura animarum et administrationis Sa- » cramentorum, quibus non obstantibus praedicti rectores, quo- » ties id faciunt, a Vicariis severe puniuntur. Quapropter, ne ali- » qua iniusta consuetudo introducatur, supplicant humiliter ab » Illmis DD. VV. Rectores praefati, quatenus praedictum du- » bium in S. C. Concilii Tridentini proponere dignentur, ut, quod » in praemissis tenendum sit, patefiat, ne amplius in praefata » dubitatione versentur. Sacra Congregatio censuit, non potuisse, » nisi causa cognita et probata ab Ordinario et ab eodem in scri- » ptis obtenta licentia. » Vid. Bened. XIV. *Institut. ecclesiast. 17. num. 10.*

216. Imo parochi nec possunt vel per unam hebdomadam abesse, non petita vel non obtenta licentia, etiam relicto vica-

rio idoneo, ab ipso Ordinario approbato, ut S. Congreg. Conc. declaravit die 7. Oct. 1604. *(lib. 10. decret. pag. 100.,* Bened. XIV. *l. c. n. 11.)* Et quidem licentia debet esse expressa et non tacita, ut pariter declaravit die 7. Oct. 1604. « S. C. censuit, so-
» lam distantiam loci cum aequa causa discedendi non excusare
» parochum, ut possit abesse a sua ecclesia sine licentia in scri-
» ptis obtenta, nisi talis necessitas repente se offerat, quae non
» patiatur dilationem huiusmodi licentiam petendi; quo in casu
» quam primum de discessu et de necessitate Ordinarium cer-
» tiorem faciendum esse, ut de causa cognoscere possit.... Nec
» posse per hebdomadam abesse, non petita vel non obtenta li-
» centia, etiam relicto vicario idoneo ab Ordinario approbato...
» Nec sufficere licentiam tacitam, sed oportere esse expressam
» iuxta formam eiusdem Concilii *Sess. 23. cap. 1.* » (Bened. XIV. *loc. cit. num. 11.*).

217. Quando tamen agatur de absentia modici temporis, refert Fagnanus in *Cap.* Relatum *de cler. non res. n. 32.*, quod non semel etiam S. C. permisit, ut in casibus repentinis pro absentia modici temporis sufficeret licentia vicarii foranei. Exceptis tamen repentinis casibus non licet parocho abesse absque licentia ultra biduum. Bened. XIV. *(loc. cit. num. 12.)* tradit, ex peculiaribus cuiusque dioeceseos institutis definiendum, an per duos vel per tres dies parocho abesse liceat, aliquo semper in sui vicem sacerdote deputato.

218. Non licet parocho moram trahere in civitate aut oppido, quod, tametsi non longe distet a parochia, extra illud sit, quin suffragetur, quod alium sacerdotem subroget, qui, si forte aliquid contingeret, praesto esset, ut operam suam impenderet, ceu declaravit eadem S. Congr. 16 Ian. 1636. *(lib. 15. decret. pag. 649)*, et 24. Maii 1670. *(lib. 26. decret. pag. 346.)*, ac magis perspicue in responsis ad haec dubia eidem proposita sub die 10. Maii 1687. ab Episcopo Fulginatensi, quae referunt Bened. XIV. *(loc. cit. n. 18.)* et Giraldius *Ius. Pont. P. II. sect. 87.* « Ad eliminandos plures
» abusus, quos circa residentiam parochorum in sua dioecesi
» irrepsisse refert Episcopus, supplicat ab hac S. C. declarari:
» 1. An rectores ecclesiarum parochialium a civitate distan-
» tium per duo, tria aut quatuor milliaria circiter possint sine
» expressa Episcopi licentia abesse a suis ecclesiis parochialibus,
» relicto ibidem substituto ab eis deputato, et in civitate tam

» diurno quam nocturno tempore iugiter commorari, exceptis solis » diebus festis, in quibus ad dictas ecclesias sese conferunt, re- » vertentes illico ad civitatem?

» 2. An parochi, qui nocturno ceteroquin tempore resident » apud suas ecclesias, possint celebrata summo mane Missa in » dictis ecclesiis, se conferre ad civitatem et in ea diurno tem- » pore totius vel maioris partis anni commorari, licet apud dictas » ecclesias adsint eorum substituti?

» 3. An dicti parochi, qui ceteroquin diurno tempore resident » apud suas ecclesias, possint nocturno tempore totius vel maioris » partis anni commorari in civitate, licet apud dictas ecclesias » adsint eorum substituti?

» S. C. respondit ad 1. 2. ac 3: Negative. »

Consulatur altera *Fulginaten.* Resid. 19. Aug. 1752., in qua parochum diu noctuque in aedibus parochialibus residere debere edixit ad 1. dubium S. Congr. Concilii: « An parochus ecclesiae » parochialis S. Mariae in coelum Assumptae teneatur residere diu » noctuque in aedibus parochialibus eiusdem ecclesiae? » S.Congr. respondit: « Affirmative. »

219. Exinde patet, parochos residere teneri nedum in parochia, sed et in domo parochiali, si quam habent; « sin secus, in » domo propinquiori iuxta limites parochiae, » ut Sacra Congregatio edixit in *Faventina* mensis Dec. 1589., et die 10. Febr., ac 15. Mart. 1618., et in *Turritana* respondit: « Rectores si do- » mum parochialem non habent intra limites parochiae, cogi posse » domum sibi construere ex fructibus et proventibus, aut saltem » aliam conducere intra eosdem limites. » (Girald. *loc. cit.* §. *Imo,* ubi ea per extensum refertur). Consulatur memorata Baptistellii Dissertatio *App. ad Syn. Fulg. pag. 77. et seq.,* ubi plena manu referuntur aliae declarationes, quibus eadem res magis magisque firmatur.

220. Non tenetur tamen ad restitutionem fructuum, ut tenentur parochi non residentes, si non habitant in domo parochiali aut intra limites parochiae, ut censuit eadem S. Congr. 8. Iulii 1624. concepto dubio his verbis: « Cum iam decretum sit, parochum » teneri residere in aedibus parochialibus ecclesiae, seu intra li- » mites parochiae, an ad restitutionem fructuum teneatur ille » parochus, qui nunquam sic resedit, licet ecclesiae parochiali » deserviverit? » S. Congr. censuit: « non teneri, sed cogendum

» esse imposterum residere in domo ecclesiae, vel, si ecclesia non » habeat, in alia propinquiori intra limites parochiae. » (Girald. *loc. cit.*). Notandum vero est, quod, si parochus ab Episcopo admonitus domum parochialem nequaquam inhabitet, possit ab eodem puniri iuris remediis, atque etiam mulctari fructuum privatione iuxta declarationes a Baptistellio relatas *loc. cit. pag. 78.*

221. Parochi ad nutum amovibiles tenentur residere aeque ac perpetui, ut S. C. Conc. declaravit in *Elboren.* 26. Maii 1612.; et in proposito dubio 6. Nov. 1620.: « An canonici seu dignitates » obtinentes parochias in titulum, distantes a cathedrali per di- » midiam leucam, debeant cogi ad residendum in ipsis parochia- » libus, an vero sufficiat, ut diebus festivis accedant ad paro- » chiales ibique Sacramenta ministrent? » censuit: « cogendos » esse ad residentiam » (Girald. *loc. cit.* §. *Parochi*).

222. Quod autem spectat ad causas absentiae ab Episcopo cognoscendas et probandas ex praescripto allati Tridentini decreti, harum cognitio et approbatio ita est necessaria, ut S. C. Conc. die 7. Oct. 1604. declaraverit: « Nec parochum habentem iustam » causam abeundi extra parochiam per duos menses aut tres, » satisfacere suae conscientiae, si petat licentiam, iurans gravem » se habere causam, quam non expediat manifestare, ut sic, petita » licentia, abesse possit, licet Episcopus non concedat. Similiter » abesse non posse in casu, quo causam rationabilem expressit, » quam vir probus et aequus rationabilem iudicaret, licet rigidus » Praelatus minus aequam iudicat, et licentiam denegat, vel quia » movetur suspicione, quod ficta sit, cum tamen sit vera; sed ha- » bere posse recursum ad Superiorem. » (Bened. XIV. *l. c. n. 11.*).

223. « Nec posse (subdit S. C. C.) per hebdomadam abesse, » non petita vel non obtenta licentia, etiam relicto vicario idoneo » ab ipso Ordinario approbato. Nec esse liberum a culpa et a » poena amissionis fructuum, qui veluti per quatuor mensium » spatium ex urgenti admodum causa ad curandam suam vale- » tudinem, morbo gravi instante, recessit, et ad huiusmodi absen- » tiam non petiit licentiam ab Episcopo, quia bona fide putavit, » evidentiam causae satis esse, nisi periculum fuisset in mora pe- » tendi licentiam, ut supra dictum est. Nec sufficere licentiam » tacitam, sed oportere esse expressam iuxta formam eiusdem » Concilii *Sess. 23. cap. 1.* » Ita reperitur *lib. 10. decret. eiusdem Congr. pag. 100.*, apud Girald. *loc. cit.* §. *Quod.*

224. Et notandum, quod facultas tributa Episcopo cognoscendi et approbandi causas absentiae competit etiam Praelatis inferioribus nullius dioecesis proprium territorium et iurisdictionem episcopalem habentibus, ut declaravit eadem Sacra Congregatio in *Nullius* 26. Ianuar. 1625. apud Girald. *loc. cit.* §. *Et notandum.*

225. Plures autem afferuntur causae, ex quibus a residentia sese excusare haud raro parochi existimant. Primo loco venit corporis infirmitas, de qua licentiam recedendi a parochia ita limitatam esse respondit Sacra Congr. apud Girald. *(Ius Pont. P. II. sess. 87.* §. *Quoad II.),* nempe: « Si tamen rector infirmus esset, » et in loco parochiali curari non posset defectu medicorum vel » medicinarum, tunc posse ab Ordinario dari dilationem trium » aut quatuor mensium, ut in locis vicinioribus maneat recupe- » randae sanitatis causa, posito interea ab ipso Ordinario in pa- » rochiali idoneo vicario cum congrua portione ex reditibus eius- » dem parochiae ». *(Lib. 1. decret. pag. 51.,* Bened. XIV. *loc. cit. n. 14.* Girald. *loc. cit.).*

226. Secundo loco circa senectutem S. Congr. die 6. Apr. 1647. respondit: « Nec aetatem senilem, nec malam valetudinem excu- » sare parochum a residentia personali ». *(Lib. 18. decret. pag. 329.* Bened. XIV. *loc. cit.).* Facit ad rem etiam epistola S. C. Conc. ad Episcopum Fulginatensem die 13. Ian. 1720., quae refertur in *App. Syn. Baptistellii pag. 79.*

227. Tertio loco ob parvum numerum parochianorum non excusatur parochus a residentia: cum enim die 3. Octobr. anni 1661. Bernardus Monuzzi, parochus Fognani, petiverit « eximi a resi- » dentia, stante parvo numero familiarum, cui vicinus parochus » supplebit, » S. Congregatio censuit: « Non esse annuendum. » *(Lib. 27. decret. pag. 229.).* Idem confirmat Fagnanus in *Cap.* Exstirpandae §. *Qui vero n. 11. de Praeb.* his verbis: « S. Con- » gregatio consulta, an parochus teneatur residere, etiamsi essent » in illa parochia tres tantum vel quatuor incolae, respondit: » Teneri » (Bened. XIV. *l. c. n. 16.*).

228. Quarto loco erat olim et alia causa concedendi parocho licentiam, ut impune posset abesse per septennium ratione studiorum sacrae Scripturae et iuris canonici in publicis universitatibus *ex Cap.* Cum ex eo *35. de election. in 6.* Verum post Tridentinum hac facultate parochi amplius uti nequeunt ex pluribus laudatae S. Congr. decretis, et praesertim sub die 1. Dec. 1594.

per haec verba, uti legitur apud Girald. *l. c. ad finem.:* « S. C. » censuit, nec etiam causa studiorum licere post Concilium pa- » rochis abesse ab eorum curis, et quoad hoc revocata esse omnia » privilegia tum a iure, tum etiam specialiter concessa; ideo Epi- » scopum posse contra absentes procedere iuxta formam traditam » Conc. Trid. cap. 1. Sess. 23. »

229. Quinto loco enumeratur aeris intemperies et coeli insalubritas, super qua S. C. C. respondit, « aeris intemperiem non » excusare parochum a residentia. » Ita die 7. Iulii 1646. *(lib. 18. decret. pag. 144.)*. Id insuper confirmavit alias, etiamsi parochia sub tanta coeli inclementia constituta sit, ut nemo, nisi indigena ibidem absque vitae periculo commorari possit. Sic anno 1513. respondit Episcopo *Rhegien. (lib. 1. decret. pag. 51.* Girald. *l. c.* §. *Quoad 1.)*.

230. At quamvis causa isthaec parochum ab assidua residentia non excuset, veluti modo firmatum est, nihilominus S. C. Concil. aliquando ex gratia concessit indultum, ut mensibus decurrentibus, qui valetudini magis nocui sint, animarum rectores sub aliquibus cautionibus abesse possent, veluti in *Algaren. per Summ. precum* 13. Mart. 1762., in qua ita rescripsit: « Pro gratia ad » quatuor menses aestivos currentes tantum, comprehensis con- » ciliaribus arbitrio Episcopi, cum obligatione commorandi in » locis vicinioribus parochiae non infectis aeris intemperie, qua- » tenus ex eis in occurrentibus solemnitatibus vel necessitatibus » sine detrimento propriae salutis accedere possit orator ad con- » sulendum parochianorum indigentiis, deputato interim idoneo » vicario ab Episcopo approbando, qui resideat et curam anima- » rum et administrationem Sacramentorum laudabiliter exerceat; » *(lib. 112. decret. pag. 112. a tergo)*. Hoc decretum normam attulit similibus in casibus, prout in *Calaritana* 8. Maii 1762., in *Portuen. Visit. SS. LL.* 8. Aug. 1778. *ad 1. dub.* Consulatur *Fol. Civit. Pleb.* 14. Iun. 1806. §. *Tridentinum.*

231. Aliquando hoc indultum denegavit, ut in cit. *Civitatis Plebis* resoluta die 19. August. 1806. Ibidem parochus exponebat, domum parochialem sitam esse in loco plane insalubri ob aerem nimia humiditate admodum infectum. Ad omnem vero improvisum casum praecavendum spondebat idem, se substituturum esse virum religiosum, qui continuo praesto foret iis, qui parochi ope indigerent. Addebat, ecclesiam sua cura diligentissime custo-

ditum iri, ibique Missam a se celebrandam esse feriatis etiam diebus. Episcopus referebat, domum familiae oratoris, apud quam habitare sibi licere hic postulabat, uno milliario cum dimidio a paroeciae finibus distare. Cum vero antea in familiae suae domo iam habitare consuevisset, neque tamen ipsius Episcopi iudicio detrimentum ullum saluti animarum obveniret, propitiam oratori sententiam Episcopus aperuit. In *Folio* §. *Verum* perpendendum proponebatur, an saltem pro tempore hiberno, quando coelum insalubrius erat, indultum concedi posset ad exemplum *Algaren.* At proposito dubio: « An et quomodo concedenda sit absentia a » residentia in casu? » S. C. rescripsit: « Negative in omnibus, » et orator consulat conscientiae suae. »

232. Sexto loco recenseri potest pestilentiae tempus. Qua super re Vicarius Apostolicus Iuliae Caesareae (teste Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. 13. cap. 19. n. 1.*) postulatum proposuit S. C. Conc. circa onus Episcopis et aliis animarum curam habentibus inhaerens, ne gregem suum tempore pestis deserant, illiusque custodiam et curam aliis sacerdotibus relinquant. In quo idem Pontifex *n. 2.* sic statuit: « Illud ab omnibus indubitanter ad- » mittitur, quod quicumque curam animarum gerit ac residendi » obligatione tenetur, non potest a designato sibi residentiae loco » recedere, ut pestis periculum effugiat, ideoque saeviente licet » peste, et residere debet et residentiae non materialis tantum, » sed et formalis, ut aiunt, onera adimplere, operando nimirum » et laborando pro spiritualibus et corporalibus concreditae sibi » plebis necessitatibus. » Neque vitae propriae periculum potest eos excusare, quin peste infectorum necessitatibus operam suam navent; ait enim idem auctor paulo post: « quapropter Episcopo » parochoque id onus relinquitur, ut proprii muneris officia per » seipsos obeant, suamque vitam pro concreditarum sibi anima- » rum bono in discrimen adducant. »

Ad ea, quae auctor idem constituit, comprobanda multa sane argumenta promit, remque omni ex parte non minori diligentia, quam doctrina explicat et exornat in toto eo capitulo triginta numeris absoluto. Itaque, data occasione, utilissimum erit illud consulere. Adeatur etiam Fagnan. *Cap.* Clericos *de cler. non res. n. 57. et sequent.*

233. Septimo loco demum inter doctores communiter controversia agitatur, an inimicitiae parochum excusent ab observando

residentiae praecepto. Ne pigeat hac de re doctissimum Fagnanum audire. « Quaero, (sic ipse in *Cap.* Clericos *de cler. non res.* » §. *22. et seq.*) an parochus excusetur a residentia propter ini- » micitias? Respondeo, excusari, si inimicitiae sint capitales, ita » ut ad ecclesiam redire non audeat » (*Cap. Bonae, de Elect.* cum reliquis textibus et doctorum a Fagnano cumulatis). « Et in hanc » sententiam (ita idem pergit *n. 25.*) saepius respondit S. C. » Conc., quae in his casibus consuevit dare literas ad Episcopos, » ut, si verae sint et graves inimicitiae, quae narrantur, et absque » parochi culpa, et antequam ecclesiam obtinuit exortae, super » quibus Episcopi conscientia oneratur, dilationem ei det, ut in » alio tutiori ac viciniori loco manere possit, durantibus dum- » taxat inimicitiis, dum tamen non ultra sex menses durent. In- » terea autem vicarium idoneum in illa ecclesia constituat Epi- » scopus, assignata ei congrua portione ex reditibus ecclesiae, et » partes etiam suas interponat, et omnem diligentiam adhibeat, » ut tuto possit residere parochus. Quod si intra sex menses » necdum sedatae sint inimicitiae, rescribit Episcopo, ut det illi » sex mensium prorogationem, repetitis omnibus, quae in prio- » ribus literis continebantur, et sine spe alterius prorogationis, » quae rarissime conceditur. » Non est autem praetereundum, quod progressu temporis huiusmodi rigor temperatus est; nam constat ex *Tiburtina* Indulti 7. Sept. 1757., parocho, de quo inibi res est, absentiae indultum iam ad annum concessum, pluries prorogatum fuisse, idemque repetitum ex resolutione S. Congregationis plenis comitiis elicita. Simile exemplum praebet etiam S. C. Episc. et Regul. in *Massen.* 4. April. 1851.

234. Ratio autem, cur S. C. ob inimicitias indulta perpetua non impertiat, ea est ex auctoritate Fagnani (*loc. cit. num. 27.*), quod a Conc. Trid. *Sess. 6. cap. 2. de Reform.* eadem sublata sunt: hinc « ubi inimicitiae sunt verisimiliter duraturae (sunt » verba Fagnani), ut consulatur curae animarum, inducendus est » parochus ad resignandum vel permutandum; et ita parochus » punitur sine culpa, sed non sine causa. »

235. Contra parochos, qui sine Superioris permissu a parochiali statione procul absunt, tum iure communi, tum Tridentinis decretis certae statutae sunt poenae, de quibus modo sermonem aggredimur. Hac de re clare scribit de Nigris *de vac. benef. lib. 2. cap. 5. n. 6. et sequent.* ibi: « Quod vero attinet ad parochos (ab-

» sentes) aliosque pastores curam animarum habentes, varia est
» dispositio iuris, sed tamen distinguendum est. Si enim certo
» scitur, ubi parochus moram trahat, personaliter citandus est,
» ut intra competentem terminum ad ecclesiam redeat; quo elapso,
» adhuc per sex menses exspectandus est, quibus pariter elapsis,
» parochiali ecclesia privari debet, *Cap.* Ex part. *de cler. non res.;*
» ubi vero latitat, et ignoratur, quo loco moretur, per tria edicta
» ad valvas ecclesiae affigenda citari debet; deinde ab ultimo
» edicto exspectandus per sex menses, quibus elapsis, ad priva-
» tionem procedendum est, ut ecclesia vacet, ac concursus con-
» vocari possit iuxta Tridentini decretum. Ideo in primo casu
» citandus est personaliter, quia, quoties parochus praesens est,
» nec residet, excusationem non habet, et ita iuridice privatur,
» dum iam constet de contumacia. Secundo autem casu ter mo-
» nendus est, ut ad ecclesiam redeat, et tardius privatur ecclesia
» parochiali, quia absens potest habere iustam excusationis cau-
» sam, et huiusmodi interpretatio seu forma procedendi iuridica
» est et in praxi admittenda, ne detur correctio iuris, quae po-
» tius debeat conciliari per *text. cap.* Cum expediat, *de cler. n. 6.*

236. » Verum a Tridentino *Sess. 23. cap. 1. de Reform.* alius
» modus procedendi contra parochos absentes inventus est; prius
» enim citandi sunt per edictum, deinde procedendum est per
» censuras ecclesiasticas, sequestrationem et subtractionem fru-
» ctuum, et demum aliis iuris remediis Ordinarius potest etiam
» uti usque ad privationem, dummodo tamen ab ultimo edicto
» parochi absentes adhuc per sex menses exspectentur iuxta de-
» clarationem S. Congregationis, de qua testatur Rota *Dec. 131.*
» *in fin., Dec. 163. in princ.* ».

237. « Haec quidem non est forma procedendi contra paro-
» chos absentes, sed non derogat dispositioni sacrorum canonum.
» De iure enim contra parochos latitantes, profugos et absentes
» tribus edictis procedendum est; e contra ex Tridentino unum
» sufficit, si ultra edictum adiiciantur censurae ecclesiasticae cum
» sequestratione et subtractione fructuum; et ratio est, quia ex
» mente Tridentini sequestratio et subtractio fructuum cum cen-
» suris stant loco trium edictorum, quae de iure necessaria sunt,
» ut parochi absentes ecclesiis priventur. Idcirco Ordinarius uno
» vel alio modo procedere potest ad privationem beneficii contra
» parochos latitantes; utraque tamen forma, iuris ac Tridentini,

» servanda est, aliter nulliter et iniuste procedit, et in sequelam » pastores ecclesiarum parochialium in integrum sunt restituendi; » et ratio est, quia iudex nulliter procedens non privat absentem » titulo nec possessione ecclesiae; et in hoc saepissime.... pec- » cant Ordinarii locorum, qui, iuris ordine non servato, contra » parochos aliosque clericos absentes ad privationem beneficio- » rum praecipitanter procedunt; non mirum igitur, si sententiae » Ordinariorum tamquam nullae et iniustae in curia infirmentur » ex plane deductis per Rot. *Dec. 609., Dec. 131. et 133. et 163.,* » *Dec. 1366.* coram Seraph., *Dec. 466.* coram Capr. et alibi fre- » quenter. »

238. Huiusce auctoris doctrinam tradunt etiam communiter maioris notae doctores, veluti Fagnanus *Cap.* Ex tuae, *de cler. non res. n. 9. et sequent.* Garcias, Giraldius, et S. C. Conc. pluries in *Thes. Res.,* sed punctim in *Folio Spoletanae Priv. par.* ad diem 26. Februar. 1842. §. *Hisce et seq.* – Giraldius *(Ius. Pont. Part. II. sect. 88. in fin.)* duas refert S. Congregationis Conc. declarationes, unam videlicet diei 26. Aprilis 1621. huius tenoris: « Cen- » suit, Episcopum posse contra parochum, ut proponitur, ab- » sentem ad privationem procedere, dum tamen tria edicta prae- » cesserint, et lapsi sint tres menses ad praescriptum Constit. » Innoc. III., quae incipit *Ex tuae.* » Alteram vero diei 8. Iunii 1624.; cum enim quaesitum fuisset: « An Episcopus, praemissis » tribus monitionibus ad revocandum parochum ad residentiam » possit procedere ad privationem dictae parochialis, et sic an » verba *etiam usque ad privationem* intelligantur inclusive vel » exclusive, S. Congregatio censuit, intelligenda esse inclusive, » dum tamen praecesserint tria edicta publica, et lapsi sint sex » menses iuxta *Cap.* Ex tuae, *de cler. non res.* »

239. Antequam sequestrationi et privationi fructuum fiat locus, citatio per edictum est omnino necessaria; nam S. C. Conc. apud Girald. (*l. c. in princ. in Sabinien.* 2. Sept. 1581.) « cen- » suit, sequestrationem fructuum ex Concilio non potuisse fieri, » rectore non citato ad residendum, ideo fructus relaxandos et » restituendos. » Citatione praemissa, in fructibus subtrahendis quae regula sequenda sit, tradit apud eumdem Girald. *loc. cit.* S. Congreg. Concil. in decreto diei 9. Aug. 1602., scilicet: « Con- » gregatio censuit, Episcopum, quoties in poenam omissae residen- » tiae vult parochis subtrahere partes, quas residendo suas fece-

» runt, debere servare quoad intervalla et quoad quotas praescri-
» ptum S. Conc. *cap. 1. Sess. 6.* In exsecutione autem facienda
» super illis fructibus, quos quidem parochi pro rata temporis ab-
» sentiae suos non fecerunt, nec tuta conscientia retinere possent,
» ex *decret. cap. 1. Sess. 23.* §. *Si quis,* Episcopum non debere
» sequi intervalla, de quibus *cap. 1. Sess. 6.* » Quod pertinet ad fructus, quos parochus absens non fecit suos, iidem applicandi sunt pauperibus loci, aut fabricae ecclesiae, quae quidem, si in praesens non egeat, potest tamen in dies indigere saltem quoad ornamenta: hinc non licet Episcopo eosdem fructus in alios pios usus ad suum libitum convertere. (S. Congreg. Concil. die 8. Iun. 1624. Girald. *loc. cit.*).

240. Causam *Spoletanam Priv. paroec.* utpote non levi utilitati Episcopis in peculiaribus causis certo futuram, plenius exponere hoc loco operae pretium arbitramur. Archiepiscopus Spoletanus cuidam parocho suae dioeceseos post opportunas praemissas comminationes, ineunte anno 1840. reipsa abstulerat administrationem bonorum et curam animarum ob aliquas criminationes curiae contra ipsum delatas. Parochus, inconsulto Archiepiscopo, Romam perrexit iura sua persecuturus. Eodem absente, Archiepiscopus per edictum ad ecclesiae valvas ad residendum ipsum revocavit. Primo siluit parochus, at, instaurato edicto, per procuratorem comparuit. Cum tamen personaliter abesse pergeret, tandem, exeunte Sept. eiusdem anni 1840., Vicarius Generalis sua sententia eumdem paroecia privavit. Causa apud S. C. Conc. proposita, obiiciebat parochus, Vicarium Generalem speciali Archiepiscopi mandato caruisse (quod necessarium esse docet *Thesaurus, de poen. p. II. V. Residentia c. 2.* ex communiori sententia), tum personalem sibi citationem non fuisse factam, et non exspectatum sex mensium spatium post sententiam, ac tandem criminationes appositas vel falsas vel inefficaces ad irrogandam privationem videri. Itaque die 23. Aprilis 1842. proposito dubio: « An et quomodo sententia curiae archiepiscopalis sit confirmanda
» vel infirmanda? » S. Cong. respondit: « Negative ad primam
» partem, affirmative ad secundam. » Impetrato novae audientiae beneficio, et causa iterum proposita die 29. Iul. 1843., S. C. « stetit in decisis et amplius. » Quoniam vero parochus post victoriam non ea, qua decet, reverentia erga Archiepiscopum sese gesserat, Sacra Congregatio addidit: « moneatur parochus, ut an-

» tequam ad paroeciae regimen revertatur, debitae reverentiae
» ac submissionis actus praestet erga suum Archiepiscopum, facto
» verbo cum SSmo. »

« VII. An librum matrimonii et baptizatorum, aliosque libros,
» quos ad normam Ritualis Romani retinere debent, retineant? »

Summarium. 241. Quid praescribat Rituale Romanum circa libros parochiales de baptizatis, de mortuis, coniugio copulatis, chrismate inunctis, ac statu animarum. – 242. In sacra visitatione dioeceseos de hisce libris inquirendum est, an asserventur iuxta formam a Rituali praescriptam. – 243. Horum librorum custodiam ad parochos licet amovibiles privative sub una clavi spectare definivit in *Carpenctoraten.* S. Congr., minime vero ad Capitulum, apud quod cura habitu et actu residebat. – 244. In *Andrien.* agebatur de cathedrali, quae antea declarata fuerat unica parochialis, et collegiata solum adiutrix: postea curae exercitium divisum inter eas fuerat; ast S. C. iussit a parocho collegiatae librum animarum quotannis, alios libros post sexennium ad cathedralem transferri. – 245. Parochus fides necessarias facere tenetur, et potest solitam exigere mercedem, modo gratis eas concedi consuetudo non ferat. – 246. Librorum authographi penes parochum asservantur. In libris parochialibus adnotationes ac verba iniuriosa inseri nequeunt, si secus fiat, deleri iubentur. – 247. Attamen eorum exemplaria ad curiae episcopalis archivium quotannis deferri plures Synodi praescribunt, idque laudat Bened. XIV. – 248. Ut fides parochialis legitimam in iudicio fidem faciat, quid requiratur. – 249. Ecclesiae aliae sunt baptismales, aliae non: Non est de essentia parochiae, ut habeant fontem baptismalem. Itaque ecclesia baptismalis potest obsistere, ne in parochiali erigatur fons baptismalis. Et S. C. Conc. parocho id petenti pluries et nominatim in *Reatina* denegavit. – 250. Satis est, ut in ecclesiae baptismalis libro infantuli baptizati describantur, nec parochi possunt praetendere, ut per schedulam de infantulis parochianis baptizatis moneantur. – 251. Extra matrimonium prognati non debent describi cum nomine eius, qui pater vulgo traducitur, etiamsi inquisitio incepta fuerit, sed nondum de eius paternitate definitiva sententia prodierit; ceteroquin ex Rituali Romano sufficit descriptio nominis unius ex progenitoribus. – 252. Ex fide baptismali probatur baptismus susceptus, aetas, origo et locus baptizati. – 253. Libros matrimoniales nedum ex Rituali Romano, sed ex Conc. Trid. parochus habere tenetur. Et si quis matrimonio assistendi facultatem accipiat, matrimonii collati testimonium parocho dare debet. Idem dicendum de baptizatis ac de mortuis, si quis baptizandi ac tumulandi copiam obtinuerit. – 254. In matrimoniis describendis debent exprimi

testium nomina ac locus matrimonii: namque per haec matrimonium plene probatur. Parochus sub gravi tenetur accurate matrimoniales libros asservare. – 255. Ad maiorem horum confirmationem affertur exemplum causae *Neapolitanae,* ubi propter omissam huiusmodi descriptionem acerrimae ac sumptuosissimae causae locus factus est. – 256. In matrimoniis occultis seu *conscientiae* inhaerendum est iis, quae praecipit Bened. XIV. in Constit. *Satis vobis.* – 257. De prole ex huiusmodi matrimoniis progenita et regenerata parentes Episcopum certiorem facere debent. Libris iuxta dictam Bened. XIV. Constit. confectis plena fides adhibenda est. – 258. Ex libris parochialibus, itemque ex libris Confraternitatis tumulandi ius habentis mors et mortis locus probatur. – 259. Confirmationis Sacramentum probatur ex libris confirmatorum. Huiusmodi librum accuratius tenere debent ecclesiae, quibus ius est, ut quilibet vel extraneus chrismate ibi inungi queat. – 260. Consulatur Folium causae *Montis Politiani,* quae habetur inter *Postulata.*

241. De libris, quos quilibet parochus retinere tenetur, agit Rituale Romanum circa finem in eo capite, quo formulas tradit, quibus iidem describere iubentur sive matrimonia, sive baptismata, sive obitus, aliaque describi iussa. Ibidem praecipitur, ut in ecclesiis quibuscumque, ubi baptisma confertur, baptizatorum liber habeatur, et, ubi chrisma, liber confirmatorum. In omnibus vero ecclesiis parochialibus praeter libros baptizatorum et confirmatorum, si videlicet ibidem baptismi et confirmationis Sacramenta conferuntur, debent in promptu esse et accurate custodiri liber coniugio copulatorum, liber demortuorum et liber status animarum. Quin imo demortuorum liber iis etiam in ecclesiis, licet non parochialibus, asservandus est, quae ius sepeliendi obtinent et exercent. In singulis vero tradendis formulis multa in specie in eodem Rituali adnotantur, quae adamussim a parochis observanda sunt. Haec profecto enucleatim hic repetere inutile ducimus, quia Episcopi et parochi ceteroquin facere nequeunt, quin Ritualis Romani exemplar sibi habeant, et in dies assidua manu versent; ex quo illud fit, ut iidem facile per seipsos cuncta, quae pro re nata opus sint, consulere et recognoscere possint.

242. Episcopi, vel eorum vice visitatores in sacra dioecesis perlustratione huiusmodi libros a parochis et aliis, qui eosdem retinere tenentur, sibi exhiberi omnino iubeant, ut explorent, an iuxta leges a Rituali Romano praescriptas conficiantur, ac, si quid

abnorme ibidem deprehenderint, rite corrigi et reformari decernant ad monitum Crisp. *Vis. Past. P. III.* §. *9. n. 6.*

243. S. C. Conc. in *Carpenctoraten.* 15. Sept. 1781. *ad 3.* definivit, custodiam codicum seu librorum parochialium ita privative spectare ad curatos seu vicarios curatos cathedralis, etiamsi ii ad nutum amoveri possent a Capitulo, cui inest cura animarum nedum habitualis sed etiam actualis, ut iidem libri nec etiam custodiendi essent sub duplici clavi, quarum altera saltem retineretur a Capitulo; una enim parochorum clavis satis est.

244. Eadem S. Cong. in *Andrien.* 15. Septembr. 1770., postquam declaravit die 10. Febr. 1759., cathedralem civitatis Andriae unicam esse parochialem totius civitatis, e contra collegiatam S. Nicolai eiusdem loci esse meram coadiutricem in administratione Sacramentorum, etiamsi post hanc declarationem inter parochos cathedralis et collegiatae actuale animarum curae exercitium, mandante Sacra Congregatione, distincte divisum fuisset, praescripsit, libros status animarum quolibet anno transferendos ad cathedralem, reliquos transferendos quolibet sexennio.

245. Barbosa de *off. et pot. par. p. I. cap. 7. n. 19.* docet, quod « parochus tenetur de illis (libris parochialibus) fides fa-
» cere necessarias, et potest accipere pro sua mercede illud, quod
» in loco solitum est dari; si vero solitum sit fieri gratis, gratis
» et ipse faciet, quia S. C. Episc. et Regul. Episcopo *Caven.* sub
» die 3. Iun. 1604. rescripsit, nihil pro huiusmodi fide recipi
» posse, subdens, huiusmodi libros non esse per Episcopum de
» potestate parochorum extrahendos, sed penes illos debere con-
» servari, dummodo tamen, si necessarium fuerit, copia pro illo-
» rum conservatione detur. »

246. Quod vero eorumdem librorum authographi penes parochos asservari debeant, confirmatur ex recentissima declaratione eiusdem S. C. Episc. et Regul. in *Eugubina* Delet. nominis 2. Mart. 1860., in qua edixit, librum baptismalem ab Episcopo in sacra visitatione extractum, et ad curiam asportatum quamprimum parocho restituendum esse.

In libris parochialibus fieri nequeunt adnotationes, vel adhiberi verba, quae alicui iniuriam vel infamiam inferant, tametsi eadem veritati niterentur: cum enim in *Melitensi* anni 1780. a quodam parocho in hanc partem peccatum fuisset, S. C. Episc. et Regul. easdem adnotationes ac verba ita deleri iussit, ut nulla

memoria vel vestigium superesset, unde fama alicuius laederetur: hi siquidem libri non famae laedendae, sed nominibus inscribendis, aliisque rebus inservire tantum debent.

247. Quod pertinet ad copiam, seu exemplaria proprio parochorum charactere subscripta iuxta praxim plurimarum Synodorum praesertim decreto sancitam, cautum ac provisum est, ut quolibet anno ad praefectum episcopalis archivii deferantur ibidem perpetuo custodienda. Quam praxim memorat ac laudat Bened. XIV. in *Adnot. circa Matr. secr. in Thesaur. Resol. S. Cong. Conc. anni 1724. tom. 3.* §. *20. pag. 81.*, ne videlicet, veluti sapientissime animadvertit, « *cum nimio detrimento parochianorum, civilis vitae et commercii* » apud privatos homines deperdantur. Haec autem licet de libro matrimoniorum solummodo dicta sint, nihilominus ad ceteros parochiales libros extendi posse, nemo certe negabit.

248. Ut fides ex parochialibus libris extracta in iudicio legitimam faciat probationem, necesse est, ut fiat cum formali transcriptione particulae de verbo ad verbum, sicuti iacet. Aliter autem facta fides seu attestatio parochi, quibuscumque verbis concepta sit, absque formali, ut supra, transcriptione particulae non probat, ut tenuit S. Rota in *Toletana* Capellae 17. Maii 1615. *coram Pirovano*, et *Aesina* Bonorum 17. Maii 1617. *coram Andrea.* (Barbosa *loc. cit. num. 21*).

249. Nunc de singulis quinque parochialibus libris pauca delibabimus. Fontem baptismalem retinendi potestas necessario parochialibus ecclesiis minime inhaeret: hinc sacri canones ecclesias baptismales a parochialibus distinguunt, quam distinctionem a Conc. Trident. *Sess. 24. c. 13. de Reform.* sartam tectamque servatam fuisse ex S. Rota *Dec. 263. n. 24. coram Crescent.* docet S. C. Concil. in *Ferentina* Matric. et font. baptism. 18. Mart. 1797. §. *Postquam;* et S. Cong. Rit. in *Decr. Urbis et Orbis* 10. Dec. 1703. *Resp. 6.* declaravit, benedictionem fontis baptismalis non esse *de iuribus mere parochialibus*, etiamsi ab iisdem benedictio fieri debeat. Itaque ad rem eadem S. C. Conc. in *Ferentina* citata §. *Qua de re* animadvertit: « Retentionem » fontis baptismalis non esse de essentia ecclesiae parochialis, » singulisque parochiis permissam esse, dummodo altera non sit » ecclesia, improprie etiam matrix, quae privativum habeat ius » illum retinendi: nam in praeiudicium ecclesiae matricis nec

» Episcopus permittere valet aliorum fontium retentionem, ut in » *Guardien.* Font. bapt. 8. Aug. 1694. » aliisque multis ibidem allegatis declarationibus, quibus accedit et ipsa *Ferentina ad 2.* et novissima *Reatina* 14. Ian. 1860., in qua S. Congr. parochis baptismalis fontis constructionem expetentibus annuendum non esse censuit ea de causa, quod unus fons baptismalis antiquitus in cathedrali erectus exstabat in usum totius civitatis infantium.

250. Quando vero unicus fons baptismalis in cathedrali, aut collegiata existit, parochi, quibus subiacent infantes ibidem lustralibus aquis regenerati, praetendere nequeunt ab ecclesia baptismali, ut schedulam sibi remittant, qua de collato singulis infantibus baptismate notitiam praebeant: satis est enim, ut in libro apud ecclesiam baptismalem asservato iuxta Rituale Romanum baptismi collatio describatur. Itaque in memorata *Reatina* cum quaereretur in secundo dubio: « An sit locus traditioni schedularum collati baptismatis in casu? » S. C. respondit: « Negative. »

251. Si quis infantulus parocho baptizandus offeratur extra matrimonium progenitus, licet ex vulgi fama traducatur, quis pater ipsius fuerit, et parochus moraliter se eiusdem rei certum arbitretur, non debet nomen eius, quem patrem putat, uti patris in libro baptizatorum inscribere. Porro cum huiusmodi casus in dioecesi Eugubina accidisset, parochus nomen patris adnotaverat, et delere contra Episcopi iussum detrectabat. Quoniam vero contra patrem putativum iudicialis inquisitio inchoata fuerat, sed nondum ad finem perducta erat, neque sententia definitiva prolata fuerat, S. C. Episc. et Regul. die 2. Mart. 1860. praescripsit, *haberi pro deleto nomine N. N.* (suppositi patris), *facta in libro baptizatorum adnotatione resolutionis huiusce S. C.* Cum enim hisce in casibus Rituale Romanum nomen *saltem alterius parentis, de quo constat,* describi edicat, et insuper omnem infamiae occasionem vitari iubeat, necessarium non esse visum fuit, ut parentis putativi nomen cum periculo eiusdem famae in libro baptismatis recenseretur, antequam ex rei iudicatae testimonio id plane constaret.

252. Ex particula de libris baptismalibus rite desumpta probatur, quod quis baptismate ablutus fuerit, itemque ostenditur, qua quis aetate constitutus sit, ut, multis allegatis doctoribus, docet Barbosa *l. c. n. 4.* et Rota *Dec. 592. num. 2. P. I. Rec. et Dec. 15. n. 2. P. II. Rec. et in Romana Null. oblig.* 16. Ia-

nuar. 1626. *coram Durand.* Probatur insuper, quae cuiusque origo (Barb. *l. c. num. 5.*, Gonzalez ad *Reg. 8. Can. Gloss. 9.* §. *2. a. n. 112. ad 113.*), ideoque ostenditur ex iis, quo loco quis etiam per accidens natus est, *Dec. 355. num. 10. P. IV. tom. 1. Rec.*, et ex quo aliquis loco sit oriundus, *Dec. 699. n. 1. P. II. Rec.*, et itidem descendentia, *Dec. 132. num. 2. P. II. Rec.*

253. Parochi nedum ex praescripto Ritualis Romani, sed ex decreto Concil. Trid. *Sess. 24. cap. 1. et 2. de Reform.* matrimoniorum libros habere debent, in iisque rite matrimonia singula describere; et si alicuius ecclesiae rector aut capellanus facultatem acceperit assistentiam praebendi matrimoniis, descriptionem transmittere, ut in libris ab eodem parocho retentis adnotentur. Quin etiam si idem rector baptizandi et cadavera tumulandi facultate polleat, baptizatorum et demortuorum nomina idem parocho in eumdem finem renuntiabit, prout a S. Congr. Episc. et Regul. anno 1733. capellano ecclesiae Rivae, diocesis Albinganen. impertitum fuit, adiecta conditione, ut quolibet mense nomina matrimonio iunctorum, baptizatorum ac defunctorum parocho transmitteret, qui solus parochiales libros retinere deberet, narratur in ipso *Folio* Sacrae Congregationis Concilii in *Albinganensi.* 29. Iulii 1752. §. *Experientia.*

254. In descriptione matrimoniorum debent exprimi nomina testium et loci, ubi matrimonium contrahitur. (Barb. *l. cit. n. 6.*) Ex libro enim parochiali, ubi huiusmodi descriptio reperitur, matrimonium plane probatur, (Barb. *loc. cit.*), quoniam parocho testimonium ferenti de rebus ad suum officium pertinentibus apprime creditur (Barbos. *loc. cit.*). Addit idem auctor, parochum sub gravi teneri ad huiusmodi descriptionem adamussim conficiendam, quandoquidem huiusmodi omissio gravissimorum damnorum causa esse potest.

255. Quod ut magis magisque animo defigatur, ad rem optime facit casus, qui non ita pridem evenit. Ioseph Neapolitanus quamdam puellam, (ut constat ex *Neapolitanae Matrim. Folio* ad diem 14. Decembr. 1844.), quam ipse, e seminario egressus, suae matris cubicularium domi nactus fuerat, iuvenili aestu adamaverat, ex eaque filium susceperat; subinde matrimonium ante parochum loci et coram testibus privatim in quadam domo celebraverat. Subsequentibus annis, demortuo parocho ac testibus, Ioseph matrimonii existentiam impugnabat, asserens non fuisse

vere parochum, qui matrimonio adfuerat, sed hominem laicum, qui parochi personam simulaverat. Ceteroquin in libro matrimoniorum descriptionem huiusmodi matrimonii facere parochus omiserat. Causa ad curiam archiepiscopalem delata, de nullitate matrimonii constare iudex pronuntiavit. Appellatione ad S. C. Conc. interiecta, Emi Patres primo ac secundo causa proposita, testes productos diligentius excuti iusserunt: quo peracto examine, non satis constare de matrimonio iudicarunt; at, quarto causa in consultationem vocata, definiverunt absolute, non constare de matrimonii nullitate ex eo, quod argumenta a Ioseph pro simulatione probanda in medium prolata non satis habere soliditatis arbitrati sunt, ut videre est ex eadem causa die 5. Iunii 1847. Atque (posito, quod ille, qui matrimonio adstiterat, parochus vere fuisset, prouti reapse positum fuit) tam diutinae liti locus non fuisset, quae tot expensis causam dedit, ac in discrimen vocavit uxoris ac filii fortunas, si parochus idem sui memor officii matrimonium in libro parochiali describere non omisisset.

256. Si aliquando contingat, ut matrimonium occultum, quod aiunt *conscientiae*, celebrandum sit, cautiones omnes conditionesque servari debent, quas accurate innuit Bened. XIV. in Literis in forma Brevis ad omnes Episcopos datis incip. *Satis vobis* 17. Nov. 1741. Quod vero eiusdem descriptionem respicit, prorsus adhaerendum est iis, quae ipse praescribit in eadem Constitutione ad §. 10. ibi « celebrato autem matrimonio, indilate a paro-
» cho, vel alio sacerdote, coram quo initum est, exhibeatur Epi-
» scopo illius scriptum documentum cum nota loci ac temporis
» testiumque, qui celebrationi interfuerunt. Vestrum erit postea
» diligenter incumbere, quod ad perennem gestae rei memoriam
» praefatum documentum fideliter transcribatur in libro prorsus
» distincto ab altero, in quo matrimonia publice contracta ad-
» notantur. Huiusmodi liber pro matrimoniis secretis apposite
» compactus, clausus et sigillis obsignatus in vestra episcopali
» cancellaria caute erit custodiendus: et eo tantum casu resi-
» gnari et aperiri, vestra accedente licentia, patiemini, quo alia
» id genus matrimonia describi oporteat, vel id sibi vindicet iu-
» stitiae administrandae necessitas, vel demum aliquod docu-
» mentum ab eo exposcant verum interesse habentes, quibus
» probationum aliunde petendarum non suppetit copia: sedulo
» tamen animadvertentes, quod, re absoluta, denuo claudatur et

» sigillis, ut antea, obsignetur. Fides, seu attestationes clam ce-
» lebrati matrimonii a parocho vel sacerdote, qui vices parochi
» gessit, exarandae, vobisque exhibendae transcribantur in dicto
» libro, prout iacent, de verbo ad verbum, a persona a vobis
» deputanda, quae apud omnes integritatis probatique nominis
» luculentum habeat testimonium. Fides vero et attestationes
» ipsae in secretiori loco sartae tectaeque a vobis serventur. »

257. Quod si ex huiusmodi occulto matrimonio soboles enascatur, non debent parochi in libro baptismatis parentum nomina recensere, sed ipsi parentes, qui ceteroquin occasione initi matrimonii debent a parocho hac de re moneri, illud facere debent, ut Episcopo de suscepta prole et baptismate regenerata certo et perspicue constet. Episcopus autem alterum in cancellaria librum eadem cautione, qua alter de matrimoniis occultis, custodiri mandabit, ubi susceptae eiusdem prolis et baptizatae testimonium iuxta praescriptas pro matrimoniis occultis leges transcribatur. Attestationibus autem sive pro matrimoniis, sive pro sobolis susceptione ex utroque libro petitis eadem haberi debet fides, quae libris parochialibus haberi consuevit. Quae singula fusius videre est in memorata Benedicti sanctione. §. *11. et seq.*

258. Ex parochiali defunctorum libro probatur alicuius mors et locus, ubi e vita migravit. (Barb. *de off. et pot. par. p. I. cap. 7. num. 13.* cum doctoribus ac Rota ibidem allegatis.) Quin etiam ex S. Rota *in Elven. Excom.* 7. Februar. *coram Merlin.* circa mortem fides adhibetur etiam libro societatis, si confraternitas habet pro instituto hoc generale mortuos sepeliendi officium, prout etiam ex libro hospitalis. (Barb. *loc. cit. n. 15.* et Rota *Dec. 244. n. 22. ac 23. P. VIII. Recent.*).

259. Sacramentum Confirmationis alicui fuisse collatum, demonstratur ex libro confirmatorum, quem si omnes, ad quos iuxta Romanum Rituale pertinet, maxima accuratione asservare, in eoque singulorum confirmatorum nomina adnotare debent, tum magis retinere iubentur ii, qui forte privilegium habeant, ut quoscumque etiam extraneos sacro chrismate inungere possint; veluti ex. gr. de Emo archipresbytero Capituli Vaticani contingit, cui Bened. XIV. Constit. *Ad honorandum* 27 Mart. 1751. diebus festis S. Petri ac S. Pauli aliisque septem subsequentibus potestatem facit quoscumque etiam sibi non subditos confirmandi. In eadem enim Constitutione §. *Et sicut* gravissime praecipitur, ut authen-

ticum confirmatorum regestum asservetur et retineatur, ex quo ad petentium opportunitatem authentica testimonia extrahi possint. Idipsum nuperrime S. C. Episc. et Regul. conceptis verbis vehementer inculcatum voluit abbati Montis Virginis, cuius privilegium sacro chrismate deliniendi pueros alienae dioeceseos recognitum et confirmatum fuit in *Nullius Montis Virginis* Sup. iur. conf. sac. Conf. diei 30. Mart. 1855.

260. Consulatur in hac materia causa *Montis Politiani VV. SS. LL.* diei 23. Febr. 1856., quae adducitur in capite *de Postulatis, postul. 12.*

« VIII. An aliqui ipsorum indigeant aliorum sacerdotum ope-
» ra, ut Sacramenta populo administrent? »

Summarium. 261. Quatuor praecipue de causis parocho coadiutor dari potest. – 262. 263. Datur primo coadiutor parocho suspenso. Suspensio consideratur, vel uti poena pro praeterito crimine, ac tum non exigitur praevia monitio, et potest iuxta usum saltem antiquum esse indefinita, (quamvis aliter Suaresio videtur) nihilominus aequum est, ut suspenso criminationum capita significentur: vel consideratur, uti censura proprie dicta, ac tum nonnisi ob contumaciam irrogatur, eiusque duratio a contumacia dimetitur, in eaque solemnitates iuris ac monitiones servare necesse non est. – 264. 265. 266. Etiamsi, certis servatis legibus, suspensionem indefinitam irrogare fas aliquando forsitan sit, caute tamen ab Episcopis procedendum esse, monet exemplum duarum causarum, quarum species et resolutiones afferuntur. – 267. In praedictis hisce causis vitium hoc inerat, quod suspensio haud temporanea foret; unde potest colligi, hodie recessum fuisse a praxi, ut suspensiones indefinitae sustineantur. – 268. Exemplum suspensionis, uti poenae, irrogatae praebet causa *Balneoregien.* apud S. Cong. Episc. et Regul., cuius species narratur. – 269. 270. Potest Episcopus suspensionem infligere ob causas occultas sibi notas ex informata conscientia, neque tenetur causas significare suspenso, bene vero S. Sedi. Quin imo non datur appellatio ad superiorem, idest metropolitanum, sed patet recursus ad Apostolicam Sedem. – 271. In suspensione ex informata conscientia non habet locum trina monitio. 272. Quando crimen dici debeat occultum ad hoc, ut ex eo suspensio praedicta infligi valeat. Varia varii doctores docent. Sed res ex circumstantiarum varietate et prudenti Episcopi arbitrio videtur dimetienda. – 273. In hoc valde cavendum est, ne habeatur ut occultum, quod tale revera non est; quando enim Episcopus causam suspensionis S. Sedi manifestaverit, si crimen reapse non occultum esse constiterit, suspensionem non sustineri S. C. Conc. declarat. – 274. Secundo adiutor

adsciscitur parocho infirmo, sive corpore sive mente, adeoque leproso, paralytico, dementi, furioso, aliove id genus defectu laboranti. – 275. Tertio datur imperito et illiterato, quando ceteroquin vitae honestae sit. – 276. Quaeritur, an Episcopus parochos iamdudum curam exercentes ad examen iterum vocare possit; neque enim difficile est, ut qui iam docti reperti fuerant, lapsu temporis indocti comperiantur. Hinc nil magis pronum, quam ut iterum examinentur. – 277. Id autem Episcopo licitum est, quando vehemens imperitiae suspicio subest. Id licitum est etiam extra visitationem. Examen in forma privata peragi debet. Non licet vero etiam in visitatione omnes indiscriminatim parochos, quando ea suspicio non adsit, examini subiicere. Improbatur autem edictum generale, quo omnes plane ecclesiastici viri ad examen revocantur. – 278. Successores in episcopatu ex rationabili causa, ut supra, possunt examinare parochos a suis decessoribus constitutos. Quando vero de imperitia constiterit, datur adiutor. – 279. Datur coadiutor nedum ob imperitiam *speculativam,* sed et *practicam,* nempe cum quis careat experientia, prudentia, eaque aptitudine, quam exigit accurata muneris ministratio. – 280. Quarto coadiutor datur parocho ob supercrescentem parochianorum numerum. Affertur decretum Conc. Trid. *Sess. 21. cap. 4. de Reform.* – 281. Additur decreti eiusdem interpretatio a Card. de Luca tradita. Populo crescente, locus est deputationi unius vel plurium coadiutorum, aut parochiae dismembrationi. – 282. Quando vero unum vel alterum amplectendum sit, quaestio nudi facti est, quae ex circumstantiarum varietate diiudicatur. – 283. Non est locus dismembrationi, quando consuli potest per deputationem unius vel plurium coadiutorum, et agitur de circumstantiis, quae id aliquando suadeant. – 284. Sed si coadiutoris deputatio non valeat impedire iurgia, lites aliaque incommoda inter parochianos unius et alterius regionis, tum satius est ad paroeciarum divisionem procedere. Eveniente populi adaucti casu, multiplex ineunda est via. – 285. In casu adaucti populi tres gradus servandi sunt, videlicet ut primo constituatur coadiutor a parocho dependens, dein vicarius perpetuus eiusdem, tertio parochia dividatur. – 286. Circa tres singulos hosce gradus a Card. de Luca hactenus expositos, uberius aliqua adnotanda sunt. Ex Constit. Innocentii XIII. confirmatae a Bened. XIII. coadiutorum nominatio spectat ad parochos. Sed congruae determinatio spectat ad Episcopum, item eorum examinatio et approbatio. Quin etiam et ipsa nominatio eidem devolvitur, accedente parochi titularis negligentia. – 287. Eadem nominatio Episcopo competit, quoties parocho ob culpam adiutor adiungitur. – 288. Coadiutores istiusmodi ad residentiam personalem adiguntur, exceptis iis, qui ex institutione per alium servire possunt. Coadiutores ipsos tenetur Episcopus aeque ac parochos ad personalem residentiam cogere, neque potest cum iis dispensare. Exami-

nandi sunt sicut et ceteri rectores. Quae modo dicta sunt, valent etiam pro canonicis coadiuvandi parochi onere gravatis. – 289. Si per vicarium temporaneum a parocho dependentem satis animarum curae consultum non est, fit locus erectioni vicariae perpetuae a parocho independentis. Quod probatur aptis SS. CC. Conc. ac Episc. et Regul. resolutionibus. – 290. Id licere Episcopo edixit S. C. C. in *Brixinen.* etiam in parochialibus, quae monasterio regulari unitae sint, quamvis Superiores regulares contradicant, praesertim si congrua sumatur ex bonis neque ad monasterium, neque ad parochiam spectantibus. – 291. Appositio vicarii temporanei, vel potius perpetui Episcopi iudicio relicta est. Quotiescumque S. C. in relationibus de statu dioeceseos expendendis comperit, aliquam parochiam a rectoribus amovibilibus administrari solere, Episcopis inculcat, ut videant, an magis expediat vicarium perpetuum constituere. – 292. Si parochia certos non habeat limites, sed promiscue Sacramenta administrantur, mandatur Episcopis, ut consulant eo modo, qui melior in Domino videatur. Temporalis vel perpetui vicarii deputandi arbitrium Episcopo relictum intelligitur, quando parochia Capitulo, beneficio aliique pio loco fuerit postmodum unita, minime vero quando ex primaeva institutione parochiae ad Capitulum, beneficium, aliumve pium locum pertinet. – 293. Nihilominus in hoc secundo casu S. Cong. Conc. suadet Episcopis, ut, si ita magis expediat, Capitulum aliosve eo inducant, ut perpetui parochi constitutioni assensum praebeant. – 294. Congrua vicariorum ab Episcopis determinanda nec supra centum, neque infra quinquaginta scutata monetae argenteae Romanae esse debet. – 295. Emolumenta parochialia alia sunt proprie incerta atque eventualia, alia vero non: eaque distinctio explicatur. – 296. Praecipuae proprietates vicariae perpetuae referuntur. – 297. Qui plura desiderat, adeat Ferrarium. – 298. Parochiarum dismembratio habetur veluti odiosa, et nonnisi in subsidium admittenda, accedentibus nimirum gravissimis utilitatis ac necessitatis causis. – 299. Tale est populi augmentum, sed potissimum longa distantia. – 300. Quanta vero debeat esse huiusmodi distantia, praefinitum non est; namque ordinarie a maiori vel minori parochianorum incommodo est dimetienda. – 301. S. C. Conc. dismembrationem alias concessit, alias, et saepius denegavit iuxta varias facti circumstantias. – 302. Parochi ac patroni in dismembratione audiendi sunt, quamvis necesse non sit irrationabilem eorum dissensum attendere. – 303. In constitutione vicariae perpetuae, et in dismembratione congruae parochi, ecclesiae tuitioni aliisque divini cultus expensis consulendum est. – 304. Sacerdotes quilibet ecclesiae parochiali addicti debent parocho auxiliari ex necessitate, si haec necessitas adsit. – 305. Itaque huiuscemodi sacerdotes non sunt cogendi, nisi ex causa necessitatis. – 306. Huiusce necessitatis limites circa tempus aliaque adiuncta taxative praefiniri nequeunt.

261. Coadiutor parocho quatuor de causis ordinarie assignatur; *primo* quia suspensus, *secundo* quia corpore aut mente infirmus, *tertio* quia illiteratus aut imperitus, *quarto* quia impar Sacramentis administrandis ob auctum parochianorum numerum effectus est.

262. Primo quidem agemus de suspensione; quae materia, quoniam haud infrequenter in usum occurrit, paulo fusius a nobis exponetur. Ad rem Sac. Congr. Conc. in *Lucionen.* Suspension. 8. Aprilis 1848. §. *Hic opportune* docet: « Hic opportune prae-
» mittendum iudicamus, inter alias suspensionis divisiones, eam
» communiter a doctoribus recenseri, qua suspensio ipsa vel con-
» sideratur ut mera poena, vel ut censura proprie dicta. Priori
» casu ob delictum praeteritum imponitur, et licet ad tempus
» certum ex iuris praescriptione infligi debeat, nulla praeeunte
» monitione, vel iudiciaria forma processus, usus tamen invaluit,
» ut indefinite etiam irrogaretur: in altero autem casu nonnisi
» ob contumaciam imponitur, nullumque habet definitum tempus,
» quod solum contumacia demetiendum. »

263. Paulo ante autem eadem S. Congreg. in eadem causa §. *Haec autem* ita praemiserat: « In prima hypothesi (in qua
» nimirum suspensio consideratur uti censura) necessariae desi-
» derantur iuris solemnitates ac monitiones, praesertim ad pro-
» bandam contumaciam iuxta unanimem doctorum sententiam,
» et S. Trid. Concilii dispositionem potissimum in *cap. 6. Sess. 22.*
» *de Reform.;* in altera (quando censura consideratur uti poena)
» licet monitiones impune possint omitti, ut communiter sentiunt
» Barbosa *Cap. Romana De sentent. excomm. in 6.*, van Espen
» *Tom. 10. Tract. Recurs. cap. 3.* §. *4. tom. 4. Part. III. tit. 11.*
» *de suspens.*, Schmalzgrueber *P. IV. tit. 39. n. 30.*, Reiff. *eodem*
» *tit. n. 28.*, Monac. *Form. Leg. P. III. tit. 2. Form. 8. n. 21.*,
» Pignat. *Tom. 10. Cons. 162. n. 1. 16. 17.*); attamen vel ordo
» iudiciarius foret servandus, vel saltem imputationum capita cum
» reo communicanda, ne gravissima poena indefensus afficeretur,
» quod profecto ab omni aequitate quam maxime alienum vide-
» retur. Praeterea ex eo etiam nutaret suspensio, quia scilicet
» nullo fuerit tempore praefinita, quod necessario videtur ex tra-
» ditis per Suaresium *de Cens. disput. 4. sect. 1. n. 9.* »

264. Ex iis, quae modo tradita sunt, erui posse videretur, suspensionem indefinito tempore irrogare fas esse, certis servatis

legibus. At vero caute admodum sese gerere debere Episcopos in hac indefinita suspensione infigenda, ne quid negotii molestiaeque a suspensis offendant, monent duae, quas potissimum afferimus, causae. Prima est causa *S. Severini*, quae huiusmodi erat.

265. Vir quidam religiosus Episcopo detulerat de vita inhonesta et scandali plena, quam agebat parochus Laetti. Episcopus praesertim tres foeminas hac de re ipse per se rogavit, quae de sermonibus inhonestis et impudicis in suas personas tactibus fidem perhibuerunt. Quibus testimoniis innixus Episcopus Laettum a parochia suspendit, eique oeconomum subrogavit. Conquestus est Laettus penes S. C., inhonestae vitae actus, de quibus insimulabatur, satis non esse ad poenam sibi impositam decernendam; deinde foeminas in testes adhibitas vilissimas esse et inhonestas, ac admonitionem sibi ter non fuisse repetitam. Hinc 19. Septemb. 1778. ad dubia: « 1. An sustineatur appositio oeconomi, » seu potius parochus Laetti sit reintegrandus ad regimen suae » ecclesiae parochialis in casu? 2. An sit locus refectioni damno- » rum, et in qua summa in casu? » S. C. respondit: « Ad 1. Ne- » gative ad primam partem, affirmative ad secundam, reservato » iure promotori fiscali agendi contra parochum Laetti ad formam » Conc. Trid. et amplius. Ad 2. restituendos esse omnes fructus » parochiae tempore oeconomatus decursus, aliisque accessoriis » expensis; in reliquis negative, et amplius. »

266. Cum causa S. Severini non parum similitudinis habet altera *Placentina* Restit. in par. recentissime in eadem S. C. pertractata. Episcopo Placentino multa contra parochum quemdam suae dioecesis in sacrae visitationis actu denuntiabantur super inhonesta cum mulieribus consuetudine, et socordia in obeundis parochiae muneribus. Instituta inquisitione, quam *processum* hodie vocant, ac plurimis examinatis testibus, die 15. Oct. anni 1838. Episcopus indeterminatam ab officio parochi suspensionem indixit. Anno 1841. parochus contra huiusmodi decretum querelam obmovit penes laicum iudicem, a quo reiectus eodem anno supplex Apostolicam Sedem adivit. Causa in consultationem vocata, compertum est, parochum reapse diffamatum in vulgus ivisse: at de criminibus singulatim imputatis testes non omnes omnia, nec omnes eodem modo testimonium perhibuisse: parochus interim obiiciebat, testium examen iuxta formam a iure praescriptam non fuisse peractam, ac trinam admonitionem a Conc. Trid. requisitam

sibi nullatenus fuisse factam. Itaque proposito dubio die 24. Ian. 1846.: « An et quomodo sit locus restitutioni et rehabilita- » tioni ad paroeciam in casu? » respondit: « Dilata, et causa re- » proponatur intra trimestre, impresso processu sumptibus Epi- » scopi, et ad mentem. » Haec mens quae fuerit, evulgatum non est. Iterum, proposita causa die 5. Septemb. eiusdem anni, rescriptum prodiit: « Dilata, servata praescriptione S. Cong. 24. Ian. cur- » rentis anni ad primam infallanter et ad mentem; mens est, ut » scribatur Episcopo, persolvi parocho N. N. quidquid ex reditibus, » stipendio tributo oeconomo, et supportatis oneribus, supererit a » mense Ianuarii. » Tertio proposita die 5. Decembr. eiusdem anni responsum est: « Pro nunc non expedire, firmo tamen iure perci- » piendi reditus paroeciae, demptis congrua pro oeconomo, aliisque » expensis, et ad mentem. » Tandem posteaquam quarta ac quinta vice ad trutinam eadem causa revocata fuit, die 26. Febr. 1848. dubio superius exscripto responsum fuit: « Affirmative, peractis spiritualibus exercitiis in domo religiosa per decem dies. »

267. Neque vero omittendum est, hunc potissimum causae *Placentinae* inhaesisse defectum, qui quidem cum causa *S. Severini* communis erat, quod videlicet suspensio a parochiali munere non temporanea fuerit, sed indefinita, ac propterea perpetuae privationi ferme aequivalens. Iamvero, veluti perpendit S. C. Conc. in *Lucionen.*, de qua modo dicemus, die 8. Apr. 1848. §. *Sacra autem Congr.* « S. C. etsi olim censuerit, *cap. 1. Sess. 14. de Re- » form. habere locum in prohibitionibus et suspensionibus tam tem- » poraneis, quam perpetuis*, recentiori tamen aevo ab illa sen- » tentia recedere consuevit, aliamque constanter secuta est, qua » id velle videtur, ut huiusmodi suspensiones, praesertim perpe- » tuae et indefinitae, quae idem valent ac perpetuae, et sunt » merae privationes, haud unquam imposterum ferendae sint, » nisi, praemissis monitionibus aliisque solemnitatibus ad prae- » scriptum eiusdem Synodi Trid. *Sess. 21. cap. 6.* latas fuisse » repererit. » Et in confirmationem huiusce doctrinae afferuntur nimirum causae *S. Severini* et *Placentina.*

268. Exemplum suspensionis, uti poenae, irrogatae praebet S. C. Episc. et Regul. in *Balneoregien. Remot. Parochi* 3. Septembr. 1847., quae huiusmodi tenoris est: Contra parochum loci N. N. dioecesis illius tumultus in populo excitatus fuerat, quia muliercula quaedam, quacum pravam consuetudinem fovere

dictitabatur, noctu clam in eius domum ingressa erat, et nonnisi vespere subsequenti mutatis vestibus exinde evaserat. Re in vulgus dissita et ad Episcopum delata, inquisitio a curia episcopali instituta est adinstar iudicialis processus. Actibus ad exitum perductis per sententiam die 2. Septembr. 1845. Episcopus parochum ab officio parochiali per duos menses suspendit ea lege, ut in religiosa domo spiritualia exercitia perageret. Eo interim tempore Episcopus eius vitae rationem invigilavit ad eum finem, ut iudicare posset, an dignus vel indignus esset, ut ad pastorale regimen restitueretur. Recursu ad Summum Pontificem interposito, in comitiis generalibus consultatum est: « An et quomodo providendum » esset in casu? » Quapropter eadem S. Congregatio die 3. Septembr. 1847. rescripsit: « Dandam esse plenam exsecutionem » sententiae diei 3. Septembris 1845. »

269. Quod si forte ageretur de criminibus occultis, quae parocho adscribuntur, tum potest Episcopus eumdem suspendere ex *causis sibi notis, et ex informata conscientia* iuxta *cap. 1. Sess. 14. de Reformatione* (1). Eas vero causas Episcopus reo manifestare non tenetur, utique vero Sedi Apostolicae, si reus ipse ad hanc recursum obtulerit. Vide Bened. XIV. *de Synod. dioec. lib. XII. cap. 8.* §. *3. et* §. *4.*, ubi hoc argumentum doctissime explicatur. Res magis perspicua fiet ex declaratione S. C. in *Lucionen.* Susp. et irr. 8. April. 1848. Parochus titularis, ideoque inamovibilis illius dioecesis apud Episcopum nuperrime ad episcopatum evectum de pluribus criminationibus denuntiatus fuerat; qui proinde, secretam in eum ordiri inquisitionem iussit, ex qua ingens scelerum congeries emersit. Testes vocati omnes fere viri erant omni gravitate et pietate spectabiles, nec tales, quibus aliqua dari posset exceptio, atque adeo obsequio veritatis et religionis testimonium perhibebant. Multas Episcopus parocho benignitatis declarationes exhibuit, quae cum omnes semper in irritum cessissent, ultimo tandem loco suspensionem ex informata conscientia eidem infligere non dubitavit tum a parochiali munere, tum a Missae celebratione.

270. Ab hoc decreto apud Metropolitanum parochus appellavit, et interim se celebrare posse arbitratus est. Metropolitanus Suffraganei sententiam nec infirmavit, nec reformavit, tantum-

---

(1) De hac suspensione vide *Acta S. Sedis*, vol. XIV. pag. 529.

modo eam temporariam esse pronuntiavit. Hoc iudicio minime fidens Suffraganeus causam ad S. Sedem detulit, eaque proposita fuit in comitiis S. C. cum his dubiis: « 1. An suspensio lata ex » informata conscientia sustineatur in casu? 2. An ab huiusmodi » suspensionis decreto detur appellatio ad Metropolitanum, seu » potius sit tantum locus recursui ad S. Sedem in casu? – Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam, – » 3. An constet de legitimo iudicato Metropolitani Burdigalensis » in casu? 4. An parochus ob violatam suspensionem contraxerit » irregularitatem in casu? – et quatenus affirmative, – 5. An et » ad quem spectet dispensatio a contracta irregularitate in casu? » 6. An et quomodo sit indulgendum precibus eiusdem parochi » in casu? » S. C. respondit: « Ad 1. Affirmative ad formam » *cap. 1. Sess. 14. de Reform.* Ad 2. Negative ad primam partem, » Affirmative ad secundam. Ad 3. Provisum in praecedenti. Ad 4. » Affirmative. Ad 5. Affirmative ad S. Sedem. Ad 6. Dilata, et » parochus recurrat, postquam dederit signa emendationis. »

271. Quod autem trina monitio necessaria non sit, quando suspensio irrogatur ex informata conscientia, patet ex eadem *Lucionensi*, in qua, licet parochus in antecessum monitionem triplicem, saltem iuxta formam in iure canonico praescriptam, minime accepisse comperiatur, nihilominus suspensionis decretum sustineri declaravit S. C., quod etiam eadem iam firmaverat in *Perusina Remot. Vic. Cur.* 26. Septembr. 1795.

272. Disquirunt doctores, quandonam crimen dici possit occultum. Sunt porro, qui sentiant, id esse occultum, quod non est publicum; publicum vero illud esse dicunt, quod est notum in civitate vel parochia, seu vicinia, vel maiore eius parte; quam opinionem ita esse temperandam docet Fagnanus, ut personae, quibus notum est facinus, sint infra decem *(lib. 4. decret. cap.* Vestra *de cohab. cleric. et mul. num. 113. ad 117.)*; Pignattellus *(Consult. 99. §. 9. tom. 6.)* occultum illud dici posse arbitratur, quod quatuor vel quinque notum est. Van Espenio *(Ius can. par. II. tit. X. cap. 6. n. 18.)* illud occultum videtur, quod duobus vel tribus compertum est. Alii vero generatim tradunt, occultum illud esse dicendum, quod aliqui, aut pauci tantum non ignorant; talis est *Thesaur. de Poen. I. cap. 21.* Haec profecto dicta sint, ut normam generalem tantummodo praebeant; in casibus enim particularibus plus vel minus, dummodo intra

eos limites se contineat Episcopus, qualitatem occulti immutare non posse videtur; itaque, ut opinor, pro varietate circumstantiarum prudenti suo iudicio uti poterit.

273. Cavere tamen quisque debet Episcopus, ne, quod publicum et notorium iam est, perinde ac esset occultum, falso sibi animo reputans suspensionem ex informata conscientia decernat; huiusmodi enim decrètum minime sustineretur, prout evenit in *S. Agat. Got. Susp. irr. et priv. ben.* 26. Febr. 1853. Episcopus parochum quemdam *ex informata conscientia* e ministerio parochiali suspenderat: qui, nulliter et iniuste se suspensum ratus, non destitit sese in parochialia munia immiscere. Hinc Episcopus in irregularitatem eum incurrisse alio decreto declaravit, ac tandem ob plures criminationes, quibus insimulabatur, paroecia per definitivam sententiam privavit. Causa ad Sacram Congr. Concilii deducta, parochus plura nullitatis et iniustitiae argumenta contra episcopalia decreta in medium afferebat; inter quae principem habebat locum evulgatio criminationum, ob quas Episcopus eidem suspensionem inflixerat. Itaque die 6. Febr. 1853. duo dubia disceptata sunt: « 1. An constet de validitate suspensionis in » casu? 2. An sint confirmandae vel infirmandae sententiae a » curia episcopali latae tam super irregularitate, quam super pri- » vatione beneficii in casu? » S. Congr. respondit: « Ad 1. Ne- » gative, salvo iure Episcopi procedendi, prout de iure. Ad 2. » Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. » Iterum in consultationem hisce duobus dubiis vocatis die 28. Maii eiusdem anni, ad utrumque responsum est: « In decisis et amplius. »

274. Secunda ex dictis causis, ob quas parocho datur adiutor, corporis aut mentis infirmitas est: quae profecto longa demonstratione non indiget. Oves enim sine pastore relinqui nequeunt, qui ad omnes horas pro necessitatibus obortis, Sacramentorum pabulum illis praebeat, aliasque pastoris curas impendat. Cum vero ceteroquin parochus affectus physica infirmitate (quae nempe corporis viribus uti, vel rationis usu frui ipsum vetat) gregis necessitatibus amplius satisfacere impediatur, ne afflicto superaddatur afflictio, providentissime cautum est, ut eidem deputetur adiutor: ita enim et animarum saluti provisum est, et parocho remotionis dolor non inuritur. Hinc est, quod leproso, paralytico, dementi, furioso, aliove quocumque morbo laboranti iuxta sacros canones adiutorium dandum esse, communiter sentiunt do-

ctores, inter quos Barbosam *(de off. et pot. par. P. II. cap. 23. num. 1. ad 7.)* citare satis sit.

275. Tertia causa illiteraturam et imperitiam respicit: nam ita statuit Conc. Trident. *Sess. 21. cap. 6. de Reform.* « Quia illi-
» terati et imperiti parochialium ecclesiarum rectores sacris mi-
» nus apti sunt officiis, et alii propter eorum vitae turpitudinem
» potius destruunt, quam aedificant, Episcopi etiam tamquam
» Sedis Apostolicae Delegati eisdem illiteratis et imperitis, si alias
» honestae vitae sint, coadiutores et vicarios pro tempore depu-
» tare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare,
» vel aliter providere possint, quacumque appellatione et exem-
» ptione remota. »

276. Locus est hic examinandi, an Episcopus parochos, qui iamdudum regimen pastorale exercent, iterum ad examen vocare possit, ut certior de eorum peritia reddatur? « Saepe enim con-
» tingit (ita Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. XIII. cap. 9. n. 21.*),
» ut ii ipsi parochi, qui vel a patronis laicis nominati, examine
» facto, idonei et habiles ab Episcopo reperti sunt, vel si pa-
» rochialis ecclesiae provisio per concursum facta est, in ipso
» concursu doctiores aptioresque iudicati, ideoque ceteris compe-
» titoribus praelati fuerint, temporis decursu, indocti et inhabiles
» comperiantur, aut tales evadant: cum post adeptam animarum
» curam necessarium studii exercitium omnino reliquerint. » Cui malo quomodo medendum sit, non raro ab Episcopis in suis relationibus de statu ecclesiarum suarum S. Congr. Conc. consultam et rogatam fuisse testatur et ipse de suo tempore laudatissimus ille Pontifex. Iamvero nulla hisce in casibus ratio magis opportuna videtur et consentanea, quam si parochus, de quo agitur, iterum examini subiiciatur, et si de eiusdem imperitia constiterit, adiutorem assumere compellatur iuxta allatum Tridentini decretum.

277. Rem docte, accurateque Pontifex explanat citato loco, quem audire non pigeat: « Re in Congregatione *15. Dec. 1725.*
» discussa, responsum fuit, *observanda esse antiqua decreta,* quae
» quidem ad sequentia reducuntur: nimirum prudenti Episcopo
» in re tam gravi non esse inconsiderate procedendum: non esse
» praebendas nimis facile aures fallacibus vulgi vocibus clamantis,
» imperitum parochum esse et administrandae paroeciae ineptum;
» si vero de eiusdem imperitia et ignorantia probabiles notitiae

» et gravia argumenta suppetunt, tunc in potestate Episcopi esse,
» etiam extra visitationem, omni iudicii forma seclusa, huiusmodi
» parochum ad examen vocare, quamvis alias ab eodem Episcopo
» in praecedenti examine approbatus fuerit. Ita olim S. C. re-
» spondit Episcopo Pampilonensi die 22. Sept. 1668., sicuti legitur
» in *lib. decret. 26. pag. 108*... Cum sub die 15. Ianuar. 1667.
» ad instantiam Episcopi Pampilonensis ab hac S. Congr. reso-
» lutum fuerit, primo, posse Episcopum examinare parochos et
» rectores semel approbatos ad curam animarum, quando adest
» vehemens suspicio de eorum imperitia; secundo, posse ad hu-
» iusmodi examen procedere etiam extra visitationem; tertio, ad
» dictum examen faciendum haud necesse esse, ut iudiciales pro-
» bationes imperitiae praecedant. Nunc supplicat Episcopus ipse,
» per hanc S. Congr. ulterius declarari, an in actu visitationis
» dioecesis possit Episcopus examinare parochos, quotquot visitat,
» etiamsi contra illos vel aliquem ipsorum non vigeat suspicio
» imperitiae? » et S. Congregatio respondit: « Negative. »

278. Id autem Episcopus multo magis agere poterit, si res de iis parochis sit, qui ab eius decessoribus in officio parochiali constituti fuerint. Qua de re multa sunt Sacrae Congreg. responsa, ex quibus unum referre sufficiat, nempe mensis Augusti 1628. *(lib. 13. decret. pag. 520.)* « S. C. censuit, Episcopos successores
» posse, superveniente rationabili causa, iterum ex officio, etiam
» extra visitationem examinare parochos alias ad ecclesias paro-
» chiales approbatos. » Quando itaque post novi examinis experientiam de parochi inscitia imperitiaque constiterit, tunc erit locus applicationi decreti Concilii Trident. *Sess. 21. cap. 6.* superius exscripti.

Non expedit vero, ut Episcopus generale ferat edictum, quo omnes ecclesiastici viri examini subiiciantur. Cum enim olim Episcopus quidam huiusmodi edictum promulgasset, quo omnes presbyteri, nullo omnino excepto, ad curiam se sistere sub gravi poena cogebantur, ut examen subirent, S. Congreg. Episc. et Regul. huiusmodi rationem improbavit edicens, integrum esse eidem ecclesiasticos viros visitare, eaque occasione dulciter excutere eosdem et explorare. *(Assisien.* 3. Febr. 1580. ex *Reg. S. C. ad eum annum).*

279. « Sub illiteratorum et imperitorum (sic S. Congr. Conc.
» in Folio *Taurinen. Suspens.* 2. Iulii 1855.) nomine in casu,

» quamvis odiosa res sit, venire videntur, non solum qui *specu-*
» *lativa*, sed etiam saltem ex paritatis ratione, qui *practica*, ut
» aiunt, scientia carent, qui nimirum, vel ob experientiam et
» culturae defectum, aliamve ob causam habiles non sunt rebus
» ea, qua par est, prudentia et consilio gerendis, seu uti gene-
» rali verborum conceptione inquit Concilium, qui sacris minus
» apti sunt officiis. Imperiti, prosequitur Barbosa *(de off. et pot.*
» *parochi par. II. cap. 23. n. 9.)*, ad hunc effectum dicuntur illi,
» qui inhabiles sunt ad exploranda ea, quae incumbunt muneri
» ac oneri beneficii, quod habent, et secundum dignitatem, sta-
» tum, et officium, ad quod assumuntur. » Et reapse in allata *Taurinen.* de parocho agebatur, cuius de moribus ex ipsa Archiepiscopi et Nuntii Apostolici relatione nihil omnino proferebatur, sed tantum ab Archiepiscopo temporanea suspensione perculsus fuerat in vim decreti Conc. Trid. *Sess. 21. cap. 6. de Reform.*, ex eo quod consiliis sui Antistitis minime obsecundans suo infausto confisus iudicio ob ingenium difficile et inurbanum parochianorum aestimationem et fiduciam amiserat. Cum itaque inquireretur, an decretum suspensionis confirmandum, vel infirmandum esset, confirmandum rescripsit S. Congr., « addita clau-
» sula, et *quoad reintegrationem dilata usque dum orator doceat*
» *de peritia et idoneitate administrandi paroeciam.* »

280. Quarta causa, ob quam parocho coadiutor dandus est, tum locum habet, cum supercrescenti parochianorum numero depascendo unus rector impar effectus fuerit. Habemus hic Conc. Trid. decretum in *cap. 4. Sess. 21. de Reform.*, quod ita statuit: « Episcopi etiam tamquam Apostolicae Sedis Delegati in omnibus
» ecclesiis parochialibus vel baptismalibus, in quibus populus
» ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere ecclesia-
» sticis Sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo, co-
» gant rectores vel alios, ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes
» ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhi-
» benda, et cultum divinum celebrandum. In iis vero, in quibus
» ob locorum distantiam, sive difficultatem parochiani sine ma-
» gno incommodo ad percipienda Sacramenta et divina officia
» audienda accedere non possunt, novas parochias, etiam invitis
» rectoribus, iuxta formam Constit. Alexand. III., quae incipit *Ad*
» *audientiam*, constituere possint. Illis autem sacerdotibus, qui
» de novo erunt ecclesiis noviter erectis praeficiendi, competens

» assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad ecclesiam
» matricem quomodocumque pertinentibus. »

281. Ad hoc decretum Card. de Luca *Adn. ad Conc. Trid. disc. 16.*, quae sequuntur, opportunissime non sine perspicuitate animadvertit: « Populo excrescente, seu alias tractu temporis im-
» mutato rerum statu, adeo ut unus rector, vel parochus, vel re-
» spective una ecclesia parochialis universo populo non sufficiat,
» vel non congruat, tunc prudenter Sacrum Conc. in hoc decreto
» providet, ut pro facti qualitate Ordinarius unum de duobus
» remediis adhibeat; vel scilicet vicarios seu adiutores, ac etiam
» unam vel plures ecclesias adiutrices deputet, parochi et ecclesiae
» parochialis unitate non immutata; vel quod, praevia dismembra-
» tione partis populi ac territorii, unam vel plures novas parochias
» erigat, quoties omnium opportuna provisio sit practicabilis.

282. » In hoc autem certa regula generalis cuicumque casui
» adaptabilis utique statui non potest, ideoque manifestus error
» est illorum, qui cum aliquibus S. C. declarationibus, vel cum
» Rotae decisionibus, aut aliquorum doctorum traditionibus pro
» huiusmodi nova erectione facienda vel deneganda in sola li-
» tera procedunt, cum sit potius quaestio nudi facti ex singulo-
» rum casuum particulari qualitate, ac individuis circumstantiis
» decidenda. Quoniam possunt simul stare, ut in uno casu eadem
» populi multiplicitate, eademque distantia, vel itineris asperitate
» aliisque causis attendentibus id denegandum sit, ac in altero
» concedendum, eo quia diversi mores regionis, vel maior seu
» minor contiguae parochialis maiestas, vel decor in uno casu
» permittant, vel in alio prohibeant.

283. » Quoties enim sola ratio excreti populi, vel incommo-
» ditatis itineris in aliquibus anni temporibus urgeat, adhuc abs-
» que necessitate procedendi ad hanc dismembrationem, seu di-
» visionem, quae alienationem redolet, ideoque regulariter pro-
» hibita est, recte consuli potest cum destinatione unius, vel plu-
» rium inferiorum ecclesiarum, quae per territorium iam sparsae
» sint, et existant, vel denuo construantur cum deputatione vi-
» cariorum, seu coadiutorum, ut ita commodior Sacramentorum,
» aliorumque divinorum administratio praesertim infirmis, ac aliis
» respective sequi valeat, non diminuta ecclesiae parochialis uni-
» tate ac maiestate tam circa numerum clericorum et inservien-
» tium, quam circa populi maiorem concursum in aliquibus prae-

» sertim maioribus anni solemnitatibus, dum cum praefato reme-
» dio recte consultum remanet, idemque obtinetur finis, vel re-
» sultat effectus.

» Multoties etenim ecclesiae parochiales ob populi et cleri
» copiam (ut plurium locorum praxis docet) collegiatarum etiam
» insignium figuram faciunt, quia nempe clerici naturales vel
» patrimoniales loci eius servitio ac massae adscripti quamdam
» Capituli speciem constituunt seu figuram faciunt cum diurnae
» Missae conventualis, aliorumque divinorum celebratione, ac
» etiam statutis diebus cum Missa solemni, et cum concionibus
» in Adventu et Quadragesima, magisque exacto doctrinae chri-
» stianae, aliarumque spiritualium rerum exercitio, quae omnia
» cum hac scissura cessarent vel diminutionem paterentur; sive,
» ubi etiam talis populi et cleri copia sit, ut in utraque, antiqua
» et nova ecclesia pariformiter eaedem functiones continuari va-
» leant, atque emolumenta talia sint, ut omnium congrua provi-
» sio adsit, adhuc tamen quandoque non expedit, quoniam fre-
» quens experientia docet, quod huiusmodi ecclesiarum parochia-
» lium duplicitas scissuras ac factionarias aemulationes inter
» utriusque clerum et populum respective causare solet.

284. » E converso autem ob aliquarum regionum vel contra-
» darum eiusdem paroeciae antipathiam, vel quia una pars ae-
» mula alterius, in qua ipsa parochia sita sit, illam subiectionem
» aegre ferat, unde propterea resultant inconvenientia, quibus
» cum adiutricis ecclesiae seu vicariorum et coadiutorum depu-
» tatione consultum non sit, ad hanc divisionem procedendum
» est, adeo ut in uno casu, in quo maior populi numerus, ma-
» iorque territorii amplitudo adsit, divisio facienda non sit, in
» altero autem expediat; et consequenter prudenti beneque re-
» gulato arbitrio totum commissum est. »

285. Multiplex igitur est via, quam gradatim inire debet Episcopus, quando unus parochus ad parochialia munera undequaque obeunda non sufficit. In primis enim unus vel plures adiutores deputandi sunt, qui vel in eadem ecclesia parochiali, vel alia, quae adiutricis qualitatem obtineat, suam residentiam constituant. Secundo loco, si hoc remedium ineptum ad hoc comperitur, vicarius perpetuus cum aliqua dependentia a parocho principali, ut modo explicabitur, erit constituendus. Tandem si neque hoc remedium supplendae necessitati par sit, ad parochiae dis-

membrationem, ac subsequam alterius vel plurium aliarum parochiarum erectionem deveniendum est.

286. De tribus hisce articulis nonnulla singulatim adnotanda occurrunt. Ad primum, qui capellani coadiutoris constitutionem respicit, notandum est, quod in Constit. Innoc. XIII. *Apostolici ministerii*, quam Bened. XIII. observandam edixit in Conc. Rom. an. 1725., ad n. 11. ita provisum est: « Quoties itaque in aliis » parochialibus ecclesiis, quae, ut praefertur, unitae non sint, » oportuerit ex aliqua iusta causa provideri per coadiutores pa- » rochorum aut per vicarios temporarios, curae erit Episcopis, » pro data sibi a Tridentino Synodo potestate partem fructuum » praedictis coadiutoribus aut vicariis assignandam, determinare » in ea quantitate, quae pro suo prudenti arbitrio et conscien- » tia conveniens videbitur, ratione videlicet habita redituum et » emolumentorum ecclesiae parochialis, in qua deputati fuerint, » necnon inspectis conditionibus loci, numero animarum, quali- » tate laboris et quantitate impensarum, quas commissi officii » necessitas postulaverit. Quod si parochi ab Episcopis moniti, » congruo eisdem tempore praefixo, coadiutores sive vicarios tem- » porarios, quoties opus fuerit, assumere neglexerint, poterunt » ipsi Episcopi eos, quos huic muneri idoneos censuerint, aucto- » ritate propria deputare cum assignatione antedictae portionis » fructuum. Et nihilominus, ubi etiam praedicti coadiutores, aut » vicarii temporarii a parochis nominati vel assumpti fuerint, de » eorum idoneitate Episcopis constare per examen debeat, ante- » quam ad exercitium admittantur; nec satis sit, quod ad con- » fessiones audiendas antea fuerint approbati, nisi aliis etiam » qualitatibus ad curam animarum recte exercendam opportunis » praediti noscantur. Quibus si careant, nec parochi deinde intra » alium similem terminum ab Episcopis praefigendum, alios vere » idoneos nominaverint, tunc pariter ad ipsos Episcopos libere » spectet deputatio cum dicta congruae assignatione: nec ulla » parochorum contradictio, aut exemptio, aut appellatio, aut cu- » iuscumque iudicis inhibitio exsecutionem deputationis et assi- » gnationis certae partis fructuum in casibus praemissis suspen- » dere possit, itemque, non obstante qualibet contraria consue- » tudine, etiam immemorabili. »

287. Quod ius parocho inest personae, quae sibi adiutricem ferat opem, in casibus modo expressis nominandae, illud idem

minime ei competit, quandocunque ob culpam suam huic provisioni ineundae locus est; nam S. Cong. Conc. in *Burgi S. Domn. Paroch.* 4. Maii 1737. sustinendam esse Episcopi sententiam edixit, qua huiusmodi in casu hic tale sibi ius reservaverat.

288. Circa parochorum coadiutores attendenda sunt S. C. Conc. responsa sub die 6. Novemb. 1620. in *Brixien.* ad sequentia dubia, quae refert Girald. *Ius Pont. Part. II. sect. 87. pag. 934.*

« Quaeritur 1. Utrum coadiutores omnes, quomodocumque sint » capellaniae institutae, teneantur ad residentiam personalem ea- » dem lege Conc. Trid. *Sess. 23. cap. 1. de Reform.*, qua rectores » ipsi parochialium tenentur? Congregatio censuit teneri.

» Quaeritur 2. An saltem ab ea lege excipiantur ii, qui ex » institutione possunt per alium servire? Congregatio censuit, » hosce dumtaxat excipi.

» 3. Utrum Episcopus teneatur cogere ad residentiam illos » etiam coadiutores, quibus nulla expressa personalis residentiae » obligatio iniuncta est? S. Congregatio censuit, teneri cogere » hos, sicut ipsos ecclesiae rectores.

» 4. Utrum possit Episcopus cum aliquo ex his coadiutoribus » dispensare super residentia? S. Cong. censuit, non posse, prout » nec cum rectoribus ipsis potest.

» 5. Utrum illi, qui ad beneficia huiusmodi proponuntur ad- » mittendi, sint eodem iure examinandi, quo rectores ipsi earum- » dem parochiarum examinari iubentur ad parochiales ecclesias » ipsas obtinendas ex *cap. 18. Sess. 24.?* S. Congregatio censuit, » ita esse examinandos.

» 6. Utrum canonici cathedralis vel aliarum ecclesiarum, qui » beneficia huiusmodi onus coadiuvandi adnexum habentia obti- » nent, teneantur et similiter cogi debeant per Episcopum ad » personaliter deserviendum in beneficiis praedictis, dimisso ser- » vitio iisdem canonicis ratione canonicatuum et praebendarum » in ecclesiis praedictis imminente, prout in Constit. felic. record. » Pii V. super residentia in parochiali? S. Congregatio censuit, » ita esse cogendos. »

289. Ad secundum ex praedictis tribus articulis, qui ad perpetui vicarii creationem refertur, adnotandum est, quod, si iudicetur per coadiutorum deputationem populo adaucto, vel procul dissito satis consultum non fore, antequam ad paroeciae dismembrationem, novaeque paroeciae erectionem procedatur, exploran-

dum sit, an recte ac plene suppleri queat per vicarium perpetuum in ecclesia aliqua designata constituendum. Et sane, S. C. Conc. in *Lunen. Sarzanen. Dismembr. paroec.* 27. Septemb. 1732. cum de venia quamdam dismembrandi parochiam, novamque erigendi rogaretur, in antecessum inquiri iussit, an vicaria perpetua constitui posset. Quamvis autem populus pro paroecia dismembranda enixius instaret, S. C. populo annuere noluit, edixitque « erigendam perpetuam vicariam. » Quae declaratio S. C. C. fortasse movit S. Cong. Episc. et Regul. in *Carpen. Dismembr. paroec.* 22. Septem. 1855., ut in simillimo casu, cum in consultatione de more typis impressa, et Emis Patribus distributa exemplum memoratae causae *Lunen. Sarzanen.* allegatum fuisset, eamdem declarationem ederet; etenim decrevit loco paroeciae independentis ac liberae locum esse *erectioni vicariae perpetuae, postquam Ordinarius docuisset de congrua dotatione.*

290. Huiusmodi vicariam erigere potest Episcopus ob allatas causas etiam in ecclesiis parochialibus, quae alicui monasterio unitae sunt, etiamsi monasterii Superiores contradicant. Et si congrua dos vicario constituitur aliunde, et minime ex bonis monasterii seu parochiae, potest etiam erectionem peragere cum iure liberae collationis, servato concursu. S. C. C. *Brixien.* 16. Mart. et 22. Iun. 1743.

291. Nec praetereundum hoc loco est, quod Conc. Trid. statuit *Sess. 7. cap. 7. de Reform.*, ut in ecclesiis parochialibus, quae cathedralibus, collegiatis et piis aliis quibuscumque locis unitae sunt, Episcopi sollicite curent, quo per idoneos *vicarios etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, animarum cura laudabiliter exerceatur.* Quae verba sic a doctoribus explicantur, ut appositio vicarii sive perpetui, sive temporalis pendeat ab arbitrio Ordinariorum pro circumstantiarum varietate moderando. (Barbos. *Ius Pont. lib. 3. c. 6. n. 11.* et alibi cum Gallemart.) Quin etiam S. C. Conc. quotiescumque ex relationibus Episcoporum de ecclesiarum suarum statu deprehendit, curam habitualem penes modo memorata sacra instituta residere, actualem vero penes unum vel plures, qui tamen ad nutum possunt a parochia amoveri, sedulo monet Antistites, ut videant, an huiusmodi rei exercendae paroecialis ratio in populi detrimentum cedat, et an magis expediat, ut parochia perpetuo in titulum ita conferatur, ut eius rector sine canonicis

causis nequeat removeri. Id iam de suo tempore testabatur de Luca in *Disc. IX. (apud Gallemart edit. Trid. 1762. pag. 466.)*, idemque hodie receptum est, ut pluribus exemplis passim comprobari posset.

292. Monendum tamen est, non indiscriminatim hac super re a S. C. procedi, sed iuxta hanc plane disciplinam, nimirum ut, quando populus distinctus non est in certas propriasque paroeccias, quemadmodum animadvertunt Tridentini Patres *Sess. 25. cap. 16. de Reform.*, Episcopus unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignet eo nempe consilio, ut pastor cognoscat oves suas, et cognoscant ipsum suae. Item si (id, quod locum, quem versamus, acu tangit) alicui Capitulo, beneficio, aut quomodocumque cuique pio loco cura animarum ob huius annexionem unionemque factam necessario iisdem inhaereat, prout loquitur Conc. Trid. *Sess. 7. cap. 7. de Reform.*, tunc aeque tenet S. Cong., ut integrum sit Episcopo, iusta ac rationabili accedente causa, vicarium perpetuum constituere, sublato more deputandi vicarium temporaneum et ad nutum amovendum. Contra si ex primaeva institutione et erectione ad Capitulum, beneficium, aliumque similem pium locum cura animarum principaliter pertineat, tunc non licet Episcopo vicarium perpetuum stabilire, sua tantum interveniente potestate; aliter enim beneficium curatum in simplex converteretur, prout advertitur caveturque *Sess. 25. cap. 16. de Reform.* Huiusmodi disciplina recentissime confirmationem obtinuit a S. Congr. Conc. in *Baren. Cur. Anim.* 29. Augusti 1857., cuius folium, utpote quod hanc materiam solertissime exponit ac roborat, legendum praebebimus in volumine III. sub num. 34.

293. Nihilo tamen secius in hoc ultimo casu, quando animarum necessitas vel utilitas videtur exposcere, ut parochus perpetuus constituatur, auctrix est S. C. C. Episcopis, dum eorum relationibus rescribit, ut rationem aliquam cum Capitulo, alteriusque loci pii moderatoribus ineant, qua, horum accedente consensu, possit imposterum rector precarius in perpetuum ac stabilem converti.

294. Ex Constit. S. Pii V. incip. *Ad exsequendum* in assignanda congrua vicariis perpetuis, diserte statuitur: « Ita se (Episcopum) » continere et arbitrari debere, ut non maior centum, nec minor » quinquaginta scutatorum annuorum summa, computatis etiam » omnibus incertis emolumentis et aliis obventionibus commu- » niter percipi solitis eis (vicariis perpetuis) omnino assignetur. »

Cumque disputaretur, qua de moneta intelligeretur summa illa argenteorum, s. m. Innocent. XIII. in superius memorata Constit. *Apostolici ministerii* determinavit, eam summam intelligendam esse *de scutatis argenteis juliorum decem monetae Romanae pro quolibet scutato.*

295. Quod pertinet ad emolumenta parochialia, prae oculis habenda sunt, quae hac in re ex auctoritate de Luca tradit Pitonius *Discept. eccl. 46. n. 10. et 11.* Nihilominus distinguendum et dicendum est, « inter incerta alia esse, quae sunt mere eventualia et » voluntaria, quae pendent e sola populi devotione, quorum ratio- » nem non esse habendam pro congrua, firmat de Luca *(Disc. 18.* » *num. 12. de Parocho),* et alia incerta solvenda occasione Sacra- » mentorum vel sepulturae, quae sunt aliqualiter certa, quorum » ratio haberi debet, cum proinde populus non possit non mori, » non nasci, non baptizari, et non contrahere matrimonium, ut » subiungit idem Cardinalis, ubi etiam notat, quod in plerisque » parochiis nullum alium reditum habentibus ista sola emolu- » menta ob populi numerositatem adeo magnum reditum consti- » tuunt, qui sufficiat etiam ad sustentationem collegii, cuius » beneficia adeo pinguia reputantur, ut etiam pensionibus gra- » ventur. » Girald. *Ius Pont. Part. II. sect. 23. sub fin.,* necnon S. Congreg. Concilii in *Firmana* 24. Maii 1788. §. *Illegitimus, Arboren. Condon.* 18. Iunii 1831. §. *Porro.*

296. Quae proprietates vicariae perpetuae inhaereant, describit consultatio S. C. Episc. et Regul. in memorata *Carpen.* §. *È ben noto,* quem locum ita latine reddimus: « Compertum est Emis » Patribus, qui legis effectus ex vicaria perpetua derivent. Quis- » quis eadem praeditus est, institutionem ab Ordinario accipit » ad nominationem rectoris principalis, cuius vices in perpetuum » obit. Idem consideratur uti beneficiatus, siquidem vero et ca- » nonico beneficii titulo potitur, neque sine canonica forma po- » test amoveri. Vicaria perpetua incompatibilis est cum alio be- » neficio residentiali: ad residentiam obligat, et confert vicario » in ecclesia sua eam potestatem, quae veris parochis competit; » in eo namque cura actualis residet, manente habituali dum- » taxat apud eum, cuius ipse vices sustinet, sive is Praelatus sit, » sive Dignitas, sive Abbas, aut alius huius generis, qui propterea » non potest contra vicarii voluntatem Sacramenta administrare. » Ibidem alia subduntur, quae referre hic longum esset.

297. Enimvero qui fortasse plura de vicario perpetuo nosse percupiat, consulat Ferrarium verbo *Vicarius parochialis* per totum.

298. Ad tertium articulum, qui dismembrationem (1) complectitur, notandum est, communiter ab interpretibus agi de solemnitatibus, quae ab Episcopis servari debent in paroeciis dismembrandis cum novam, vel novas paroecias constituunt. Consuli potest Fagnanus ad *Cap.* Ad audientiam *3. de eccl. aed.* aliosque ad ipsum textum iuncto Decr. Conc. Trid. *Sess. 21. cap. 4. de Reform.* Nobis placet ea hic exscribere, quae folium S. C. Conc. in *Massanen. et Popul. Dism.* diei 9. Maii 1840. §. *Nemo nescit* scitissime perstringit: « Nemo nescit (sic ibi), qui vel a limine » sacros canones salutaverit, beneficiorum dismembrationem in » iure esse odiosissimam: quippe quae alienationem sapiat, ut » aiunt abbas ad *Cap. Ad audientiam in* §. *Notabilium.*, Lotter. » *de re ben. l. 31. qu. 28. n. 4.*, Rota Rec. *p. 7. dec. 68. n. 1.* » Hinc nonnisi in subsidium ac gravissimis patentibus causis, » quae sunt urgens necessitas vel evidens ecclesiae utilitas, per- » mittendam docent iuxta *Cap. Sine exceptione 12. Q. 2.*, *Cap.* » *Et hoc ius 10. q. 2.*, Decius *Cons. 141. n. 1. V. 2.*, *Rota* » *Dec. 578. n. 17. p. 19.* §. *2. Rec.* praesertim cum de parochiali- » bus sermo est: nihil enim magis alterat ecclesiarum praeser- » tim parochialium statum, quam divisiones seu dismembratio- » nes, ut ait Lotter. *de re ben. l. 1. Qu. 28. num. 1.* Quod si » talia adsint in causa dismembrationis, nulla esse potest con- » traria ratio, quae illam impediat. S. C. in *Imolen. Dismembr.* » 8. Ian. 1726., in *Aquen.* 13. Iul. eiusdem anni, *Asculana Dism.* » 15. Decemb. 1719., adeoque nec dissensus patronorum, ut erue- » re est ex ipso Trid. *Sess. 21. cap. 4. de Reform.*

299. » Inter utilitatis et necessitatis exempla recensetur etiam » magnus oppidanorum numerus, ac nimia distantia a parochiali » ecclesia. Reiff. *Lib. 3. Dec. Tit. 48.* §. 2. *n. 12.*, Fagnan. *l. c.* » *n. 14.*, Trid. Syn. *cit. cap.* et passim S. Cong. Verum adnotant » doctores ad solum parochianorum numerum, etsi exorbitanter » sit auctus in eodem loco ecclesiae parochialis, ad subsidiarium » dismembrationis remedium non deveniri, cum succurri possit » semper per unius vel plurium vicariorum deputationem, idque » ex mente Trid. Conc. *cit. Sess.*

---

(1) De dismembratione paroch. cfr. *Acta S. Sedis*, vol. X. pag. 271., XII, 278., XIII. 292. et 299.

300. » De distantia vero non ambigitur, quod causa dismem-
» brationis esse possit. At quaeritur, quaenam haec esse possit.
» Qua in re quamvis Abbas aliique nimiam videantur exigere
» distantiam, attamen, ut adnotat Fagnanus *loc. cit. n. 18.*, ma-
» gna longinquitas non requiritur, sed solum talis, ut parochia-
» nis sine magno incommodo non pateat accessus ad maiorem
» ecclesiam. Van Espen *Ius Pont. Un. p. II. tit. 16. de aed. eccl.*
» *n. 14.* cum Rota *Dec. 484. n. 2.* §. *1. Rec.*, ubi advertitur, quod
» cum iure statutum non sit, quanta debeat esse huiusmodi di-
» stantia ad hoc, ut dicantur parochiani non posse sine magno in-
» commodo ad ecclesiam accedere, id iudicis arbitrio relinquitur.
» Ceterum grave incommodum eo fortius clarescere, quo viarum
» asperitas accedat, maxime in hieme, imbribus, vel nivibus im-
» pendentibus, non dubitatur. Gonzalez. ad *Cap.* Ad audientiam
» *n. 4.*, Fagn. *loc. cit. n. 1. et 2.*, Piton. *Dis. eccl. 160. n. 10. et 11.*»

301. Post haec in eodem folio in medium proferuntur exempla, quibus S. Cong. dismembrationem impertita est; at dein subiicitur, saepius eamdem denegasse; ut aliis ad rem relatis exemplis ostenditur. Hinc concluditur, quaestionem potius facti esse, quam iuris adducta auctoritate Card. de Luca, cuius doctrinam nos etiam supra allegavimus.

302. Difficultatem saepenumero hoc in rerum genere ostendunt Episcopi ex parte rectorum et patronorum, quando parochia iuri patronatus subest; atqui tametsi utrique aeque ac omnes alii, quorum interest, debeant rogari audirique, prout par est, attamen, si eorum dissensus minime iustus ac rationabilis deprehendatur, non idcirco eorum oppositio animarum bono divinoque cultui praeferatur, veluti ex millenis S. C. Conc. resolutionibus passim elucescit. Et non immerito; nam Conc. Trid. *Sess. 21. cap. 4. de Reform.* diserte sinit, ut parochiae noviter erigi queant etiam, « *invitis rectoribus* ». Confirmatur exemplo in *Ianuen. Erect. paroch.* 24. Aug. 1867.

303. Insuper ut omni ex parte universae rei consultum sit, illud ab Episcopis efficiendum est, ut congrua dos tam pro parochis, quam ecclesiae parochialis tuitione sit in promptu, ac praesertim pro sacris supellectilibus et lampadis alimento ante SSm̃um Eucharistiae Sacramentum, veluti S. C. Conc. expresse requisivit in *Milevitana* Dismembr. 4. Feb. 1843., *Camerinen.* Dismembr. 2. Decembris eiusdem anni, *Lucana Assign. congr.* 7. Mai. 1852.

S. C. Episc. et Regul. Denique erga ecclesiam principalem, quae dismembrationem patitur, ordinarie reservatur obligatio a parocho ecclesiae noviter erectae, in perpetuum reservanda, ut solemniore aliquo per annum die certa quantitas cerae elaboratae vel aliud simile honorificentiae veluti tributum offeratur ad demonstrandam matricitatem et maioritatem in memoriam pristinae subiectionis, quemadmodum communiter hisce in casibus fieri solet a S. C., et confirmatur exemplo modo memoratae *Milevitanae et Camerinen.*

304. Ab hoc articulo, in quo agitur de opera parochis praestanda, non videtur alienum pauca innuere de illis ecclesiis parochialibus, quarum servitio addicti sunt alii sacerdotes; id quod peculiariter accidit de illis ecclesiis, quae simul collegiatae sunt, aut dumtaxat receptitiae. Neque enim raro fit, ut parochi huiusmodi opem a dictis sacerdotibus exigant, hi vero detrectent. In quo recolenda sunt, quae S. C. Conc. docet in *Urbevetana*, cuius folium exstat ad diem 10. Maii 1766. §. *Ceteroquin:* « Ceteroquin » pensanda certe ex variis rerum conditionibus res est; sed si in- » time ea res omnis inspiciatur, obligatio parochum adiuvandi » omnibus, qui ex ecclesia sunt, suapte natura insidet penitius, » quam dici potest, nimirum aliquando ex charitate, si alias pro- » visum populi saluti sit, ex religione autem et ex necessitate, » si necessitas postulet. Salus enim populi, et praesertim aeterna » suprema lex est: eam curare modis omnibus tenentur omnes, » et praesertim qui, dum de ecclesia sunt, de emolumentis ec- » clesiasticis, sive beneficiis, sive oblationibus, sive eleemosynis » capiunt. »

305. Quam doctrinam folium ipsum confirmat auctoritate S. Caroli Borromaei *(Syn. dioec. IV. decret. 5. et Syn. dioec. XI. monit. 1.)*, Bened. XIII. in Syn. Beneventana *Tit. 1. de sum. Trin.*, Bened. XIV. Constit. *Etsi minime* diei 7. Febr. 1742. §. *Situe.* Itaque S. C. Conc. in omnibus huiusmodi casibus continuo respondit, illiusmodi sacerdotes non esse cogendos, nisi in casu necessitatis, veluti patet ex syllabo resolutionum per extensum in memorato folio cumulatarum, quibus addi potest responsio ad ipsam *Urbevetanam*, quae habetur die 31. Maii eiusdem anni, necnon alia responsio data in *Triventina Cur. animar.* 18. Aug. 1860.

306. In determinandis autem huius necessitatis limitibus, regula taxativa minime tradi posse videtur; quoniam isthaec determinatio a variis pendet temporum, circumstantiarum et adiun-

ctorum accidentibus. Et sane Episcopus Civitatis Castellanae decretum tulerat, quo ius parocho faciebat in suum subsidium canonicos advocandi, addita conditione, ut, horae spatio dilapso, aliter providere deberet, ne videlicet canonicorum opera abuteretur. S. C. Episc. et Regul. in *Civit. Castell.* 11. Iulii 1862. *ad 2.* declaravit, Episcopi decretum sustineri quidem *ita tamen, ut praefinitio horae non taxative, sed demonstrative intelligatur, et amplius.* De stipendio coadiutorum agit *Praenestina* per Sum. prec. 2. Iunii 1855., *Reatina* 22. Dec. 1855. per Sum. prec.

« IX. An iidem per se, vel per alios idoneos, si legitime » impediti fuerint, diebus saltem Dominicis et festis solemnibus » plebes sibi commissas pro sua, et earum capacitate pascant » salutaribus verbis, docendo, quae scire omnibus necessarium » est ad salutem, iuxta monitum Tridentini et praecitati Concilii » Romani. »

Summarium. 307. Tridentini Concilii decretum, quo animarum curatoribus Dominicis ac solemnioribus festis divini verbi praedicatio iniungitur. Ibidem Episcopis mandatur, ut tam subiectos quam exemptos invigilent, in eosque, si moniti neglexerint, etiam censuris animadvertant. – 308. Neque vero exigitur concio formalis, sed sufficit familiare ac facile dicendi genus auditorum captui accommodatum. – 309. Memorabile S. Francisci Xaverii monitum super praedicatorum officio. – 310. Ex eo, quod Episcopi formaliter praedicare tenentur, non idcirco sequitur, ut idem de parochis dicendum sit; alius enim stylus est, qui Episcopos, alius, qui parochos decet. – 311. Parochi per seipsos parochialia munera persolvere tenentur, nisi legitime impediantur. – 312. Ac praesertim per se, non per coadiutores divini verbi ministerium explere debent. – 313. Ab hoc officio eos non excusat neque contraria consuetudo immemorabilis, neque usus advocandi per annum sacros praecones, neque parvus auditorum numerus, aut alia quaelibet causa. – 314. Neque parochis cathedralium, etiamsi sint vicarii amovibiles, hoc suffragatur, quod ibi praedicationis munus Episcopo incumbit. – 315. Quamquam illud in more positum sit, ut per Adventum et Quadragesimam in sola maiori ecclesia concio habeatur, non ideo parocho interdictum in Missa parochiali verbum divinum praedicare. – 316. De controversia, an parochi in Adventu et Quadragesima (quando nempe concio solet haberi) praedicare et ipsi teneantur. Si iusta adsit causa, sustinetur mandatum Episcopi id praecipientis, tametsi contraria non desit consuetudo. – 317. Circa praedicandi divini verbi tempus S. C. Conc. pluries declaravit, id peragi de-

bere post Missae Evangelium. – 318. Cum praedicat Episcopus, alii praedicatores silere debent, minime vero parochus. – 319. Parochus non potest exigere, ut sibi concionanti detur eleemosyna etiam ex praetextu paupertatis. – 320. 321. Parochi nullum etiam episcopali dignitate praeditum sine proprii Episcopi licentia praedicandi causa in suam ecclesiam admittant, nisi cognitus, et doctus idem esset, ac id bis, vel ter: sed ab Episcopo facultatem habentem prohibere a praedicando nequeunt. – 322. S. C. Conc. etsi non dubitaverit de facultate Episcopi super imponenda poena pecuniaria contra parochos verbum divinum negligentes, nihilominus eam stabiliter in Synodo Novariensi constitutam non decuisse respondit. – 323. 324. Inter Missarum solemnia ante vel post parochi praedicationem, vel saltem hora magis a populo frequentata sacrorum Ordinum denuntiationes, hebdomadae vigiliae, festique dies promulgari debent, itemque matrimoniorum, nisi accedat Episcopi dispensatio ex iusta causa. – 325. 326. 327. Et id fieri debet non aliis, praeterquam festis diebus etiam e festorum albo dispunctis, modo non accedat Apostolica facultas iuxta mentem in causa *Brunen.* expressam, quae explicatur. – 328. In cathedralibus et collegiatis, ubi exstat etiam parochia, licet parocho denuntiationes promulgare, et parochialem sermonem (e suggestu tamen ac non diutius, quam per horae dimidium) habere sive in Missa parochiali, sive in conventuali. – 329. De denuntiationibus fuse agit Ferraris.

307. Conc. Trid. *Sess. 5. cap. 22. de Reform.* praescribit, ut « Archipresbyteri, plebani, et quicumque parochiales vel alias » curam animarum habentes ecclesias quocunque modo obtinent, » per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus » saltem Dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas » pro sua, et earum capacitate pascant salutaribus verbis, do- » cendo quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annun- » tiandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia, quae » eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat, ut poenam ae- » ternam evadere, et coelestem gloriam consequi valeant. Id vero » si quis eorum praestare negligat, etiamsi ab Episcopi iurisdi- » ctione quavis ratione exemptum se esse praetenderet, etiam si » ecclesiae quovis modo exemptae dicerentur, aut alicui mona- » sterio, etiam extra dioecesim existenti, forsan annexae vel uni- » tae, modo reipsa in dioecesi sint, provida pastoralis Episcopo- » rum sollicitudo non desit, ne illud impleatur: *Parvuli petie- » runt panem, et non erat, qui frangeret eis.* Itaque ubi ab » Episcopo moniti trium mensium spatio suo muneri defuerint, » per censuras ecclesiasticas, seu alias ad ipsius arbitrium co-

» gantur, ita ut etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex bene-
» ficiorum fructibus alteri, qui id praestet, honesta aliqua merces
» persolvatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum
» impleat. » Consonat. *Sess. 22. de sacr. cap. 8. Sess. 23. cap. 1. de Reform.*, necnon Conc. Rom. *anni 1725. tit. 1. cap. 4.*

308. Auctor est Bened. XIV. *Inst. eccl. X. n. 3.* « non per-
» politam et elaboratam concionem a parochis habendam, sed
» familiari, facilique dicendi genere ipsos uti debere ad populi
» intelligentiam accommodato. » Nam S. C. C. Episcopo *Meliten. (lib. 6. decret. pag. 109. et seq.* apud Bened. XIV. *l. c.)* respondit: « Satis esse, ut parochi, etsi formaliter non praedicent, saltem
» Dominicis et festis diebus plebes sibi commissas pro sua et
» earum capacitate pascant salutaribus verbis. » Hinc S. C. C., cum Episcopi referunt, a parochis unam vel alteram causam proferri solere, ne concionem formalem ad populum habeant, in hanc sententiam rescribere solet, videlicet, ut parochi satis habeant, familiari facilique sermone populo exponere vitia, quae fugere, et virtutes, quas sequi oporteat, quin concionatorum more studio elaboratam et arte perfectam orationem declamando recitent.

309. Haud erit abs re monitum referre D. Francisci Xaverii, quod, auctore Tursellino apud Barbosam *(de off. et pot. parochi, Part. I. cap. 14. num. 4.)*, sanctissimus ille vir concionatoribus praebet: « Non se ipsum, sed Christum Crucifixum concionator
» praedicet. Concionatoris praecipuum munus est auditori deli-
» ctorum suorum quam maximum incutere dolorem, et certissi-
» mis sempiternisque inferorum suppliciis ante oculos propositis
» cum a flagitiis deterrere, satanae quoque artes atque insidias
» aperire, ac demum pro concione serere, quae vulgi quoque im-
» periti intelligentia potius, quam admiratio excipiat. »

310. Neque vero ex eo, quod Episcopi in decreto Tridentino formaliter praedicare teneantur, idcirco inferendum est, etiam a parochis formalem concionem haberi oportere, quippe qui eadem decreti censura comprehendantur. Namque, ut animadvertit doctissimus Fagnanus ad *Cap.* Inter cetera *de off. ord. n. 33.*, Tridentini Patres, cum de Episcopis loquuntur, praedicationis vocabulum usurpant: aliter vero sese exprimunt, quando de parochis verba faciunt. Deinde Episcopi apud homines excultos in ecclesia totius dioecesis principe, nempe cathedrali concionantur, ac propterea eorumdem ratio diversa est ab ea, quam sequi debent pa-

rochi tam propter loca, quam propter personas. Ad parochum enim audiendum rudiores homines in ecclesiis saepe ruralibus accedunt: et sermo gravis, qui maiestatem episcopalem decet, familiaritati parochiali minime consentaneus est. Hanc quaestionem solide pertractatam habes penes memoratum Fagnanum *loc. cit.*

311. Parochi, generatim loquendo, aliique animarum curam habentes parochialia munera in omnibus, quae possunt, per se exercere tenentur, modo legitime non impediantur, quin prosit, quod coadiutores sua vice fungantur. Nam Sac. Congreg. Conc. *Casalen.* 27. Iul. 1626. *(lib. 13. decret. pag. 88.)* et in *Casertana* 16. Sept. 1645. censuit: « Si cura animarum iniuncta praepo-
» siturae sit ampla, ut supponitur, posse praepositum coadiuto-
» rem retinere, ita tamen, ut ea omnia per seipsum impleat circa
» hanc curam animarum, ut Sacramentorum administrationem,
» quae implere potest iuxta praescriptum *cap. 3. Sess. 7. de Re-*
» *form.*, ut in *lib. 17. decret. pag. 514.* »

312. Sed et speciatim etiam iidem parochi adstringuntur singulis diebus Dominicis aliisque diebus festis, nisi fuerint legitime impediti, post lectum Evangelium ad populum sermonem habere ea ratione, quam modo explicavimus, (1) ut communiter tenent doctores, et firmavit S. C. Conc. pluribus vicibus, ex. gr. in *Nullius* 30. Iul. 1591. *(lib. 7. decret. pag. 1.), Montisfal.* 8. Maii 1706. *(lib. 36. decret. p. 148.),* ac praesertim in *Nullius Orbetelli* 28. Aprilis 1736., in qua, contendentibus quatuor canonicis coadiutoribus, se non teneri ex Bulla erectionis ad Evangelii explicationem, etsi decreta sacrae visitationis contrarium statuissent, S. C. C. quod ipsi petebant, facile admisit. Namque proposito dubio: « An prior
» archipresbyter collegiatae ecclesiae S. Mariae Orbetelli teneatur
» praedicare et explicare catechismum per se ipsum omnibus die-
» bus festivis, seu potius teneantur quatuor canonici coadiutores
» hebdomadis, quibus ipsi curam animarum exercent in casu? »
S. C. respondit: « Affirmative quoad primam partem, negative
» quoad secundam. » Porro invectum fuerat, quod archipresbyter per duas hebdomadas, canonici per unam in singulos curam exercerent, ita ut ex sex hebdomadis duae archipresbytero, quatuor canonicis obtingerent. Super obligatione, quae parochis non im-

---

(1) Recolenda hic est *Amerina VV. SS. LL.* in folio ad diem 10. Feb. 1781., ubi articulus discutitur, et congruae resolutiones referuntur.

peditis inest, exercendi curam animarum per seipsos, licet adiutorem adiunctum habeant, si quis controversiam late pertractatam agnoscere cupiat, adeat van Espen. *Ius eccl. un. P. I. cap. 4. et cap. seq.*

313. Curatoribus animarum, ut ab onere praedicandi verbi Dei sese eximant, non consuetudo etiam immemorabilis, neque mos advocandi per annum divini verbi praecones, neque exiguus ovium numerus potest suffragari. Docet enim ex Bened. XIV. *Inst. eccl. 10. n. 3.*, S. C. C. in *Lunen. Sarz. Praedicat.* §. *Nec.*, quod parochi « ab huiusmodi oneris implemento se eximere et excusare non » possunt, vel quod satis superque provisum sit per publicos an- » nuales concionatores, vel tandem, quod exiguus sit suarum ple- » bium numerus. » Ista enim consuetudo corruptela est, ac proinde reiicienda, *(Cap. ult. de Cens.*, Fagn. *ad Cap. Cum contingat de for. comp. n. 11.)*, imo eam reprobavit nedum Trid. Synodus *Sess. 5. cap. 2. de Reform.* verbis illis « *neque huius decreti exsecutionem consuetudo... impedire valeant* », sed etiam Innoc. XIII. Is enim in Constit. *Apostolici ministerii* diei 13. Maii 1723. super restauranda ecclesiastica disciplina in Hispaniarum regnis, quam Bened. XIII. confirmavit Constit. *In supremo* 13. Sept. 1724. et uti exemplar aliis Episcopis sequendam proposuit, parochos redarguit, qui diebus saltem Dominicis et festis solemnioribus plebes sibi commissas salutaribus verbis pascere praetermittunt « culpam » huiusmodi (ita Pontifex §. 9.) a se amoliri nitentes vel prae- » textu immemorabilis, sed quidem pravae consuetudinis, vel quia » haec ab ipsis praestari necesse non videatur, suppetente nimi- » rum copia aliorum habentium sacras conciones in aliis ecclesiis, » itemque imbuentium pueros mysteriis fidei vel in scholis, vel » in compitis. Ne itaque sub inani istarum, aliarumque similium » excusationum praetextu tanta christianae reipublicae pernicies » struatur, districte praecipimus singulis Hispaniarum Archiepi- » scopis et Episcopis, ut omnino efficiant, quod omnes ii, qui » animarum curam gerunt, munia praedicta per se ipsos, vel si » legitime impediti fuerint, per alios idoneos diligenter exse- » quantur. »

314. Perperam insuper a parochis obiiceretur, hoc munus, praesertim in cathedralibus Episcopis incumbere, adeoque hac ex causa eosdem parochos immunitate praedicandi gaudere. Nam isthaec controversia ad trutinam revocata est a S. C. Conc. in

Pientina Praedicat. 14. Sept. 1748., in qua praepositus Pientinae cathedralis ecclesiae parochus, ut se ab Evangelii explicatione liberaret, urgebat « sacrorum canonum apertissimam dispositio-» nem, qua cautum est, ut Episcopus per se ipsum munus hoc » implere teneatur; ideoque non posse parochos cathedralium » poena suspensionis a divinis compelli, ut id agant festis die-» bus, quibus Episcopus in cathedrali praesens esse debet. » Itaque ad rem concinnatum est, quod sequitur, dubium: « An » parochus in ecclesia cathedrali Pientina teneatur diebus festis » in actu celebrationis Missae parochialis ad Evangelii explica-» tionem in casu? » Et Emi Patres rescripserunt: « Affirmative ». Idem confirmatum fuit *Lunen. Sarzanen. Praedicat.* die 18. Septembr. 1828., in qua contra Episcopi decretum canonici, quibus inerat habitualis animarum cura, acriter contendebant, duos vicarios ad nutum eorum amovibiles non teneri diebus Dominicis aliisque festis ad populum super Evangelio explicando verba facere ea de causa, quod in cathedralibus huiusmodi munus Episcopis inhaereret, et ceteroquin in cathedrali Sarzanensi neque canonici, neque vicarii ullo unquam tempore id oneris implevissent. Itaque causa sub hac dubii formula disceptata est: « An, » et ad quem spectet explicatio Evangelii diebus festis in ecclesia » cathedrali in casu? » S. C. rescripsit: « Affirmative ad vicarios ».

315. Quamquam alicubi in more fortasse positum sit, ut tempore Adventus et Quadragesimae in sola matrice aut alia quavis ecclesia praedicatio verbi divini administretur, non ideo tamen parocho interdici posset, ut mane ipse etiam verbum divinum praedicare suscipiat. Ita siquidem in *Florentina* 16. Ian. 1697. a S. C. Conc. declaratum fuisse, testatur Monacellus *Form. leg. P. I. tit. 10. form. 18. n. 4.*

316. Disquiri tamen e contra posset, an parochi ad concionandum in Adventu et Quadragesima adigi possint, quando contraria adsit consuetudo. Qua super re a parochis Pisanae dioecesis S. C. C. quaestio resolvenda proposita non ita pridem fuit: « Utrum parochi, in quorum ecclesiis tempore Adventus et Qua-» dragesimae habentur sacrae conciones per praecones ab Ordi-» nario approbatos, soluti sint obligatione in Missae parochialis » celebratione explicandi Evangelium? » At vero controversia alio sub aspectu in folio de more exarato Emis Patribus obiiciebatur, an videlicet iidem sacri praecones praedicare intelligerentur pro

Episcopis, vel pro parochis, ita ut iisdem parochis per substitutos praedicandi munus, quod iis inhaeret, obire liceret. Multa proinde ex utraque parte proferebantur, et pro parochis illud singulatim adducebatur, quod in ecclesiis patriarchalibus S. Ioannis in Laterano ac S. Petri in Vaticano tempore Adventus et Quadragesimae, quo a concionatoribus praedicari solet, parochialis Evangelii praedicatio conticesceret. S. C. Conc. die 29. Mart. 1817. ad superius dubium rescripsit: « *Dilata et pro nunc servetur con-* » *suetudo cuiuslibet parochiae.* » Sed vero cum Pisanus Archiepiscopus posthac exposuisset, se, uti populo praesertim rudis ignorantiae consuleret, parochos ad familiares conciones inter Missarum solemnia omnibus diebus festis obligavisse, S. C. dubio iterum proposito respondit die 30. Aug. eiusdem anni: « *In casu, de quo agitur, servandum esse decretum Archiepiscopi.* »

317. De tempore, quo parochi explicationem peragere debeant, Card. Bona *Rer. Lit. lib. 2. cap. 7. n. 7.* sic refert: « Hic mos nun- » quam interrupta serie ab initio Ecclesiae usque ad nostra tem- » pora servatus est, ut proxime post Evangelium sermo, sive ho- » milia, sive tractatus ad populum haberetur.» Itaque sacer Ordo in *Hortana* 8. Augusti 1744. ad dubium: « An canonicus paro- » chus singulis diebus festis teneatur sermonem habere ad po- » pulum post lectum in Missa Evangelium, vel potius servanda » sit consuetudo explicandi Evangelium post doctrinam christia- » nam haberi solitam a parocho in ecclesia cathedrali in casu? » respondit: « Affirmative ad primam partem, negative ad secun- » dam. » Et causa ad trutinam iterum vocata die 29. Aug. eiusdem anni stetit *in decisis*. Idipsum S. Congr. Conc. expressis verbis retinuit in cit. *Lunen. Sarzanen. Praedicat. ad 3. dub.*

318. Etiamsi in causa *Bituntina* s. m. Urban. VIII. (teste Barbosa *de off. et pot. par. P. I. cap. 14. num. 3.*) facta sibi relatione per S. Congr. Conc. sub die 2. Maii 1629. mandaverit, ut, cum Episcopus praedicat, silere debeant alii concionatores, illisque possit inhibere, ut eo tempore a praedicatione se abstineant, nihilominus id minime ad parochos extendendum est: iis enim non est prohibitum per se ipsos inter Missarum solemnia sermonem habere, etiam quando Episcopus ipse praedicat, veluti censuit S. Congr. Conc. in causa *Terulen.* 11. Iun. 1631. apud eumdem Barbosam *loc. cit.*, ubi subdit, id non intelligi respectu presbyterorum in ecclesia parochiali.

319. Parocho per seipsum concionanti minime licet praetextu cuiuscumque paupertatis praetendere, ut sibi praestetur eleemosyna, quae dari solet praedicatoribus alias ab universitate municipali electis, ut censuit S. C. Conc. in *Vestana* 20. Mart. 1611. apud Barbos. *loc. cit. n. 7.* (Cfr. Ferrar. verbo *Parochus Art. II. num. 77.*).

320. Parochi prohibentur admittere in suis ecclesiis concionatores ab Ordinario suo non approbatos, etiamsi praedicare vellet aliquis Episcopus. Et ita iam hodie (sic Ferrar. *loc. cit. num. 78.*) nullus etiam a parocho invitatus praedicare potest sine licentia Episcopi, prout declarasse Clementem VIII. referunt Zipaeus, Berti ac Barbosa *loc. cit. n. 8.* apud eumdem Ferrarium.

321. Id autem ita intelligendum est, ut parocho nihilominus copiam facere liceat alicui viro, qui sibi notus est et doctrina pollet, ut bis vel ter praedicare possit, etsi Episcopi approbatio desit. (Ferrar. *loc. cit. n. 79.* cum doctoribus ab eodem allegatis). Quando vero concionator aliquis ab Episcopo facultatem obtinuerit, non possunt parochi veniam praedicandi negare, ut a Sacra Congr. Conc. declaratum fuisse testatur Ferraris *loc. cit. n. 80.*

322. Ex relatis Trid. Conc. verbis *Sess. 5. cap. 2. de Reform.* cautum est, ut parochi, « ubi ab Episcopo moniti trium mensium » spatio muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas, seu » alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur. » Ex huiusmodi sanctione Novariensis Episcopus legem synodalem se ferre posse putavit, qua parochi Trident. Conc. decreto contravenientes pecuniaria poena mulctarentur. At vero S. Congr. Conc. die 15. Iunii 1658., etsi de potestate Episcopi non dubitaverit circa decreti illius emanationem, id tamen non decuisse respondit circa poenae pecuniariae irrogationem, teste Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. 10. cap. 9. n. 8.*

323. Cum inter Missarum solemnia ante vel post parochi concionem nomina eorum, qui Matrimonium vel sacros Ordines suscipere cupiunt, necnon vigilias et festos dies per hebdomadam occurrentes denuntiari oporteat, hinc occasionem arripimus, ut aliquas de tempore huiusmodi denuntiationes promulgandi declarationes in medium proferamus. In primis nemo nescit, in Syn. Trident. *Sess. 24. cap. 1. de reform. matr.* praescribi, ut ante nuptias tribus continuis diebus festivis inter Missarum solemnia a parochis publice sponsorum nomina denuntientur. Scitissimum

insuper est, in eadem Synodo *cap. 5. Sess. 23. de Reform.* sanciri, ut nomina ordinandorum publice in ecclesia proponantur ad eum finem, ut de eorumdem natalibus, moribus, aliisque qualitatibus rite constet, idque praestari a parocho solet inter Missarum solemnia. Quo vero fideles vigilias ac festos dies in hebdomada occurrentes memoria recolant ac maiore pietate celebrent, consultissime invectum est, ut etiam de his denuntiatio a parocho in Missae celebratione peragatur.

324. Non licet matrimonia denuntiare extra Missarum solemnia, tametsi festivis diebus id efficiatur. Nam apud S. Congr. Conc. in *Avenionen.* diei 25. Oct. 1586. quaesitum est: « An » Ordinarius possit ex causa dispensare, ut, dum cantantur Ve- » sperae, possint fieri denuntiationes diebus tamen festivis? » et responsum fuit: « Ita dispensare posse ex causa. » *(lib. 4. decret. pag. 189.)*. Iamvero si liceret extra Missarum solemnia denuntiationes peragere, nulla Episcopi dispensatione opus certe fuisset.

325. Disputatum est aliquando, an matrimonia denuntiari possent iis diebus, qui ex Romanorum Pontificum indulgentia a festorum albo dispuncti fuerint. Quapropter in *Brunen.* 17. Iun. 1780., cum ex indulto s. m. Clement. XIV. fideles ab obligatione audiendi sacrificii Missae et abstinendi ab operibus servilibus certis diebus festis soluti fuissent, Episcopus Brunensis in Moravia sciscitatus est S. Congr. Conc.: « An, ubi, quando, et quibus diebus sint » publicandae denuntiationes matrimoniorum in casu, de quo » agitur? » S. Congr. rescripsit: « Scribatur Episcopo iuxta men- » tem. » Mens vero expressa fuit in literis eidem datis, quae leguntur in *lib. 130. decret.*, et per extensum referuntur in *Tudertina* 19. Apr. 1823. §. *Contrarium.* « Cavendum abs te ma- » xime, atque enixe providendum, ut sarta tecta saluberrima S.C. » sanctio de denuntiandis populo matrimoniis in tribus festivis » diebus omnino servetur. Quod enim a tanti Concilii Patribus » praescriptis atque conceptis verbis statutum est, id plene est » religioseque retinendum. Sed quoniam eo loco relinquunt Pa- » tres Episcoporum iudicio ac prudentiae, ut, si quandoquidem » expedire iudicaverint, una aut plures huiusmodi matrimonio- » rum publicae denuntiationes remittantur; hinc rebus omnibus, » quae ab amplitudine tua expositae sunt, in S. Congr. Conc. » mature perpensis, annuente etiam SSmo D. N. Pio Papa VI., » decretum est, tuo pariter iudicio ac prudentiae permitti posse,

» ut, si quandoque gravis causa intercesserit, matrimonium quod-
» piam citius iniri debere, priusquam exspectari possint tres dies
» festivi, ut populo denuntietur, indulgeas in singulis casibus
» parochis tuae dioecesis, ut peragant denuntiationes iis etiam
» diebus, in quibus iuxta relatum Clem. XIV. indultum sublata
» festivitas est, remissumque praeceptum audiendi Missam, re-
» tenta tamen in ecclesiis officii et Missae celebratione. Utere
» igitur hac tibi concessa facultate, arctis tamen prudentiae di-
» scretique arbitrii legibus, atque ea praesertim sub conditione,
» quae eiusdem facultatis tibi elargiendae potissimum causa est,
» quod nempe in illis diebus, qui festi non sunt, frequens adhuc
» perseveret populi ad ecclesiam concursus, ut, quantum fieri
» potest, saluberrimae legis a Conc. Trid. praescriptae finis ac
» scopus habeatur, qui non alius certe fuit, nisi ut in populi
» frequentia ineunda matrimonia detegerentur. »

326. In *Tudertina Denunt. matrim.* 19. Apr. 1823. concinnato dubio: « An in diebus festis abrogatis fieri possint matri-
» moniorum denuntiationes in casu? » responsum prodiit: « Ne-
» gative, nisi de licentia Episcopi cum conditionibus ad formam
» *Brunen.* 5. Iulii anni 1780., facto verbo cum SSmo. »

327. Tandem in *Lunen. Sarzanen.* citata diei 20. Sept. 1828. ad dubium: « An, et quo tempore fieri debeant denuntiationes
» et explicatio Evangelii in casu? » responsum est: « Affirmative,
» et quoad explicationem Evangelii in Missa parochiali, et quoad
» denuntiationes in eadem Missa, sive alia hora magis a populo
» frequentata. »

328. In cathedralibus et collegiatis ecclesiis, in quibus inest etiam cura animarum, diebus festis Missa parochialis legitur, et Missa conventualis solemniter canitur. Itaque non semel disputatio orta est, an parocho liceret denuntiationes peragere in Missa conventuali, atque etiam Evangelii explicationem obire, praesertim vero id accidit in *Novarien.* 8. Iul. 1724., in qua duo dubia in medium prolata sunt apud comitia S. C. Conc.: « I. An denuntia-
» tiones matrimoniorum et ordinandorum aliaeque similes fun-
» ctiones parochiales faciendae sint in celebratione Missae paro-
» chialis, quae celebratur in parochiali et collegiata Burgi Manerii,
» seu potius liceat praeposito et parocho eiusdem collegiatae illius
» facere in celebratione Missae conventualis, contradicente Capi-
» tulo in casu? II. An liceat eidem praeposito et parocho habere

» conciones ad populum diebus Dominicis et festivis inter cele-
» brationem dictae Missae conventualis, absque consensu Capituli
» in casu? » responsio data est: « Ad primum, arbitrio parochi.
» Ad secundum, affirmative, dummodo fiant e suggestu, et non
» excedant medietatem horae. »

329. De matrimonii denuntiationibus fuse agit, remque omnem evolvit Ferraris verbo *Denuntiationes*.

« X. An saltem Dominicis et aliis festis diebus in suis paro-
» chiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes
» pueros ceterosque hoc adiutorio indigentes doceant, et an, et
» qui eis operam praestent in hoc opere adimplendo, et an fru-
» ctuose hoc opus adeo necessarium in singulis parochiis pro-
» ficiat. »

Summarium. 330. Doctrinae christianae pueris rudioribusque tradendae obligationem parochis iniunxit Tridentina Synodus; ac Summi Pontifices, praesertim Bened. XIV. et s. m. Pius PP. IX. enixius inculcare non destiterunt. – 331. S. C. Conc. in suis ad Episcopos responsionibus idipsum impense urget, ac nominatim Constit. Bened. XIV. *Etsi minime* servari mandat. Insuper utramque Bellarmini doctrinam a parochis adoptari ac pro ampliore instructione Catechismum Romanum prae oculis haberi commendat. – 332. 333. Qua methodo doctrina docenda sit, ac praeterea quae incommoda ex catechismorum multiplicitate proficiscantur, ostenditur auctoritate Clement. XIII. in Constit. *In Dominico agro.* – 334. Pueri puellaeve unius parochiae ne ad parochiam alteram pro doctrina christiana discenda promiscue accedant. – 335. Ludimagistros, sive clericos sive laicos, sive publice conductos sive non, prius hortando, postea praecipiendo ad christianam doctrinam tradendam cogere Episcopum posse decrevit S. C. Conc. in *Salonae Novae.* – 336. Regulares etiam invito parocho doctrinam christianam possunt edocere, dummodo id non fiat eadem hora, qua fit in parochia. Circa modum doctrinae christianae a Regularibus edocendae, relictum id est prudenti Episcopi arbitrio. – 337. Quod etiam habet locum cum a sacerdotibus saecularibus ex privatorum dispositione doctrina christiana explicanda sit. – 338. Regulares nequeunt sibi vindicare ius explicandae doctrinae christianae in ecclesiis parochialibus vel titularibus, invito parocho vel titulari, tametsi adesset diuturna consuetudo. – 339. Nullo tempore, nulloque praetextu sive consuetudinis, sive occupationum parochi a doctrina christiana explananda excusantur. – 340. Indulgentiae a Summis Pontificibus elargitae iis, qui adscripti sunt societati Doctrinae Christianae.

330. Ut Dominicus ager certas uberesque iustitiae fruges eliciat, mature in puerorum animis christianae doctrinae semen inserendum est. Hinc S. C. Conc. in suis ad Episcopos responsionibus etiam atque etiam ipsis inculcat, ut ad hoc munus absolvendum parochos diligenter excitent et assidue in eosdem invigilent. Porro Conc. Trid. *Sess. 24. cap. 4. de Reform.* gravissime praecepit, ut « saltem Dominicis et aliis festivis diebus pueros » in singulis parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum » et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri » curent Episcopi etiam per censuras ecclesiasticas. Subinde Summi Pontifices, nominatim S. Pius V., Gregor. XIII., Clem. VIII. nunquam destiterunt suam curam ad institutionem doctrinae christianae promovendam convertere. Potissimum vero pastoralem suum zelum hac in re exseruit Bened. XIV., ut patet ex Constit. *Etsi minime* ab eodem edita die 7. Febr. 1742.

Idem Bened. XIV. iterum in Constit. *Cum religiosi* diei 7. Iun. 1754. Episcoporum diligentiam excitavit, ut quae in Constit. *Etsi minime* statuuntur, et ipsi perficerent, et a ceteris perficienda curarent. Consulenda etiam est eiusdem Pontificis *Inst. eccl. num. 9.*, ubi fusius ea omnia, ut plurimum, referuntur, quae in hisce Constitutionibus Pontificiae auctoritatis calculo deinceps confirmata fuerunt. Etiam s. m. Pius PP. IX. cum pluribus locis, tum praesertim in Literis encycl. diei 8. Mart. 1849. incip. *Nostis quidem*, (§. *Ea vero, et* §. *Eo autem*), quam dabimus in volumine III. sub num. 35., doctrinae christianae opus vehementissime inculcavit.

331. Quocirca S. C. solemne habet, Episcopos hortari etiam atque etiam, ut adamussim ea perficiant, quae saluberrime praescribunt illi Summi Pontifices, et nominatim Bened. XIV. in memorata Constit. *Etsi minime*. Ibi enim providentissimus ille Pontifex multa agit de officio, quod circa hanc rem inest Episcopis, deque eorumdem obligatione invigilandi, ut parochi in doctrinae pane pueris frangendo gnavos et industrios sese exhibeant; itemque ut alii sacerdotes, sodalitates, piaque instituta doctrinae tradendae addicta coadiutricem operam, omni adhibito studio, navare pergant. In exitu eiusdem Constitutionis conceptis verbis libellus hac de re a Ven. Bellarmino conscriptus et a s. m. Clem. VIII. comprobatus adhibendus proponitur. Insuper opportunissimae leges normaeque traduntur, quas illos Episcopos sequi oportet,

qui novos doctrinae christianae libellos ad suarum dioeceseon usum in vulgus edere constituunt. Itaque S. C. Conc. huic monito insistens usum eiusdem libelli prae primis proponere non praetermittit. Quae omnia inspici queunt in dicta Benedictina Constitutione, quam integram exhibebimus in volumine III. sub n. 36. Insuper eadem S. C. Episcopis hoc iniungit, ut pro ampliore Christifidelium instructione parochi prae oculis habeant Catechismum Romanum, qui ex decreto Tridentinae Synodi et iussu S. Pii V. ad parochorum praesertim usum editus fuit, et rursus deinde in encycl. diei 14. Iun. 1761. (quae prostat in novis eiusdem Catechismi editionibus) summopere commendatur tamquam subsidium opportunissimum ad veram sanamque doctrinam propagandam ac stabiliendam.

332. Ex Clem. XIII. Constitutione incip. *In Dominico agro* duo excerpimus loca, quorum ex uno colligitur, qua methodo doctrina christiana tradenda sit, ex altero vero cognoscitur, quae incommoda ex multiplicitate catechismorum proficiscantur. Itaque primo §. *Ab his* inquit: « Nec per invia ducendae sunt oves ad » pascua, nec singularia quaedam etiam catholicorum doctorum » placita iis sunt proponenda, sed illa certissima catholicae ve- » ritatis nota tradenda est, doctrinae universitas, antiquitas et » consensio. Praeterea cum non possit vulgus in montem ascen- » dere *(Exod. 19. 11.)* in quem gloria Domini descendit, et tran- » scendens terminos ad videndum peribit, termini figendi sunt » populo ab eius doctoribus per circuitum, ut ultra ea, quae » sunt ad salutem necessaria, aut summopere utilia, sermo non » divagetur, et fideles Apostolico dicto pareant *(Rom. 12. 3.)* » non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrie- » tatem. »

333. Paulo post, ubi lamentatur, ex amore novitatis Catechismum Romanum e pastorum manibus excussum, aliosque diversos subrogatos ita pergit: « unde duo mala exstiterunt: alte- » rum, quod illa fuerit in eadem docendi ratione prope sublata » consensio, oblatumque pusillis quoddam scandali genus, quibus » sibi ipsi iam non amplius esse videantur in terra labii unius, » et sermonum eorumdem; alterum quod ex diversis variisque » tradendae veritatis catholicae rationibus ortae sunt contentio- » nes, et ex aemulatione, dum alius se Apollo, alius Cephae, » alius Pauli se dictitat sectatorem, disiunctiones animorum, et

» magna dissidia: quarum dissensionum acerbitatem nihil ad Dei » gloriam minuendam exitialius putamus, nihil ad exstinguendos » fructus, quos ex christiana disciplina aequum est fideles per- » cipere, calamitosius. » Quibus de rebus Catechismum Romanum pastoribus porrigendum se existimasse denuntiat.

334. Post haec aliquas ex incepto nostro more declarationes S. C. C. editas referemus, quae ad hoc argumentum pertinent. In primis tolerari nequit ea minus recta consuetudo, ut sive feminae, sive mares in una parochia degentes alias parochiales ecclesias dispalati adeant ibidem imbuendi ab alieno parocho in fidei rudimentis. Cum enim hanc consuetudinem in dioecesi Bononiensi offendisset Lambertinius, deque ea S. Congregationem Concilii percontatus esset, sacer Ordo rescripsit, auctorante Summo Pontifice, ut, quoniam omnis pastor agnoscere debeat oves suas, et vicissim oves pastorem suum, « unusquisque parochus » elementis christianae legis informet pueros propriae parochiae, » dispositis seorsum masculis ac feminis, quemadmodum in hac » Urbe, atque etiam alibi servari laudabiliter constat. » Adeatur ipse Bened. XIV. *Inst. eccl. 9. n. 10.*

335. Archiepiscopus Salonae Novae die 17. Iul. 1668. S. C. Conc. haec dubia examinanda proposuit: « 1. An (Archiepiscopus) » clericos tam minorum quam maiorum Ordinum ad officium lu- » dimagistrorum exercendum a communitatibus conductos cogere » possit, ut pueros rudesque scholares doctrinam christianam » edoceant? 2. An idem cogere possit ludimagistros laicos itidem » a communitatibus conductos? 3. An idem cogere possit ludima- » gistros sive clericos sive laicos a nemine conductos? 4. Qua » poena ludimagistros cogere possit? » Quibus dubiis S. C. uno responso satisfecit: « Posse prius hortando, postea praecipiendo. » Vide Bened. XIV. *Inst. eccl. 9. n. 13. et 14.*

336. S. C. C. definivit (apud Nicol. *Flosc.* verb. *Regul. num. 7.*), prohibitum non esse Regularibus doctrinam christianam edocere. Eam tamen, dissentiente parocho, tradere nequeunt eadem hora, qua traditur in parochia. In *Florentina* diei 30. Mart. 1726. dubium discussum est: « An (presbyteri Missionis) possint ibidem » Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae administrare et doctri- » nam facere, contradicente parocho in casu? » S. C. respondit: « Affirmative, dummodo doctrina christiana non fiat in hora, in » qua fit in parochia. »

Quin etiam circa modum hisce in casibus doctrinae christianae edocendae iudicium relinquitur prudenti arbitrio Episcopi. Cum enim quidam Bertonus sacerdotibus ss. Missionis sua bona legasset, onere adiecto imbuendi pueros puellasque doctrina christiana diebus festis hora, quae opportunior ipsis visa fuisset, et cum, posteaquam per plures annos id munus expleverant, decreto Archiepiscopi Ferrariensis per parochum localem excitato, rudimenta fidei edocere fuissent prohibiti die 11. Augusti 1742. *in Ferrar. Doctr. Christ.*, dubium disceptatum fuit: « An sacerdotibus Mis» sionis liceat tradere populo doctrinam christianam diebus Do» minicis in ecclesia rurali Fratolinae ad formam piae disposi» tionis sacerdotis Bertoni, seu potius sit exsequendum decretum » Emi in casu? » S. C. rescripsit: « Affirmative ad primam par» tem, et quoad modum, arbitrio Archiepiscopi. »

337. Quod vero statutum fuit de Regularibus ex pia testatorum voluntate obstrictis onere doctrinae christianae, idipsum valet, si agatur de sacerdotibus saecularibus, veluti a S. Cong. Conc. resolutum fuit in *Tudertina* 30. Mart. 1675. *(lib. 29. decret. pag. 42.)* relata in fol. *Ferrarien. Doctr. Christ.* 21. Iul. 1742. §. *Sacra.* Rescriptum enim prodiit: « Servandam esse » mentem testatoris, et quoad modum, arbitrio Episcopi. »

338. Regulares autem nequeunt sibi arrogare ius explicandi doctrinam christianam in ecclesiis parochialibus vel titularibus, invito parocho vel titulari, etiamsi sese diuturnae consuetudinis clypeo tutarentur, veluti firmatum est in *Mechlinien.* 8. Mart. 1681., quam ex tabulario Archiepiscopi depromptam affert van Espen *Ius eccl. un. p. I. tit. 3., de Past. cap. 8. Addit. ad n. 5. et 8.*, et exstat *in lib. 31. decret. pag. 357. S. Congreg. Conc.* Ea vero apud van Espen ita concepta est: « Exorta controversia » inter parochos et Patres Societatis Iesu super iure docendi chri» stianam doctrinam in ecclesiis parochialibus, allegantibus his » consuetudinem nonagenariam, illis vero competentiam ex pro» prio munere, supplicatur S. Congregationi pro declaratione. » Die 8. Mart. 1681. S. C. censuit, nullum ius competere Pa» tribus Soc. Iesu docendi doctrinam christianam in ecclesiis, » invito parocho, nec in aliis, invito titulari. Et facta de prae» missis relatione SSmo, Sanctitas Sua sententiam S. Congrega» tionis approbavit, addens praeterea, non modo ad parochos » hoc spectare, verum teneri per se ipsos docere, atque ad eorum

» partes explendas ab Archiepiscopo iuris remediis cogendos esse. » Si vero aliorum ope uti debeant, potius quam alios, adhibeant » Patres Soc. Iesu. »

339. Nullo tempore parocho vacare licet a doctrinae christianae explanatione quocumque praetextu sive consuetudinis, sive occupationum, quae populum ab ecclesia distineant. Namque in *Hortana* 8. ac 19. Aug. 1744. posito 5. dubio: « An ser- » vanda sit consuetudo intermittendi doctrinam christianam mense » Octobris et mense Decembris usque ad 13. Ianuar., aliisque » diebus impeditis in casu? » S. C. rescripsit: « Negative. » Porro parochus, praeter consuetudinem, causas etiam allegabat aucupii, vindemiarum, rusticationum et brevitatis dierum, propter quas fideles ad audiendam doctrinam non accedebant, et ipse singulis uno tempore obeundis parochialibus muneribus impar evadebat.

340. Ubique fere pia sodalitas instituta reperitur, quae nomen habet a doctrina christiana, cuius munus est eiusdem christianae doctrinae institutionem et propagationem curare ac fovere. Ut igitur christianam doctrinam edocentes et addiscentes magis magisque in hoc opere excolendo alliciantur, utilissimum certe fuerit, si Episcopi iisdem proponere non omittant sacrarum indulgentiarum praemia a Summis Pontificibus hanc in causam impertita. Recordari iuvat Clem. XII., qui die 16. Maii 1736. elargitus est septem annos cum totidem quadragenis indulgentiarum, ac praeterea tres plenarias indulgentias quolibet anno pro iis, qui Confessionis Sacramento expiati et sacra Synaxi refecti fuerint diebus SSm̃i Natalis D. N., die Paschatis Resurrectionis, et festis diebus SS. Apost. Petri et Pauli.

Super hoc argumento consulatur Ferraris verbo *Doctrina Christiana* et Bened. XIV. *Inst. eccl. 9.*

« XI. An singuli parochi ceterique curam animarum exer- » centes singulis Dominicis festisque de praecepto Missam appli- » cent pro populo eorum curae commisso. »

Summarium. 341. In examinandis Episcoporum relationibus semper, et nunc praesertim S. C. Conc. de Missae pro populo obligatione adimplenda curam habet. – 342. Praesentis disciplinae ratio expendenda sumitur, et in plura capita haec materia dispescitur.

341. Inter praecipuas curas a S. Cong. Conc. impendi solitas in examinandis Episcoporum relationibus, haec non ultimum

habet locum, ut invigilet, an ab iis, qui animabus actu curandis operam navant, Missae sacrificium pro populo diligenter offeratur; quod etiam suo de tempore testabatur Bened. XIV. *Inst. eccl. 10. num. 6.* Cum enim neque qui plantat, neque qui rigat, sit aliquid, sed qui incrementum dat, Deus, necesse imprimis est ad ampliorem iustitiae segetem colligendam, ut Dominici agri cultores coelestium benedictionum rorem a Deo implorent per Sanguinis et Corporis Christi oblationem, quae « *ineffabili prorsus* » *fructuum ubertate redundans praesentem aeque ac futuram vitam* » *complectitur* », ceu sapientissime animadvertit s. m. Pius PP. IX. Literis encycl. *Amantissimi* 3. Maii 1858.

342. Quam vetusta sit huiusmodi disciplina, et quam perpetuo et constanter in Ecclesia servata, ostendunt ii, quibus ecclesiasticarum antiquitatum thesauros effodere et in lucem proferre curae est. Nos pro instituti nostri more illico ad ea pertractanda manus admovemus, quae vigentem hodie disciplinam prae se ferunt, eiusque obligationem per partes expediunt. Ut autem ordine progrediamur, materiam hanc, de qua loquimur, in plura capita dispescimus. Itaque agemus de obligatione offerendi pro populo Missae sacrificium singulis Dominicis aliisque festivis diebus, etiam e festorum indice dispunctis; de iis, quibus incumbit eam applicare; an parochi per seipsos applicare teneantur, et qua hora; denique agemus de facultate binandi.

Art. I. De obligatione offerendi pro populo Missae sacrificium singulis diebus Dominicis, aliisque festis diebus etiam e festorum albo dispunctis.

Summarium. 343. Patrum Tridentinorum Summorumque Pontificum sanctiones, quibus haec obligatio firmatur; accedunt declarationes S. C. Conc., ex quibus eadem celebratio ad omnes omnino dies festos praefigitur. – 344. Quod spectat ad praefixionem diei festi, de Episcopis orientalibus in fine capituli sequentis agetur. – 345. Constit. Bened. XIV. *Cum semper oblatas* etsi primo pro Italia et insulis adiacentibus promulgata ad omnem catholicum orbem hodie extenditur. – 346. Id confirmatur ex Literis encyclicis s. m. Pii PP. IX. incip. *Amantissimi.* – 347. In concedenda festorum reductione, Pontifices nihil in ecclesiis circa divini officii ritum et ordinem immutari voluerunt. Nihilominus late invaluerat, ut Missae pro populo oblatio omitteretur, licet Apostolica Sedes eiusdem adimplementum adsereret. – 348. Ad hanc rem latius exponendam ac solidius confirmandam Pius IX. specialem Congregationem de-

putavit. – 349. Itaque consultatio facta est, in qua hoc argumentum fuse pertractabatur; ac, re proposita, Emi Patres declaraverunt, Missam pro populo diebus etiam reductis offerendam esse, et consulendum SSmo, ut hac de re Literas Apostolicas ederet. – 350. Hinc Sanctitas Sua Literas encyclicas incip. *Amantissimi* edidit, cui omnes ubique fere parochi se conformarunt, aut veniam ab Apostolica Sede imploraverunt.

343. Docent Tridentini Patres *Sess. 23. cap. 1. de Reform.* praecepto divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere et pro iis Sacrificium offerre. Non deerant olim, qui putarent, parochos, saltem eos, qui pingui censu potirentur, singulis diebus ad Missam pro populo litandam obligari; quandoquidem Trident. Synodus dies minime determinavit, quibus parochi hanc legem implere deberent, (Bened. XIV. *Inst. eccl. 10. n. 4.*); at vero S. C. Conc. Tridentinarum sanctionum Interpres pluries declaravit, eosdem indiscriminatim ex proprii muneris officio ad hanc sui ministerii partem exsequendam obligari nonnisi quibuscumque festis diebus (1); ita edixit praesertim in *Pistorien. et Praten.* 24. Februar. 1699., quam suis Apostolicis Literis incipien. *Nuper a Congregatione* diei 24. Aprilis eiusdem anni s. m. Innocent. XII. plene confirmavit. Recentius vero Bened. XIV. ad removenda quaelibet effugia, (2) quibus huius oneris implementum declinare nonnulli adnitebantur, huiusmodi dispositionem innovavit declaravitque celebratissima, quam super hac re vulgavit, Constitutione *Cum semper oblatas* diei 14. Augusti 1744., eamque dabimus volumine III. sub num. 23.

344. Quod pertinet ad praefixionem dierum festorum super applicanda Missa pro populo, monendum est, id non extendi ad Episcopos Orientales, quos teneri quidem ad sacrificium pro ovibus suis perlitandum, minime vero idipsum praestare ex lege debere singulis diebus festis, S. Cong. de Prop. Fid. declaravit, prouti exponetur in exitu subsequentis articuli a *n. 365.*

---

(1) Si festum alicui diei affixum impediatur ab alio festo maioris ritus aut dignitatis, parochus tenetur ad Missae applicationem pro populo *in die, ad quem transferuntur festivitas, officium et Missa;* tenetur autem ad eiusmodi applicationem *in ipso die festo impedito, si officium et Missa* tantum transferuntur, non vero festivitas. (Ex decisione S. C. Conc. 24. Aprilis 1875. in Act. S. Sedis vol. VIII. pag. 605.).

(2) Parochiae tenuitas causa non est, cur parochus ab offerenda Missa eximatur. S. C. C. in *Ferentina* 15. Mart. 1735.

345. Dicta Bened. XIV. Constitutio tametsi ad Italiae insularumque adiacentium Episcopos data sit, nihilominus in qualibet catholici orbis parte vim suam exserere indubium est, tum quia ratio, cur Pontifex ille idipsum iubet, omnibus aeque parochis congruit ex regula: *ubi eadem ratio, ibi eadem iuris dispositio*, tum quia idem Pontifex ibi Apostolicae Sedis, et praesertim S. C. Conc. super hac re doctrinam potius declarat, quam novam legem inducit, ut ipse monet §. 2., tum denique quia eadem S. C. Conc. in huius generis controversiis definiendis huiusce Constitutionis sanctionem perpetuo accommodat omnibus locis sive intra sive extra Italiam sitis, ut in *Oveten.* 26. Februarii 1774., *Namurcen. Miss. Conv.* 6. Aug. 1842., necnon in *Briocen.* 8. Aug. 1846. et *Mechlinien.* diei 23. Sept. 1847. utraque *per Sum. prec.* Animadvertendum etiam est, quod in responsionibus, quas ad Episcoporum relationes S. Cong. Conc. conscribit, quandocumque incidit occasio, omnibus omnino eam Constitutionem promiscue servari et custodiri mandat.

346. Quapropter s. m. Pius PP. IX. suis encyclicis Literis incipien. *Amantissimi* diei 3. Maii 1858., de quibus peculiariter mox loquemur, Benedictinam Constitut. ad observantiam revocavit, ac omnibus omnino catholici orbis Antistitibus adamussim sequendam constituit.

347. De obligatione Missam pro populo offerendi diebus e festorum indice dispunctis, modo eloquimur. Ex quo Apostolica Sedes, Antistitum catholici orbis postulationibus obsecuta, dierum festorum numerum imminuere instituit, illud sibi tantummodo proposuit, ut, populo opera servilia non interrumpendi potestate facta, maiora amplioraque alendae vitae subsidia suppeditaret, occasionemque genio nimis indulgendi removeret. Sed in hac elargienda venia eadem Apostolica Sedes disertis verbis constanter ac perpetuo praecepit, ut in ecclesiis nihil innovaretur circa divinorum officiorum ritum et ordinem, utque omnia ea ratione peragi ubique pergerent, qua antea peragi consuevissent. Quocirca prono illud velut alveo sequebatur, ut Missae pro populo celebratio, quae ad ecclesiastica officia pertinet, ab animarum curatoribus praetermitti nullatenus posset iis omnibus diebus, qui inter festos ex Constit. Urbani VIII. *Universa per orbem* idib. Sept. 1642. circumscripti fuerant. Nihilominus factum est, ut pluribus in locis consuetudo invalesceret, qua iidem sese ab

hac lege liberatos arbitrabantur. Nullam profecto Apostolica Sedes occasionem abire permiserat, qua vel per S. Cong. Conc., vel aliam de Propaganda Fide, ac per S. Poenitentiariam singulis casibus non edoceret, sartum tectumque manere parochis onus salutarem pro suis ovibus hostiam, velut antehac, immolandi.

348. Cum vero paucis abhinc annis apud S. C. Conc. supplicum libellorum numerus in dies excresceret, quibus res haec vel in dubitationem vocabatur, vel consuetudinem inolitam ratihaberi poscebatur, s. m. Pius IX. arrepta occasione cuiusdam causae *Osnabrugen.* in plenariis comitiis sub iudice relictae, specialem Congregationem quinque S. R. E. Cardinalibus constitutam, Emo videlicet Cagiano Praefecto S. C. Conc., necnon Card. de Andrea, Caterini (qui postea in praefectura S. Congregationis subrogatus est) Brunelli ac Santucci, eo consilio deputavit, ut controversias omnes super hac materia subortas matura deliberatione discuteret et sui iudicii calculo definiret.

349. Itaque in hunc finem consultatio conscripta est, cuius elucubrandae cura mihi mandata fuerat, in qua, re a suis primordiis repetita, et ad haec usque tempora deducta, demonstrabatur, eam omni tempore fuisse Sedis Apostolicae mentem, ut, nulla de officiis ecclesiasticis aliisque ad ecclesiam pertinentibus commutatione facta, Christifidelibus copia dumtaxat fieret, ut ab otio procul, servilibus operibus intenti, facilius et commodius necessariis vitae subsidiis comparandis vacarent. Rationum subinde momentis, quae in medium proferebantur, ex utraque parte diligenter expositis, declarationes addebantur, quae a S. C. Conc., vel a S. C. de Propaganda Fide, aut a S. Poenitentiaria super lege Missae offerendae etiam diebus e festorum albo deletis identidem editae fuerant. Post haec deliberationi sub certa dubiorum formula proponebatur, an parochi diebus festivis abrogatis, vel translatis Missam pro populo applicare tenerentur, et num aliqua providentia ineunda esset, et qualis. Itaque Emi illi Patres die 2. Iun. 1855. in unum congregati utrique rei responsum affirmativum praebuerunt, unaque SSmo consulendum esse putarunt, ut Literas Ordinariis iuxta mentem ab ipsis declaratam dare dignaretur.

350. Huiusmodi declarationem, referente R. P. D. Quaglia, Secretario S. Congregationis, in audientia diei 25. eiusdem mensis Sanctitas Sua benigne approbavit confirmavitque. Quocirca

eiusdem specialis Congregationis menti adamussim annuens, idem Summus Pontifex sub die 3. Maii 1858. ad omnes Antistites encyclicas Literas dedit incipien. *Amantissimi Redemptoris*, quas ex integro in volumine III. sub num. 37. lectori perlegendas exhibebimus. Simul ac ab Episcopis hae Literae acceptae sunt, generatim, ut constat ex relationibus post eas ad S. C. remissis, animarum curatores sese SSmi D. N. praescriptioni conformarunt. Quod si aliquibus in casibus iustae ac rationabiles causae ad sensum earum Literarum impedimento erant, ne iidem huic praecepto satisfacere possent, re S. C. C. diligenter exposita, accedente commendatione ipsorum Antistitum, ac specialiter ad Sanctitatem Suam relatione facta, peculiarem veniam ad certum tempus duraturam assecuti sunt, ac etiam nunc assequi solent. Cfr. *Spiren.* 18. Febr. 1865.

Art. II. De iis, quibus inest obligatio Missae pro populo applicandae.

Summarium. 351. Primo loco ad Missam pro populo sibi subdito tenentur Episcopi, postquam episcopatus possessionem adepti fuerint. Quae Missa non deonerat canonicos a Missa conventuali. – 352. Vicarii Generales, Coadiutores alicuius Vicarii Apostolici, et ipse Vicarius Apostolicus ad Missam pro populo non tenentur. Sed vide ea, quae proferuntur in fine huius articuli. – 353. In S. C. Conc. proposita olim quaestio fuit, an tenerentur etiam Praelati regulares; at quaestio indefinita remansit. – 354. Secundo tenentur parochi, qui actu et habitu animarum curam administrant. – 355. Sive ii temporanei sint, sive perpetui, quin imo etiam parochiarum vicarii in casibus, quibus iuxta Concilium Tridentinum deputari debent. Qui casus quinque sunt et designantur. – 356. Quando habitualis animarum cura penes unam personam, actualis penes alteram residet, haec, non illa ad Missam offerendam tenetur, sive ad tempus, sive in perpetuum eamdem gerat. – 357. 358. Quando unus duabus paroeciis unitis praesit, per unam Missam suae obligationi satisfacit, si unio sit plenaria, et exstinctiva; si tamen sit aeque principalis vel subiectiva, per alium debet alteram Missam offerre. – 359. De facultate binandi et eleemosynam percipiendi agitur ex professo articulo sequenti. – 360. Capellanos ad suppetias parochis ferendas assumptos non afficit obligatio Missae pro populo. – 361. Item nec capellanos asylorum pro pauperibus, carcerum, nosocomiorum et similium. – 362. Item nec parochum missionarium, nisi praesit parochiae canonice in titulum pridem erectae. – 363. Ex nuperrima declaratione S. Cong. de Prop. Fide Vicarii Apostolici ac missionarii non tenentur *ex iustitia* Missam pro po-

pulo applicare, nisi agatur de sedibus episcopalibus, et paroeciis in titulum erectis, ad easque pastorum legitimorum vices suppleturi missi fuerint. Seclusa tamen omni obligationis vi, decet *ex charitate* tantum, ut eam applicent. Vicarius Apostolicus Surinamensis, aliique illius Vicariatus missionarii ad Missam pro populo non tenentur. – 364. Episcopus Dromorensis, qui praeter episcopatum parochi officium in ecclesia parochiali Newry gerit, per unam Missam non satisfacit utrique muneri. Itaque S. C. mens fuit, ut in parochia vicarium constituat, qui praeter alia munera Missam applicet. Circa praeteriti temporis omissiones ad Sanctitatem Suam res ista remittitur. – 365. Obligatio Missae pro populo afficit etiam Episcopos ac parochos Orientales. Sed circa dierum determinationem servari possunt leges et rationabiles locorum consuetudines. Quae si desint, necesse non est, ut determinatio fiat iuxta normam ecclesiae Occidentalis. Episcopis Orientalibus obligatio isthaec opportune manifestanda praecipitur; at circa dierum determinationem leges exponendae mandantur, quae in Occidentali ecclesia vigent, ut ipsi inde normam sumant, et temperamenta magis necessaria S. Sedi proponant. – 366. Rectores saeculares ac regulares ecclesiarum civitatis et dioecesis Peckinensis non sunt vere parochi, et ad Missam pro populo non tenentur. – 367. Vicarius Apostolicus Sinarum, Tonkini et Cocincinae necnon eius Vicarius Generalis non tenentur ad Missam pro populo ex iustitia, sed tantum decet ex charitate, ut eam applicent. – 368. Apostolico Administratori et Visitatori dioecesis *nullius* S. Martini S. Cong. Conc. rescripsit optime sese gessisse, dum Missam pro populo offerendam curavit, licet non constaret, an Abbates, qui praecesserant, offerre consuevissent.

351. Inter eos, qui obligatione tenentur applicandi Missam pro populo suae curae demandato, primum Episcopi veniunt: cum enim ipsi primarii sint totius gregis pastores, sequitur, ut iidem primi salutarem hostiam pro suis ovibus immolare debeant. Ita nimirum sentiunt complures magni nominis doctores, quos enumerat Ferraris verbo *Missa Art. 3. num. 11. circa fin.*, tametsi neque a Conc. Trid., neque a Pontificiis Constitutionibus diserte id Episcopis onus praescribatur (1). Hodie vero praeter doctorum sententiam apertissima in promptu est S. Congregationis Rituum declaratio in *Marsorum* diei 12. Nov. 1831. *apud Gardellin. n. 4669.*, in qua inter alia sequentia dubia proponebantur: « 20. Quum Epi-

(1) Hoc demum fecit SSmus D. N. Leo PP. XIII. Litteris Apostolicis dd. IV. Id. Iunii 1882., quas supra pag. 143-150. retulimus.

» scopus diebus festivis applicare debeat pro ovibus suis, quae-
» ritur, an Episcopo hisce diebus pontificaliter celebrante, cano-
» nici debeant Missam conventualem pro benefactoribus cantare,
» et quando? 22. Episcopi tenenturne ad applicationem Missae
» pro ovibus post adeptam possessionem, an statim ac electi sint
» in consistorio? 23. Vicarii Capitulares tenenturne ad hanc Missae
» applicationem, sede vacante? » Emi Patres rescripserunt: « Ad
» 20. Hebdomadarius, vel is, cui onus inest Missae conventualis,
» illam celebret lectam vel ante, vel post Missam pontificalem.
» Ad 22. Post adeptam possessionem. Ad 23. Negative. »

352. At vero, si agatur de locis, ubi Missionarii Fidei propagandae vel tuendae operam navant, « neque Vicarios Generales, neque Coadiutores Vicarii Apostolici, uti nec ipsum Vicarium Apostolicum ulla teneri obligatione applicandi Missam pro populo, cui praedictis titulis praesunt, sed ex charitate tantum id decere, S. C. de Prop. Fide decreto anni 1803. rescripsit Vicario Apostolico Tonkini occidentalis, veluti constat ex nota archivii eiusdem S. C. Conc. in *Dublin. Dubium Missae pro pop.* 2. Iun. 1860. *per Sum. prec.* §. *Eadem.* Ratio autem (ita idem folium) huius responsionis, in quantum ex relativa positione depromi potest, haec est, quod Vicarii Apostolici non sint vere Ordinarii.

353. Circa Praelatos regulares penes S. C. C. die 15. Mart. 1710. dubium agitatum est: « An P. Generalis Ordin. Erem. S. Augu-
» stini, Vicarius Generalis, ac omnes et singuli Provinciales, ac
» Priores, seu Superiores locales et conventuales eiusdem Ordinis
» teneantur sacrificium Missae parochialis seu pastoralis pro eo-
» rum ovibus, scilicet pro eorum regularibus subditis offerre et
» applicare? » Iamvero S. Cong. resolutionem distulit, ad quam (ita Girald. *Ius Pont. P. II. sect. 85. p. 925.*) « numquam am-
» plius devenit: factis enim perquisitionibus tum a me in regestis
» S. C. C., tum a moderno P. Procuratore Generali S. Augustini
» in suo archivio, nullum repertum est monumentum datae reso-
» lutionis. In bibliotheca tamen Angelica penes Conventum Sancti
» Augustini de Urbe asservantur responsiones ad dictum dubium
» contra procuratorem fiscalem,» qui partem affirmativam contra Regulares propugnabat.

354. Secundo loco tenentur parochi, qui videlicet habitu et actu curam animarum exercent, prout ex iis, quae hactenus dicta sunt, luculenter apparet.

355. Tertio loco vicarii parochiali sarcina gravati, sive ii perpetui sint, sive ad nutum amoveri possint, tum saeculares, tum regulares, Missae pro populo applicandae onere premuntur, non exclusis iis, qui parochiae vacanti deputantur, donec parochia ipsa suo rite rectore donetur, prout apertissime statuit Bened. XIV. in Constit. *Cum semper* §. *Cum enim*. Quoniam vero idem Pontifex eo loco citavit casus in Conc. Trid. praevisos, quibus vicarii deputari debeant, non erit abs re singulatim eosdem recensere, et dilucidare. Primus est in *Sess. 6. cap. 2. de Reform.*, ubi statuitur, ut, si quis beneficium curam animarum adnexam obtinens non resideat, Episcoporum officium sit ex Apostolica delegatione vicarium deputare, qui, assignata congrua, animarum curam opportune regat. Secundus casus est in *Sess. 7. cap. 5. de Reform.*, ubi cavetur, ut, si quando unus sacerdos ex Apostolica dispensatione plura beneficia curata simul obtineat, ubi ipse residere nequeat, per Episcopum idonei vicarii deputentur, ne beneficia debitis defraudentur obsequiis. Tertius casus est *Sess. 21. cap. 6. de Reform.*, ubi parochis illiteratis et imperitis, alias honestae vitae laude praeditis, coadiutores aut vicarii assignari debent, prout superius innuimus. Quartus casus est *Sess. 24. cap. 28. de Reform.*, in quo parochia suo rectore viduata oeconomo regenda traditur, donec parochiae ipsi suus rector stabiliter praeficiatur. Quintus denique casus est *Sess. 25. cap. 16. de Reform.*, quo prohibetur, ne beneficia curata in simplicia convertantur; at si contra institutionem eorum id factum fuerit, et cura animarum in vicarium translata fuerit, vicarius hic a Bened. XIV. inter eos enumeratur, qui Missam pro populo celebrare debent, eodem nempe modo, quo debent et alii in quatuor antecedentibus casibus recensiti.

356. Hisce constitutis, illud sequitur in primis, quod si animarum cura penes aliquod Capitulum, Dignitatem, aut quodvis aliud beneficium habitu residet, actu vero penes vicarium sive perpetuum sive temporaneum, Missa pro populo a rectore actuali, minime vero ab habituali applicanda sit secundum ea, quae statuit Bened. XIV. Constit. *Cum semper* §. *Cum enim*. Nam cum in cathedrali *Vicoequen.* cura habitualis penes Capitulum, actualis penes vicarium quotannis renovari vel confirmari solitum exstaret (qui ceteroquin de gremio Capituli eligebatur cum annua praestatione scutatorum quindecim), ac dubitaretur, « An, et a

quo sit facienda applicatio Missae pro populo in casu? » Sacr. Congreg. Conc. in *Vicoequen. Miss. pro pop.* 7. Maii 1808. respondit: « Affirmative a parocho actuali. » Quod si parochus, (ut in folio eiusdem causae perpenditur §. *Cum ex* in fin.) « non ha- » beat congruam sufficientem, non potest idcirco ab hoc onere » refugere, sed poterit agere iuxta decretum Conc. Trid. *Sess. 23.* » *cap. 13. de Reform.*, ut congruae augmentum consequatur. »

357. Disquiri potest in hoc loco, an parochi, qui duabus vel pluribus ecclesiis insimul coniunctis praesunt, tot Missarum applicandarum sive per se, sive per alium onere graventur, quot numero sunt paroeciales ecclesiae, quae simul coniunctae reperiuntur. In quo ea praestat exscribere, quae exhibet folium in causa *Salmantina VV. SS. LL.* 22. Febr. 1862. §. *Hac posita;* ibi: « Hac posita obligatione (parochorum pro populo Missam » offerendi) quaesitum est, quid relate ad Missam pro populo ab » iis parochis foret observandum, qui duabus paroeciis essent ad- » dicti, et constanter sacer Ordo respondit, huiusmodi parochos » minime solutos esse a Missae applicatione pro utraque paroe- » cia, nisi forte paroeciae plenaria et exstinctiva fuerint unione » coniunctae, ceu, formiter discusso articulo, declaratum habetur » in *Lucen. Applic. Miss. pro pop.* 12. Mart. 1774., in qua, pro- » posito dubio: *An parochi duabus ecclesiis parochialibus praepo- » siti tenerentur Dominicis aliisque festis diebus in unaquaque » ecclesia sive per se, sive per alium applicare pro populo in casu?* » Emi Patres rescripserunt: *Affirmative, exceptis tantum parochiis » unitis unione plenaria et exstinctiva; et scribatur Episcopo iuxta » instructionem.* – Instructio vero continebat, S. C. nunquam dubi- » tasse, quod parochi teneantur ad applicationem supradictae Mis- » sae pro populo singulis diebus Dominicis et festis in unaqua- » que ex ecclesiis parochialibus, quae vel aeque principaliter, » vel subiective coniunctae sunt atque incorporatae, cum appli- » catio unius tantummodo Missae pro populo locum habeat in » iis parochialibus, quae invicem adeo unitae, coniunctae atque » incorporatae sunt, ut ex duabus una prorsus cum exstinctione » tituli alterius evaserit. » Ceterum quaenam sit unio exstinctiva, itemque unio aeque principalis vel subiectiva dumtaxat, tradunt communiter rerum canonicarum tractatores, quos inter Gonzalez ad *Reg. 8. Canc. glos. 5.* §. *7.*, Piton. *Discept. eccl. 9.* Rigant. *ad Reg. 8. Canc. n. 405;* sed accuratius fol. S. C. Conc. in *Spa-*

laten. et Makarsken. 23. Nov. 1850. §. *Neminem et seq., Ariminen. Offic. Paroch.* 24. Nov. 1864., *Arthorinen. Miss. pr. pop.* 9. Decemb. 1865.

358. Hac posita distinctione in *Oveten.* 18. Novemb. 1826., de qua in dicto *fol. Salman.* post allata verba sermo fit, eadem Sacra Congregatio declaravit, parochum ad binae Missae celebrationem minime teneri; idque eadem S. Cong. iam statuerat in *Nuscana* 17. Ian. 1756.

359. Quid autem iudicandum sit de facultate, quae uni parocho ab Episcopo fiat, duplicem eadem die Missam celebrandi, deque eleemosynae perceptione, aliisque ad hoc argumentum pertinentibus, ex professo in articulo 4. qui proxime sequitur, examinabitur.

360. Ex his, quae modo statuimus, facile quisque colliget, quod capellani parochorum, quocumque demum nomine appellentur, qui iisdem parochis suppetias ferunt in rei parochialis procuratione, ab onere Missae pro populo celebrandae eximantur: huius enim oneris satisfactioni iam consultum est per sacrificium, quod a parochis titularibus peragi debet. Et sane Episcopus Liparen. S. C. C. exponebat, « in sua dioecesi unam adesse parochialem ecclesiam, quae cathedralis est. Haec parochia plures circum habet insulas inter se multo distantes, et unaquaeque insula plures continet pagos, in quorum singulis unum, vel duo sunt sacella, pro quibus regendis saltem quadraginta inesse debent sacerdotes dicti capellani vel capellani curati, quorum officium est concionari in festis, Sacramenta Eucharistiae, Poenitentiae, Extremae Unctionis ministrare, et ad sepulturam comitari. Aliqui eorum etiam baptizant, sed liber baptizatorum, sicut et confirmatorum et mortuorum residet penes magistrum capellanum, vel parochum in cathedrali, qui praeest omnibus, et ad quem illi referunt adnotationem baptizatorum et mortuorum. » Ceterum pauperrimus erat populus, ac tenuissima capellanorum congrua. Quaerebat igitur idem Liparensis Episcopus, an istiusmodi capellani curam animarum proprie dictam exerceant, adeoque an teneantur Missam pro populo applicare? S. C. in *Liparen. Miss. pro pop.* 23. Mart. 1861. *per Sum. prec.* respondit: « Iuxta expressa negative in omnibus. »

361. Itidem ab hoc praecepto eximuntur capellani asylorum pro pauperibus, carcerum, nosocomiorum, aliorumque huiusmodi

locorum. De his porro Dublinensis Antistes speciale postulatum S. C. de Prop. Fide obtulerat, quae rem S. C. Conc. definiendam remisit. Subiiciebat idem Antistes, quod illi capellani « ab Epi- » scopo nominantur, et a gubernio stipendium accipiunt. Omnium, » qui praedictis locis detinentur, curam gerunt, eisdemque eccle- » siastica Sacramenta, uno excepto matrimonio, administrant. » Haec autem omnia praebent independenter a parocho.» Cum itaque disceptaretur, an istiusmodi capellani ad Missam pro suis subditis applicandam tenerentur, re proposita in *Dublinen. Miss. pro pop.* 2. Iunii 1860. *per Sum. prec.*, S. C. C. respondit: « Non teneri.»

362. Neque de parochis missionariis dicendum est secus ac supra dictum fuit de Vicariis Apostolicis, qui missionibus inter infideles praesunt. Id enim statutum fuisse a S. Congr. de Prop. Fide eruebat folium causae *Dublinen.* §. *Verum* ex nota, quae ex tabulario S. C. de Prop. Fide deprompta apud acta S. C. Conc. exhibita fuerat pro missionibus Pekinensibus. « Cum enim (ita » ibidem legitur) decreto 28. Ianuar. 1780. edito, et a Summo » Pontifice Pio VI. approbato die 13. Febr. 1780. declaratum » fuisset missionariis, illos nullatenus parochos esse, neque ec- » clesias eorum vere et proprie parochiales; posteriore decreto » die 4. Ian. 1798., proposito dubio, utrum iidem missionarii » immunes ab onere Missam pro populo applicandi existimari » deberent, » S. C. respondit: « Provisum per decretum 28. Ia- » nuar. 1780. a Sanctitate Sua approbatum. » Quod si parochia in titulum canonice erecta fuisset, etiamsi ageretur de locis, quae sacris missionibus addicta sunt, tum parochi missionarii ab onere sacrificii pro populo perlitandi sese non potuissent eximere. Nam refert Zambon. *Coll. Dec. S. Congr. Conc. tom.* 5. verb. *Parochus* §. *V. in nota num. 29. pag. 28.*, quod orta quaestione « tenen- » turne parochi illis diebus (quibus operibus servilibus operam » dare indultum fuit) Missam, ut antea, pro ovibus sibi creditis » applicare? » et quaestione a S. C. de Prop. Fide mature expensa, responsum fuit missionariis, qui hanc quaestionem proposuerant: « Teneri ». Si vero tenentur diebus, qui e festorum albo dispuncti sunt, multo magis teneri debent iis diebus, qui adhuc in festorum numero comprehenduntur.

363. Nuperrime penes S. C. de Prop. Fide plura disceptata resolutaque sunt dubia, quae ad hoc argumentum pertinent; itaque hic eadem afferre non praetermittimus.

Monendum vero, quod dubiis primo loco inferius positis causam dedit partim supplicatio quaedam Episcopi Drumorensis in Hibernia, qui parochus et Episcopus eodem tempore erat, partim Vicarius Apostolicus Surinamensis, qui ex sola devotione, non ex iustitia cum se, tum ceteros missionarios Missam pro populo applicare solitos esse exponebat. Causae titulus erat: *Nonnulla dubia Missam pro pop. respicientia.* En vero dubia latine versa:

1. « An Vicarii Apostolici et missionarii quavis ratione ani-
» marum curam aliquo in loco determinato assumentes, omnes
» indiscriminatim *ex iustitia* teneantur Missam *pro populo* diebus
» festis applicare? Et quatenus negative,

2. » Quibusnam Vicariis Apostolicis et missionariis huiusmodi
» obligatio ex iustitia incumbat?

3. » An de illis, qui non tenentur hac obligatione ex iustitia
» dicendum sit *decere ex charitate* aut *teneri ex charitate*, ut die-
» bus festis Missam applicent *pro populo?*

4. » An, quatenus admittatur formula *teneri ex charitate*, hoc
» intelligendum sit de obligatione sub gravi?

5. » An Vicarius Apostolicus Surinamensis aliique illius Vi-
» cariatus missionarii obligentur ad Missam pro populo appli-
» candam?

6. » An, tali obligatione admissa, rescriptum editum favore
» Vicariatus Curacao extendendum sit ad Vicariatum Surina-
» mensem?

7. » Quomodo providendum sit inadimplemento praeteriti tem-
» poris, quatenus praedicta obligatio agnoscatur et admittatur?

364. 8. » An Episcopus Drumorensis, qui parochi officium
» exercet, dum Missam pro suis dioecesanis applicat, suae satis-
» faciat obligationi, quae sibi uti parocho inhaeret?

9. » Quatenus ipse Episcopus satis non facit obligationi paro-
» chorum propriae circa applicationem Missae pro populo, quid-
» nam de praeterito suae obligationis inadimplemento dicen-
» dum sit? »

Ad dubia haec Emi Patres die 23. Martii 1863. responderunt:

« Ad 1. Negative, dummodo non agatur de locis, in quibus
» sedes episcopalis ac paroeciae canonice erectae iam sint, atque
» ad ea Vicarius Apostolicus ac missionarii missi sunt, ut legi-
» timorum pastorum vices gerant.

» Ad 2. Provisum in primo.

» Ad 3. Vitandam esse locutionem *teneri ex charitate*, idque » ita, ut nulla proprie dictae obligationis significatio appareat.

» Ad 4. Provisum in tertio.

» Ad 5. Negative, et dentur decreta 28. Ianuar. 1780., et 5. » Februar. 1803.

» Ad 6. et 7. Provisum in 5.

» Ad 8. Iuxta exposita negative et ad mentem. Mens est, » quod si Episcopus nullum habet in civitate Newry Vicarium, » qui eam parochiam administret, teneatur eum ibi constituere, » ac per eum ipsum debeat etiam satisfacere obligationi Missae » pro populo, animadverso tamen, quod ad normam §. *4*. Con- » stit. Bened. XIV. *Cum semper oblatas*, in praefinienda congrua » ad illiusmodi onus habeat respectum.

» Ad 9. Ad Secretarium cum SSmo. »

365. Dum huiusmodi dubiorum propositio adhuc in suspenso erat, factum est, ut alia dubia ad Ecclesiam Orientalem pertinentia proponerentur. Quae dubia secundo loco in appendice proposita, de italica lingua in latinum conversa tenoris erant sequentis:

1. « An obligatio applicandi Missam pro populo, quae secun- » dum ius Ecclesiae occidentalis imposita est parochis aliisque » ecclesiasticis viris animarum curam obtinentibus, locum simi- » liter habeat pro iisdem personis de ritu Orientali? et quatenus » affirmative,

2. » Circa determinationem dierum an debeant observari leges, » ac consuetudines rationabiles, quae forte vigeant in aliquibus » dioecesibus dicti ritus?

3. » In defectu harum legum et consuetudinum an huiusmodi » determinatio fieri debeat ad normam et ex omni parte iuxta » leges occidentales?

4. » An ob graves causas et circumstantias fieri locus queat » alicui reductioni dierum praefinitorum a legibus occidentalibus, » atque etiam totali dispensationi cum obligatione tamen orandi » pro populo in illis ipsis Missis, quae pro ipso applicandae forent?»

Quapropter Emi Patres in iisdem comitiis diei 23. Mart. 1863. rescribendum esse censuerunt:

« Ad 1. Affirmative, reformato dubio, ut sequitur: An obli- » gatio Missam applicandi pro populo, quae secundum ius Ec- » clesiae occidentalis imposita est Episcopis et parochis, locum » similiter habeat pro iisdem personis de ritu orientali?

» Ad 2. Affirmative.

» Ad 3. Negative.

» Ad 4. Provisum in tertio, et ad mentem. Mens est, quod, » data opportunitate, manifestetur Episcopis Ecclesiae orientalis » obligatio, quae etiam in eadem Ecclesia incumbit animarum » pastoribus, applicandi aliquoties Missam pro populo, adeoque » quod pertinet ad dierum determinationem exponatur ipsis Ec- » clesiae occidentalis disciplina, ut lumen exinde sumant, quo » diiudicare valeant, usque dum eadem disciplina suis dioecesibus » convenire possit, itemque ut proponant quocumque casu S. Sedi » temperamenta, quae magis necessaria censeantur. »

Et facta relatione SSmo D. N., Sanctitas Sua die 29. Martii 1863. resolutiones S. Cong. in omnibus approbavit.

366. Decretum S. C. de Prop. Fid. diei 28. Ian. 1782. (de quo supra *n. 364.* in responsione ad 5.) ita se habet: « S. Congr... » censuit ac declaravit, ecclesias omnes, oratoria, capellas distri- » ctus, qui a sacerdotibus saecularibus, sive etiam regularibus » diversarum nationum, tam in civitate Pekini, quam in eius » dioecesi administrantur, nec vere nec proprie parochias esse » cum certarum animarum cura necessario coniunctas: Missiona- » rios vero, quorum fidei commissa est earumdem ecclesiarum » administratio, nullo modo parochos esse, sed simplices verbi » Dei praecones, nulla certa sede aut residentia incardinatos: » proindeque ad nutum pro tempore existentis Episcopi Pekinen- » sis esse amovibiles. »

367. Decretum 5. Febr. 1803. (de quo similiter in dicta responsione ad 5.) insertum fuit in epistola Vic. Apostolico Tonkini data. Porro dubium propositum fuerat: « An missionarii in regnis » Sinarum, Tonkini, Cocincinae ac Siami, sicut etiam sacerdotes » indigenae, qui proprium non habent districtum, cui inserviunt » ut parochi, Missam applicare non solum diebus Dominicis et » magnis solemnitatibus, sed etiam aliis diebus festivis, quibus » christiani incolae praedictorum regnorum Missam quidem audire » tenentur, sed servilibus operibus vacare possunt? »

Huic dubio de Missarum applicatione proposito S. C. respondit iuxta ea, quae iam alias decreta fuerunt: « Neque Vicarium Ge- » neralem, neque Coadiutorem Vicarii Apostolici, uti nec ipsum » Vic. Apostolicum ulla teneri obligatione ex iustitia applicandi » Missam diebus festis pro populo, si cui praedictis titulis prae-

» sunt; sed ex charitate tantum id decere, ex quo nulla abso-
» lutione opus esse pro omissa applicatione, per se patet. » Quae resolutio iterum confirmata fuit anno 1804.

368. Administrator et Visitator Apostolicus *Nullius* S. Martini in sua relatione S. C. Conc. conscripta exponebat, Abbates, qui in eadem abbatia administranda praecesserant, Missam pro populo applicare non consuevisse, sese tamen eam applicationem omittere non esse arbitratum. Itaque postulabat, quaenam esset hac de re S. C. Conc. mens. Iamvero S. Congr. literis diei 18. Apr. 1864. in haec verba respondit: « Ad secundum quod attinet
» sic habeto: S. C. Rit. in *Marsorum* 12. Nov. 1831. ad dub. 20.
» et 22., et S. C. de Prop. Fide die 23. Mart. 1863. ad 8. dub.
» nuperrime edixerunt, Episcopos Missae pro populo perlitandae
» onere teneri, nulla tamen circa certos pro celebratione dies
» lege praestituta: quin imo S. C. de Prop. Fide etiam Vicarios
» Apostolicos, si praesint paroeciis canonice constitutis, eodem
» onere, quo ceteri parochi, affici respondit ad dub. 1. et 2. Ex
» his facillime per te colligis, laudabiliter a te factum esse, qui
» Missam pro grege tuae curae demandato offerendam curasti.»

Art. III. An curatores animarum Missam pro populo per seipsos applicare teneantur, et qua hora.

Summarium. 369. Ex theologorum, canonistarum, et S. Cong. Conc. auctoritate parochi per seipsos Missam pro populo offerre tenentur. – 370. Quam obligationem per alium implere nequeunt nonnisi ob gravissimam causam. Talis reputata non est celebratio Missae pro defuncto, cadavere praesente. Quo casu Missam pro populo nec in alium diem, nec in aliam personam reiicere possunt. – 371. Hactenus dicta confirmantur ex nuperrima declaratione in *Mechlinien.* – 372. Casus excipitur, quo parochus eodem die Missae conventualis onere simul obstringatur. In ceteris casibus necessaria est venia Apostolica. – 373. Parocho nequaquam suffragatur consuetudo Missae per alium celebrandae. – 374. Neque si usus ferret, ut eam applicent ecclesiae parochialis participantes. – 375. Excipiuntur duo casus, videlicet quando agitur de sacerdotibus, qui ex iustitia parochum adiuvare obligantur; et quando cura habitualis penes Capitulum, aut quemvis sacerdotum coetum, actualis penes vicarium residet. – 376. Circa horam celebrandi Missam recolendae sunt aliquae S. C. Conc. declarationes, quibus statuitur, de rigore iuris parochum prohibere non posse, ne Missae in ecclesiis simplicibus celebren-

tur, antequam Missa parochialis celebrata fuerit; sed Episcopo id prohibere permissum est, dummodo Missa parochialis hora opportuna celebretur. – 377. Sed Regulares neque ab Episcopo prohiberi possunt, ne Missas celebrent, aut functiones etiam cum sonitu campanarum peragant, antequam Missa parochialis absoluta fuerit.

369. Sententia theologorum et canonistarum est, ut parochi per se Missae sacrificium pro populo sibi commisso peragere debeant. S. C. Conc. in *Tiburtina Appl. Miss.* 21. Nov. 1801. §. *Haec.* Consonant resolutiones eiusdem S. C. praesertim in *Castri Albi VV. SS. LL.* 18. Iul. 1789., in qua, cum Emi Patres rogati fuissent: « An parochi dictarum ecclesiarum (cathedralis et colle- » giatae S. Mariae) aliarumque collegiatarum dioecesis Castri Albi » teneantur per seipsos applicare diebus festis Missam pro po- » pulo, seu potius possint per beneficiatos aliosque sacerdotes » praedicto oneri satisfacere in casu? » rescripserunt: « Affirma- » tive ad primam partem, negative ad secundam. »

370. Quamvis autem Cavalierius *(Tom. 3. Op. liturgic. c. 8. ad decret. 15. n. 3.,* cuius verba referuntur in folio *Fesulanae* 16. Iun. 1770. §. *Ceterum)* sentiat, « necessarium non esse tam scru- » pulose in hac re parochos progredi, sed levi etiam de causa » non infrequenter per alios supplere posse », nihilominus ex qualitate praecepti divini et gravitate Apostolicae praescriptionis illud sequitur, ut id oneris sine gravissima causa in alios reiicere minime possint. Et sane in dicta *Fesulana* ad dubia: « An parochi » in Dominicis aliisque festis diebus, praesente cadavere, possint » celebrare Missam pro defuncto, et ad alium diem transferre » Missam pro populo applicandam in casu? et quatenus negative, » an saltem applicationi Missae pro populo supplere possint per » alium sacerdotem in casu? » die 26. Ianuar. 1771. rescripsit: « Ad 1. et 2. Negative. »

371. Idem accuratius et clarius definitum fuit in *Mechlinien. Miss. pro pop.* 25. Septembr. 1847. *per Sum. prec.,* ubi proponebatur a Mariano Verhoeven in Universitate Lovanien. sacrorum canonum professore: « An parochi sanctum Missae sacrificium » pro populo offerre debeant, si legitima causa non impediuntur, » an vero per alium ex. gr. sacellanum, aut presbyterum adve- » nam huic officio satisfacere possint? » S. C. respondit: « Affir- » mative ad primam partem, negative ad secundam, excepto casu

» verae necessitatis, et concurrente causa canonica.» Vide *S. Hyppolit. Serv. chor.* 24. Aug. 1867. ad 3.

372. Excipiendus est casus, quo parochia praebendae canonicali adnexa sit: tunc enim ex dilucida Benedictinae Constit. *Cum semper oblatas* §. *17.* dispositione cautum est, ut parochus Missam conventualem ipse celebret applicetque, parochialem vero alteri suo sumptu committat. In aliis casibus necessaria est venia S. Congr., ut novissime in *Sylvae Ducis* (Bois le duc) in Hollandia diei 11. Martii 1843. *per Sum. prec.* concessum fuisse testatur folium dictae *Mechlinien.* §. *Quamvis:* in ea vero causa sacer Ordo annuit quidem precibus Vicarii Apostolici expostulantis, ut parochi sacellanos (qui sunt simplices sacerdotes, nullumque habent titulum, et quidquid agunt ex mandato parochorum agunt) subrogare possent, facultatem tamen cohibuit « *ad causas verae* » *necessitatis, et dummodo fieret ex causa canonica* ».

373. Neque parocho suffragari posset consuetudo, ex qua fortasse inductum fuerit, ut aliis hoc onus persolvendum ipse demandaret. Nam idem Verhoeven quarto loco percontabatur: « Quid » censeri debeat de consuetudine, vi cuius parochus diebus Do- » minicis et festis Missam privatam pro pio aliquo benefactore » applicat, et nullo legitimo impedimento detentus onus celebrandi » Missam pro populo in alium transferat sacerdotem? » At Emi Patres die dicta 25. Sept. 1847. in eadem *Mechlinien.* rescripserunt: « Consuetudinem, de qua agitur, non esse attendendam.»

374. Quin imo neque consuetudo parochis aliquod praesidium afferre posset in casu, quo ageretur de ecclesia parochiali, cui praeter parochum serviunt alii participantes, et, poscente necessitate, eidem parocho auxilium praebent. Cum enim in *Policastren. Miss. pro pop.* 23. Maii 1856. *per Sum. prec.* quaesitum esset, an Missa parochialis applicari deberet ab omnibus e clero participantibus per turnum iuxta consuetudinem in nonnullis dioeceseon locis vigentem, vel potius a parocho tantum, veluti apud alia eiusdem dioeceseon loca in more positum erat, S. C. indiscriminatim respondit: « Onus applicationis Missae pro po- » pulo spectare ad parochum tantum. » Congruit *Tiburtina Appl. Miss. pro pop.* 21. Novembr. 1801., *Castri Albi VV. SS. LL.* 18. Iul. 1789. et aliae.

375. Consuetudo tamen parocho hac in re favere posset duobus in casibus; primo quando agitur de sacerdotibus, quorum munus

est iuxta erectionem, aut quemvis alium legitimum titulum coadiutricem operam in exercenda cura animarum eidem parocho praebere. Et sane in *Spoletana Miss. pro pop.* 14. Maii 1831. parochus erat, qui principaliter animarum curam sustinebat; eidem insuper uti coadiutores aderant duo canonici, qui ex fundationis iure in cura animarum subeunda suppetias ferebant. Iamvero perspectum et exploratum erat, quod ex antecedenti plurium annorum consuetudine hi coadiutores vicissim cum parocho Missae pro populo offerendae munus persolverent. Cum tamen coadiutores illius temporis sese vellent eximere, S. C. Conc. propositum est dubium: « An canonici coadiutores teneantur alternatim cum » parocho applicare Missam pro populo in casu? » S. C. die dicta respondit: « Affirmative». Idipsum firmatum fuerat in *Ripana Iur. par.* 15. Dec. 1725. iuxta votum celeberrimi Card. Petra, et iterum 20. Nov. 1762. necnon in *Verulana Miss. comm. et Miss. pro pop.* 12. Dec. 1829. ad 2.

Secundus casus est, quando cura habitualis penes aliquem sacerdotum coetum, veluti canonicorum vel beneficiatorum residet, actualis vero penes vicarium; tunc enim si consuetudo obtinuit, ut vicarius et canonici, vel beneficiati Missam pro populo in orbem offerant, consuetudo illa plane servanda est. Quod probatur ex *Camerinen. Miss. pro pop.* 16. Dec. 1820., in qua res erat inter canonicos primae erectionis, apud quos cura habitualis exstabat, et vicarium curatum, qui actualem exercebat. Proposito itaque dubio: « An, et ad quem spectaret onus celebrationis » Missae pro populo in casu? » responsum prodiit: « Affirmative » ad quatuor canonicos primae erectionis ad formam consuetu- » dinis. » Notandum insuper, quod vicarius curatus in eo casu nunquam pro populo applicare consueverat, quae consuetudo ex S. C. C. declaratione confirmationem obtinuit.

376. Quod pertinet ad horam, qua offerenda est Missa parochialis, ita nimirum, ut ante eiusdem celebrationem aliae Missae in aliis ecclesiis celebrari nequeant, recolendae sunt eae, quae modo referuntur, declarationes.

« Quaeritur, an parochus prohibere possit, ne in capella ruri » per laicum aedificata in solo publico celebrari possit, antequam » Missa celebretur in ecclesia parochiali matrice? S. Congr. Conc. » respondit: Supposita facultate celebrandi in dicta capella, de » rigore iuris non posse prohiberi, sed Episcopum pro prudentia

» curare posse, ut in diebus festivis prius celebretur Missa in » parochiali ecclesia.» (S. C. Conc. 28. Ian. 1640. *ex lib. 16. decret. pag. 331.* apud Bened. XIV. *Instit. eccl. 44. n. 12.*).

« S. C. respondit, de rigore iuris non posse prohiberi, ut Missae » (in sacellis) non celebrentur ante Missam a parocho non cele- » bratam (*Urbinaten.* 27. Ianuar. 1641. *lib. 16. decret. pag. 543.* » apud Bened. XIV. *loc. cit. n. 9. ac 10.*).

» S. C. saepius censuit, constitutiones synodales praecipientes, » ut diebus festis Missae celebrari non debeant in aliis ecclesiis, » nisi celebrata Missa in ecclesia parochiali, esse observandas, » ita tamen, ut Missa in ecclesia parochiali hora opportuna ce- » lebretur. » (25. Maii 1552. *lib. 16. decret. pag. 191.* apud Bened. XIV. *loc. cit. n. 11.*).

377. Ad quaestionem, an Religiosi conventuales Terrae Bruneaturi, Squillacen. dioecesis, moniti ab Episcopo abstinere se debeant a celebrandis Missis, aliisque peragendis functionibus cum sonitu campanarum ante Missam parochialem, vel donec illa absolvatur? S. Congr. respondit: « Negative » (28. Februar. et 8. Aug. 1761.). Idem declaravit in *Nullius Provin. Raven.* 15. Septembr. 1629., *Aquen.* 9. Iun. 1708., *Taurinen.* 28. Sept. 1742., *Comen.* 18. Iun. 1750.

APPENDIX AD PRAECEDENTES TRES ARTICULOS.

Recentiora S. Sedis decreta de Missa pro populo applicanda.

1. « Iamdudum a Clemente PP. XIV. in Austria nonnulla fe- » sta abrogata et fideles ab obligatione iis diebus Missam audiendi » absoluti sunt. An parochi illis festis, ut dicitur abrogatis, Mis- » sam pro populo applicare teneantur, quum in Bulla diei 22. » Iunii 1771. desuper edita, obligationis huius expressa mentio » haud occurrat? S. Rit. Congr. die 9. Maii 1857. respondit: Affir- » mative. (Gardellini n. 5232. ad 6.).

2. » Quum iuxta decretum diei 12. Martii 1836. in Tridentina » ad dub. 10. celebranda sit Missa Rogationum, quando proces- » sio fit, hinc quaeritur, an die 25. Aprilis occurrente in Do- » minica, in ecclesiis, ubi unicus est sacerdos, Missa cum cantu » Rogationum valeat etiam pro adimplendo onere Missae paro- » chialis? S. Rit. Congr. die 14. Aug. 1858. respondit: iuxta alias » decreta affirmative. (Gardellini n. 5262.).

3. » Emus et Rmus D. Cardinalis Alexius Billiet, Archiepi-
» scopus Camberiensis a Sacra Rituum Congregatione sequens
» dubium declarari petiit: in dioecesibus Sabaudiae opportunum
» visum est, ut illa Missa diebus Dominicis et festivis applicetur
» pro populo, cui populus ipse adstare consuevit, et idcirco haec
» applicatio fit a vicario, quando is alternative Missam parochia-
» lem celebrat. Hinc quaeritur:

I. » An eiusmodi usus servari et retineri possit?

II. » Utrum applicatio fieri semper debeat a parocho etiam
» privatim celebrante?

» S. R. C. die 20. Decemb. 1864. rescribendum censuit:

» Ad I.: Negative. Ad II.: Affirmative iuxta alias decreta.
» (Gardellini num. 5341.).

4. » In relatione status ecclesiae N. Episcopus exposuit, an-
» tiquam vigere consuetudinem, ut parochi in Dominicis aliisque
» festis diebus de praecepto cantent Missam Confraternitatum,
» quae in eorum paroecialibus ecclesiis erectae sunt, eamdemque
» Missam non quidem pro populo ipsis commisso applicare, sed
» iuxta mentem eorum, quibus solemnitates celebrant. Cum vero
» Episcopus in una pastorali encyclica huiusmodi consuetudinem
» abusum vocaverit, parochosque vel per se, vel, si impediti
» fuerint, per alium Missam pro populo applicare teneri decla-
» rasset, parochi non pauci repraesentarunt, id fieri non posse;
» quare visum quodammodo est Episcopo, posse parochos cantare
» Missam Confraternitatum, eamdem applicantes pro populo, et
» aliam Missam celebrare die feriali infra hebdomadam cum ap-
» plicatione iuxta intentionem Confraternitatum. SSmum itaque
» D. N. adprecatus est, ut declarare dignaretur, an dicta agendi
» ratio probari mereretur, secus provideret sapientia sua, prout
» melius in Domino expedire iudicasset. Proposito igitur dubio:
» An et quomodo sustineatur consuetudo in casu? S. C. Conc.
» die 30. Maii 1867. respondit: Negative, et ad mentem. » (Acta
S. Sedis vol. III. pag. 97.).

5. « Episcopus N. a S. C. C. sequentium dubiorum solutionem
» efflagitavit:

I. » An parochus die festo a sua parochia absens satisfaciat
» suae obligationi Missam celebrando pro populo in loco, ubi
» degit, seu potius teneatur substituere alium, qui Missam pro
» populo dicat in propria ecclesia?

II. » An teneatur Missam applicare pro populo in loco, ubi » degit, seu potius ad parochiam rediens teneatur applicare in » propria ecclesia?

III. » An parochus morbi causa legitime impeditus, ne Missam » celebret, teneatur post recuperatam sanitatem tot Missas ap- » plicare pro populo, quot durante morbo omisit, sive in casu, » quo nec per se nec per alium celebrare poterat sine gravi in- » commodo, sive in casu, quo poterat per alium, sed ex aliquo » vano timore vel negligentia non curavit, vel non obtinuit, ut » alius pro se celebraret? S. C. C. die 14. Decemb. 1872. respon- » dit: Parochum die festo a sua paroecia legitime absentem sa- » tisfacere suae obligationi Missam applicando pro populo suo in » loco ubi degit, dummodo ad necessariam populi commoditatem » alius sacerdos in ecclesia parochiali celebret et verbum Dei » explicet. Parochum vero utcumque legitime impeditum, ne Mis- » sam celebret, teneri eam die festo per alium celebrari et ap- » plicari facere pro populo in ecclesia parochiali; quod si ita » factum non fuerit, quamprimum poterit, Missam pro populo » applicare debere. » (Acta S. Sedis vol. VII. pag. 191.).

6. « Episcopus Catalaunen. die 8. Iunii 1873. supplici libello » Sacratissimo Principi oblato quaerebat: 1. Utrum parochus duas » habens parochias, qui ob rationabilem causam non potuit die » Dominica vel festo secundam Missam celebrare, teneatur per » hebdomadam applicare Missam pro populo suae secundae pa- » rochiae, vel utrum sufficiat, ut unicam Missam, quam die Do- » minica vel festo celebrat, applicet pro populo duarum suarum » parochiarum? 2. Utrum diebus festis suppressis, in quibus binam » Missam celebrandi non habet facultatem, sufficiat, ut solam » Missam quam dicere potest, applicet pro populo duarum sua- » rum parochiarum, vel utrum altera die teneatur secundam Mis- » sam pro populo secundae parochiae applicare? Hisce dubiis » S. C. C. die 14. Iulii 1873. respondit: Ad 1. Affirmative ad » primam partem, negative ad secundam. Ad 2. Negative ad pri- » mam partem, affirmative ad secundam.» (Acta S. Sedis vol. VIII. pag. 33.).

7. « Idem Episcopus Catalaunen. S. Cong. Conc. exponebat, » saepe accidere, ut sive ob morbum, sive ob intemperiem, sive » ob inundationem etc. quidam parochi non valeant secundam » Missam diebus Dominicis vel festis in sua secunda parochia ce-

» lebrare. Postulabat ergo pro hisce casibus facultatem eos dis-
» pensandi ab applicatione secundae Missae pro populo ea lege,
» ut unica Missa pro populo utriusque parochiae applicetur, sive
» curam habeant secundae parochiae, sive deserviant secundae
» parochiae, cuius titularis ob causas probatas in sua ecclesia
» non resideat. » S. C. Conc. die 9. Maii 1874. respondit: « Quoad
» absolutionem celebrata ab unoquoque parocho una Missa, pro
» gratia absolutionis super enuntiatis omissionibus; quoad vero
» dispensationem, Episcopo cum facultate dispensandi iuxta pe-
» tita, et in circumstantiis taxative inibi expressis, onerata ipsius
» Episcopi conscientia ad quinquennium, facto verbo cum SSmo.»
(Acta S. Sedis vol. VIII. pag. 33.).

8. « In dioecesi V. non pauci sunt parochi duabus paroeciis
» distinctis praepositi. In Dominicis et festis de praecepto Mis-
» sam in unaquaque paroecia celebrant pro populo. Sed aliquo-
» ties isti parochi se conferre non possunt ad secundam paroe-
» ciam vel propter repentinam difficultatem, vel ob intemperiem,
» aut etiam celebrare nequeunt neque in una neque in altera
» paroecia ob infirmitatem subitaneam aut diutinam. Et saepis-
» sime deest alter presbyter, qui vicem implere possit, nam pres-
» byterorum numerus exiguus est, et alii ab aliis non parum
» distant. Quod attinet ad festa suppressa, quae in hebdomadam
» incidunt, et non sunt de praecepto, in quibus tamen adest obli-
» gatio Missam applicandi pro populo, parochi, qui duas regunt
» paroecias, binare non possunt, et aliunde valde illis onerosum
» est, duas celebrare Missas, unam nempe ipso die festi pro una
» paroecia, alteram postridie vel alio die pro secunda paroecia,
» duas illas pro populo Missas applicando. Nam in nostra dioe-
» cesi reditus nimis exigui sunt. Plurimi parochi vix sustentari
» possunt, etiam multas imponendo sibi privationes.

» Quapropter Episcopus V. postulat ad quinquennium pote-
» statem dispensandi cum parochis duabus paroeciis praepositis
» et ut supra impeditis a celebranda secunda Missa pro populo
» diebus Dominicis vel festis de praecepto, et insuper cum iis-
» dem dispensandi a secunda pro populo Missa in hebdomada
» in festis suppressis, ita ut unica Missa pro duabus paroeciis
» applicari possit.

» Advertendum est, quod plures animarum pastores duas pa-
» roecias regentes usque adhuc unicam Missam pro populo ap-

» plicarunt in festis, in quibus secundam Missam celebrare de-
» buissent etiam pro populo alterius paroeciae.

» Igitur supradictus Episcopus implorat sanationem et ab-
» solutionem circa Missas non celebratas pro populo secundae
» paroeciae diebus festis suppressis, et quae in hebdomada ap-
» plicari debuissent. Episcopus V. has petitiones sperat benigne
» excipiendas, siquidem iidem favores in iisdem circumstantiis
» Catalaunensi Episcopo die 9. Maii 1874. concessi fuerunt.

» S. C. C. die 27. Februarii 1875. causa cognita respondere
» putavit: – Detur responsum ut in Catalaunen. diei 9. Maii 1874.
» quod sic sese habet: Quoad absolutionem etc. *vide supra n. 7.*
» (Acta S. Sedis vol. III. pag. 701.).

9. » Antistes C. supplici libello oblato die 13. Novembris
» anni 1880. S. C. C. exposuit, in ecclesiis parochialibus suae
» dioecesis diebus festis a parocho vel vice-parocho, vel etiam
» ab alio sacerdote Missam parochialem nuncupatam solemniter
» cum cantu celebrari et inter Missarum solemnia fieri quoque
» SS. Evangelii explanationem. Fideles porro firmiter putantes,
» illam semper pro ipsis applicari, ad eam audiendam libenter
» confluunt; at pro populo applicatur nonnisi dum illam paro-
« chus canit, qui pluribus distentus curis frequenter cogitur hu-
» iusmodi munus alteri sacerdoti demandare. Hinc Episcopus
» optans fideles in hac erronea persuasione diutius haud versari,
» ac simul advertens, quod, si id pernoscerent, aegre ferrent, et
» non amplius tam diligenter ad illam Missam audiendam ac-
» cederent, a S. C. C. quaerit:

I. » Utrum praedicta urgens consuetudo sit habenda tanquam
» causa canonica sufficiens, ut parochus alii committat Missam
» pro populo loco ipsius celebrandam?

II. » Posito quod non sit causa sufficiens, ut pro gratia ni-
» hilominus concedatur facultas. S. C. C. sub die 9. April. 1881.
» respondit: Ad I. Negative. Ad II. Non expedire. (Acta S. Se-
» dis vol. XIV. pag. 332). »

Art. IV. De facultate binandi.

Summarium. 378. Praeter diem Nativitatis D. N. I. C. non licet bis in die Missam celebrare. Quandoque tamen id necessitas exigit; nempe cum unus parochus duabus parochiis praeest, vel cum parochiani eadem hora omnes simul convenire nequeunt, et nullus alius adsit sacerdos.

Quae necessitas olim rara, nunc alicubi frequentior est. – 379. Huiusmodi necessitas debet esse gravissima et talis, ut nulla plane ratione alius sacerdos inveniri possit. – 380. Insuper accedere debet licentia Episcopi, et haec minime generalis, sed in casibus particularibus. Episcopi ut agant tutius, non raro huius concedendae licentiae facultatem a S. Sede expostulant. – 381. Facultas Missae binandae ad dies reductos non conceditur a S. C. Conc. – 382. Nihilominus ob speciales circumstantias eadem S. Cong. in *Argentinen.* hoc indulsit. – 383. 384. Regula constans est, ut pro Missa iterata eleemosyna nullatenus accipiatur. Etiamsi ab aliquo pio loco persolvi consueverit. – 385. Aliquando indultum est, ut parochus Missam iteratam pro alio cum stipendio applicaret, habita ratione maioris laboris et incommodi ex eadem iteratione provenientis. – 386. De privilegio Lusitaniae et Hispaniae, ut sacerdotes in die Commem. Omn. Defunct. tres Missas celebrare possint. Aragoniae sacerdotes pro tertia Missa, ceteri pro secunda ac tertia eleemosynam accipere nequeunt. Licitum tamen est maiorem eleemosynam sponte oblatam in Aragonia pro secunda ac tertia, in ceteris regionibus pro prima Missa accipere. – 387. Referuntur casus expositi in casu *Salmantinae,* in qua tamen nulla consuetudinis ratio habita est, dubiaque resoluta sunt ad formam Constit. *Declarasti,* et declarationum a S. C. Conc. editarum.

378. Obvia cuivis est Ecclesiae disciplina, quae vetat, ne sacerdotes pluries quam semel in die Sacrum conficiant, excepto solemni die Nativitatis D. N. I. C. At vero aliquando necessitas intervenit, ut parochos binare, scilicet Missam eodem die iterare operteat. Id enimvero accidit, cum unus parochus duabus paroeciis praeest, vel duos populos valde dissitos regit, vel parochiani *eadem hora* ad Missam audiendam *una simul* convenire nequeant, et alioquin alius omnino sacerdos inveniri nequeat, qui secundam Missam celebrandam suscipiat, veluti diserte animadvertitur a Bened. XIV. in Constit. *Declarasti,* §. *Ea potissimum* in volumine III. sub num. 38. referenda. Praeteritis temporibus infrequens, ut plurimum, erat huiusmodi necessitas; at praesenti tempore ab exitu praesertim proxime elapsi saeculi, quo propter calamitosas rerum sacrarum subversiones sacerdotum numerus, e. g. in Gallia, Germania et Hispania plurimum imminutus est, et parochiae vel amplioribus finibus dilatatae, vel frequentiori animarum numero auctae, illud saepissime contingit, ut rectores a communi Ecclesiae disciplina deflectere, bisque uno die sacrificii celebrationem peragere debeant, quemadmodum colligere fas est ex relationibus Antistitum de statu ecclesiarum, necnon ex

supplicibus libellis, qui ad Apostolicam Sedem super hac re deferuntur.

379. Iamvero, ut parochis haec sacrificii iteratio liceat, non sufficit mera utilitas, aut quaecumque necessitas, sed ea quidem gravissima, quaeque ut plurimum in hoc accidit, ut nulla prorsus alia ratione detur sacerdotem invenire, qui alteram Missam celebret. Consulenda est in hanc rem modo dicta Constitutio, seu decretalis s. m. Bened. XIV. ad Episcopum *Oscensem* data die 16. Martii 1746. incip. *Declarasti*, in qua non sine multa eruditionis doctrinaeque copia hoc de Missa binanda argumentum exponitur, suisque regulis sapientissime firmatur. Adiri etiam potest discursus R. P. D. Secretarii S. C. Conc. in causa *Derthusen.* 17. Sept. 1768., qui habetur in *Thesaur. Res. tom. 37. pag. 208.*, ubi eadem materia fusiori calamo evolvitur et enucleatur. Novissime etiam S. Cong. Conc. in folio causae *Auxitanae VV. SS. LL.* die 28. Maii 1853. eamdem rem pertractavit, unaque retulit species causarum omnium, quae a Sacra Congreg. actae sunt super hoc argumento ab antiquiore tempore ad hanc nostram aetatem; idque eo consilio, ut comprobatum exploratumque foret, parochis facultatem fieri non debere Missae iterandae, nisi cum alius plane sacerdos praesto non sit, qui secundum Missae sacrificium peragat. Legatur hac de re instructio S. C. de Propaganda Fide, quam exhibebimus in vol. III. sub num. 43.

380. Quando vero plane constiterit, necessitatem, quam diximus, vere locum habere, non idcirco suo marte potest parochus binandi facultatem sibi arrogare: namque ex aperta declaratione Bened. XIV. *(loc. cit. §. Tui)* requiritur insuper Episcopi licentia, cuius iudicio relinquitur determinare, an iusta et vera necessitatis ratio in casibus peculiaribus intercedat. Neque indiscriminatim Episcopis hanc facultatem impertiri fas est, sed tantum ob veram in casu particulari necessitatis causam; ideoque personale binandi privilegium alicui parocho vel alteri sacerdoti elargiri minime possent; velut ab eodem Pontifice diserte inibi statuitur. Hinc est, quod Antistites ad S. Sedem recurrere soleant etiam ea de causa, ut iudicium tutius ac certius existat, quod vera et iusta necessitas subsit veniae, de qua agitur, elargiendae, ceu demonstrant complurima passim exempla, quae afferri possent. S. C. vero in suis resolutionibus, sive in respon-

sionibus ad relationes super statu ecclesiarum solemne habet, absolutam Benedictinae Constitutionis observantiam praecipere et urgere.

381. Quaeri posset, an binandi facultas concedi queat pro diebus e festorum albo dispunctis; at facilis negativa responsio subest, quandoquidem omnis necessitas exsulat cum audiendi Sacri praeceptum non urgeat. Et sane S. C. C. in *Lingonen.* 23. Ian. 1847. *per Sum. prec.* binandi facultatem coercuit ad festos tantum de praecepto. Vid. *Auxitanam* VV. SS. LL. mox cit. §. *Tandem.* Quin cum Episcopus Namurcen. S. C. R. exposuisset, a fidelibus suae dioecesis dies per indultum cl. m. Cardinal. Caprara d. d. 9. April. 1802. abrogatos uti festos observari, peteretque, ut sibi concederetur facultas permittendi iterationem Sacrificii illis sacerdotibus, quibus die Dominico, vel festo de praecepto hanc ille licentiam dare consueverat, retulit responsum: Non expedire, ut constat ex *Namurcen.* 11. Sept. 1841. apud Gardellin. num. 4932.

382. Nihilominus indulgentiorem se praebuit S. Congr. Conc. Episcopo Argentinen. die 17. Septem. 1859. *(Argentinen. Indulti, per Sum. prec.).* Cum enim ille S. Cong. retulisset, fideles suae dioecesis nonnisi aegerrime passuros Missae sacrificii auditione privari die primo anni in festo Circumcisionis, qui dies, quippe ab indulto Cardinal. Caprara abrogatus, non uti dies festus ecclesiasticus, sed mere uti festus civilis colebatur, Emi Patres, ut populi pietatem, qui nihilominus eum diem uti ecclesiasticum considerabat, quodammodo remuneraretur ac magis accenderet, facultatem dedit Episcopo permittendi parochis, qui diebus Dominicis et festis binandi iam potestate fruebantur, ut die Circumcisionis eadem uti possent *pro gratia ad quinquennium facto verbo cum SSmo,* qui S. Congregationis resolutionem plene approbavit. Anno 1878. die 24. Aug. hoc idem S. C. C. concessit pro pluribus festis et aliquibus aliis diebus, *pro gratia iuxta petita Archiepiscopi Turonen. et Episcopi Lingonen. ad quinquennium, facto verbo cum SSmo.* (Vide Acta S. Sedis vol. XII. pag. 232.–236.).

383. Quando parochus, aut alius sacerdos binandi facultate utitur, prohibetur omnino pro secundae Missae applicatione eleemosynam percipere: quam prohibitionem pro constanti ac generali regula servari, ostendit dicta Bened. XIV. Constitutio et disci-

plina S. Cong. Huiusmodi quaestionem formiter et accuratissime tractat folium causae *Cameracen. Miss. pro pop.* 25. Sept. 1858., ideoque in volumine III. sub num. 39. lectoribus exhibebitur, ut, quae ad eamdem pertinent, suis ipsi oculis inspiciant. In exitu eiusdem causae iuxta morem plura dubia prostant, quibus S. C. C. resolutionem iis, quae in folio expenduntur, consentaneam omni ex parte praebuit.

384. Neque vero parochus ad eleemosynam pro secunda Missa recipiendam excusare se posset ex eo, quod mos invaluerit, ut a pio aliquo sodalitio, vel praefecto fabricae ecclesiae peculiaris eleemosyna parocho retribuatur pro Missa diebus Dominicis vel festis de praecepto celebranda vel canenda, idque aliquando sine onere specialis applicationis. Cum enim huiusmodi casus adamussim intervenisset Episcopo Brixiensi, adeoque hic S. C. Conc. rogasset, an haec consuetudo saltem tolerari posset pro diebus festis, quibus offertur eleemosyna sine obligatione determinata applicationis, S. Cong. in *Brixien.* 3. Mart. 1855. *per Sum. prec.* edixit: « consuetudinem iuxta exposita esse reprobandam, et servandam » esse Constit. Bened. XIV. *Cum semper oblatas.* Vid. sequent. » *Treviren.* §. *In.* »

385. Aliquando potest permitti parocho secundam Missam celebranti, ut applicet pro alio stipendio, vel ad suam intentionem, qualis est causa in *Treviren. Eleemosyn. Miss.* diei 23. Mart. 1861. *per Sum. prec.*, in qua aliquam remunerationem ex titulo maioris incommodi recipi posse permissum fuit. Ibi enim Episcopus S. C. C. rogabat: « Utrum parochi, qui, ut menti fundatorum fiat » satis, diebus Dominicis et festis binam dicunt Missam, et pro » fundatoribus primissariarum (1) applicant, et in utraque Missa » instructionem catecheticam habent, salarium ex fundo primis- » sariarum pro peculiari labore percipere possint? 2. Utrum pa- » rochi, qui pro necessitate circumstantiarum diebus Dominicis » et festis, sive in ecclesia parochiali sive filiali dissita bis ce- » lebrant, tradita simul doctrina christiana, pro peculiari labore » et industria certum salarium a parochianis oblatum percipere » valeant? » S. C. Conc. rescripsit: « Posse permitti prudenti ar-

(1) Primissariae sunt beneficia et simplicia et curata, quibus provisum est, ut Dominicis diebus et festis, necnon et quibusdam feriis Sacrum celebretur primo mane.

» bitrio Episcopi aliquam remunerationem intuitu laboris et in-
» commodi, exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione Missae? »
Porro Episcopus subdebat alicui parocho non parum laboris et incommodi propter nives, frigora et aestus, necnon viarum asperitatem tolerandum esse, ut ad ecclesias filiales dissitas sese conferre posset in tempore.

386. Hic tamquam ad ornatum huius tractationis afferimus causam *Almerien. Eleemosyn.* 2 Mart. 1861. In regnis Hispaniarum et Lusitaniae in festo Commemorationis omnium Defunctorum singulis sacerdotibus ibidem commorantibus tres celebrare Missas concessum est, ut constat ex Constit. Bened. XIV. incip. *Quod expensis* diei 26. Aug. 1748. Iamvero cautum est in eo indulto, ut sacerdotes Aragoniae pro tertia Missa, ceteri omnes aliarum regionum pro secunda et tertia nullam plane eleemosynam, sponte licet oblatam, assequi possint. Quibus positis dubitabatur: « An sacerdotibus comprehensis in indulto, de quo agi-
» tur, prohibitum sit recipere pro prima Missa diei Commemo-
» rationis omnium fidelium defunctorum eleemosynam maiorem
» ea, quae a taxa synodali, seu a loci consuetudine praefinita
» fuerit, quamvis sponte oblatam in casu? » In magno diversa opinantium certamine S. Congr. suam sententiam rogata rescripsit: « Affirmative ».

387. Neque sine aliquo utilitatis fructu erit, nosse causam *Salmantinam VV. SS. LL.* novissime die 22. Februar. 1862. agitatam in S. C. Conc., cuius haec species erat: « Ducentae circiter
» (ita aiebat Episcopus) parocciae in hac dioecesi exstant, quae
» aliam ecclesiam filialem sibi adnexam habent, in qua parochus
» diebus Dominicis et festis per annum Missam secundam cele-
» brat, et circa hanc consuetudinem diversa dubia suboriuntur....
» Et primo animadvertere debeo, quod fidelium numerus iuxta
» has ecclesias commorantium valde varius est: in aliquibus sunt
» quinque aut decem, in aliis ducenti, in aliis sexcenti. Distantia
» a matrice modo ad milliarium non attingit, modo sunt duo,
» tria aut quatuor milliaria. » Exponebatur insuper, sacerdotum defectu laborari ob notas illius regni vices, itemque subsidia deesse ad clericos in iis ecclesiis alendos propter abolitionem decimarum subrogationemque annuae pensionis parochis tantum assignatae. Neque tandem elucebat, an illa populorum seu parocciarum unio dicenda esset mere subiectiva, aut potius exstin-

ctiva. Itaque quatuor haec concinnata sunt dubia: « I. Utrum » haec consuetudo secundam Missam celebrandi toleranda sit in » omnibus praedictis locis adnexis, ubi hic mos ita invaluit, ut » populus etiam ius ad illam exigendam existimet se habere? » II. Utrum parochus necessario debeat illam secundam Missam » applicare pro populo sicuti primam, vel liberam retineat illius » applicationem cum stipendio? III. Utrum licentiam dare queat » Episcopus ad illam secundam Missam celebrandam in casibus » similibus, et in locis, ubi talis consuetudo usque adhuc usu » non invaluit? IV. Utrum praesertim praedictam licentiam con- » cedere possit tempore collectionis messium, cum plurimi ope- » rarii in uno praedio, seu villa concurrant, qui certe Missam » non audirent, nisi parochus secundam in eo loco diceret ex » eo, quod alius sacerdos ad illam dicendam haberi non possit? » S. Cong. rescripsit: « Ad I. et III. affirmative, iudicio Episcopi, » nulla habita ratione consuetudinis, et quatenus in unoquoque » casu concurrant circumstantiae necessariae ad formam Con- » stitut. Benedictinae et declarationis S. Congreg. diei 14. Octo- » bris 1843. relatae in *Cameracen. Miss. pro pop.* 25. Sept. 1858. » Ad II. Dentur resolutiones in *Cameracen.* 25. Septembr. 1858. » Ad IV. Provisum in praecedentibus. »

APPENDIX.

Recentiora quaedam decreta de binatione.

1. Data resolutione diei 23. Martii 1861. Episcopus N. ex Hispania quaesivit: « An parochis Missam alteram fundatam *ap-* » *plicare* et integros primissariae reditus exiguos pro *applica-* » *tione* simul et intuitu laboris et incommodi (in specie pro divini » verbi praedicatione) percipere liceat absque obligatione dictam » Missam fundatam die feriali pro fundatoribus applicandi; an » reditus fundatae primissariae stipendio manuali seu eleemosy- » nae in dicto decreto exclusae congruant, et ideo altera die pro » fundatoribus Missa applicanda sit?

» Cum eiusmodi fundationum exigui reditus plurimis in locis » et ad compensandos simul peculiares labores et ad solvendum » stipendium pro fundata Missa altera die applicanda minime » sufficiant, et sacerdotes his in regionibus haud raro tam paupe- » res sint, ut Missam hebdomadariam gratis applicare nequeant,

» nec incolae ipsi ex propriis, quantum oporteret, tribuere va-
» leant, hinc Sanctitatem Tuam humillime et enixe rogo, ut
» pro dioecesi N. concedere dignetur, ut sacerdotes, qui facultate
» binandi gaudent, reditibus primissariarum pro fundatoribus bi-
» nando applicantes in pace fruantur. »

S. C. C. perpensis Episcopi precibus in comitiis habitis die 29. Aprilis 1871. rescribendum censuit: « Prout exponitur, Nega-
» tive; et in casibus particularibus recurrat pro translatione et
» reductione Missarum, quatenus opus fuerit. » (Acta S. Sedis vol. VI. pag. 527.)

2. Episcopus N. suis literis per S. C. C. SSmo Patri datis ea, quae sequuntur, exposuit:

« In mea dioecesi et adiacenti (quae dioecesis adiacens sub-
» est S. Congregationi de Propaganda Fide) existit pia quaedam
» sodalitas sacerdotum et laicorum, quae dicitur *pactum Maria-*
» *num*. Sodales huius pacti obligantur pro requie cuiuslibet de-
» functi sodalis quamprimum post obitum eiusdem unum Sacrum
» celebrare, vel curare, ut celebretur. Quamplurimi sacerdotes cu-
» rati meae dioecesis huic pacto adscripti sunt, inter quos non
» pauci, qui in suis parocciis ob necessitatem moralem iuxta au-
» ctoritatem Apostolicam in diebus Dominicis et festivis binam
» celebrant Missam. Quum vero iidem per annum permultas Mis-
» sas fundatas non minus quam erga stipendium oblatum expe-
» titas ex officio celebrare obligentur, atque pauci restent dies,
» quibus obligationi supradictae, quam pactum Marianum infert,
» applicando pro defunctis ex pacto satisfacere possint, quumque
» ob tenues beneficii sui reditus grave atque difficile ipsis sit,
» erga stipendium oblatum curare, ut ab aliis sacerdotibus Missae
» debitae celebrentur, hinc magnopere optant, ut ipsis liceat in
» diebus Dominicis et festivis, in quibus unam Missam pro po-
» pulo ex officio applicant, aut, qui non sunt parochi, applicando
» speciali alii obligationi satisfaciunt, alteram Missam pro defun-
» cto quodam ex pacto, cui adscripti sunt, applicare. Quod cum
» nonnisi ex indulto Apostolico ipsis licere videatur, infrascriptus
» Episcopus pro sacerdotibus ad meam dioecesim pertinentibus,
» qui pacto illi adscripti sunt, aut in posterum adscribentur,
» quos haec res concernit, humillime Sanctitatem Tuam, ut in-
» dultum hoc concedere gratiosissime dignetur, rogo. Eo magis
» confido, fore, ut haec gratia mihi benignissime conferatur, quum

» eadem Rvm̃us Episcopus L. (adiacentis dioecesis) gaudeat sibi
» collata. »

Precibus cum animadversionibus ex officio coram S. Congr. propositis die 29. Aprilis 1871. re de more disceptata rescriptum prodiit:

« In casu peculiari, de quo agitur, supplicandum SSm̃o pro
» gratia ad decennium. » (Acta S. Sedis vol. VII. pag. 69.)

3. Episcopus R. supplici libello Sacratissimum Principem adiit, exquirens: « utrum sacerdos, qui diebus Dominicis et festivis se-
» cundam Missam pro populi necessitate celebrat, nullam acci-
» piens eleemosynam, nec proinde ullum aliquatenus ex appli-
» cata altera Missa percipiens speciale emolumentum, possit huius
» Missae fructum applicare personae, quae ad illam celebrandam
» fabricae dedit certam pecuniae summam cum hac conditione
» apposita. Animadvertendum quod, nisi benefactor summam
» praedictam elargitus fuerit, onus incumbit ipsi fabricae ex
» propriis expensis eamdem pecuniam veluti laboris ac mole-
» stiae compensationem solvendi sacerdoti, qui propterea non
» minus percipit in posteriori casu, quam in priori. Nam in priori
» commodum proficit soli fabricae, non autem sacerdoti, qui ta-
» men Missam veluti pro quadam pia fundatione celebrat. »

S. C. C. sub die 1. Aprilis 1876. causa cognita, respondere censuit: « Non licere. »

4. Episcopus N. in Gallia exposuit, ab anno 1842. institutam fuisse in sua dioecesi sacerdotum Congregationem S. Iosephi, indulgentia a S. Sede ditatam, cuius sodales semel pro unoquoque sacerdote confratre defuncto Missam celebrare debent. Sacerdotes, quibus binare concessum est diebus Dominicis et festis, secundam litarunt Missam pro defunctis confratribus, arbitrantes, id se facere posse tuta conscientia. Attamen cum dubium exortum fuerit circa eiusmodi agendi modum, Ordinarius quaesivit:

« An Missa binationis offerri possit, ut in casu, pro defun-
» ctis confratribus? »

S. C. C. visis videndis sub die 14. Septembris 1878. respondere censuit: « Licere. » (Acta S. Sedis vol. XI. pag. 283.)

« XII. An, et quae praemittantur, antequam quis ad primam
» tonsuram et minores Ordines admittatur, et an sacris Ordini-
» bus initiandi ante cuiuscumque Ordinis sacri receptionem, piis

» meditationibus, vulgo spiritualibus exercitiis, vacent per aliquot » dies in aliqua domo religiosa? »

388. Quoniam ex Apostoli monitu *nemini cito manus imponendae sunt,* Bened. XIII. in sua Instructione merito S. Congreg. ab Episcopis edoceri praescribit, an, quae per sacros canones sancita sunt, praemittantur, antequam aliquis vel ad tonsuram, vel minores maioresque Ordines admittatur. Iamvero nonnemo videt, in hac quaestione respectum haberi ad inquisitionem seu examen, quod quilibet Episcopus de ordinandorum qualitatibus praemittere tenetur, ut certus esse possit, quod is, quem ipse ordinaturus est, neque indignus, neque ineptus ad Ordinem, quem exoptat, suscipiendum reperiatur. Quae vero sint huiusmodi qualitates, quaeque sint controversiae easdem respicientes, nimis longum contra instituti nostri rationem foret edicere, sed et insuper inutile hic persequi arbitramur; quandoquidem cuique in promptu sunt sanctiones in iure canonico ad *Cap. de aetate et qualit. ord. praef. lib. I. tit. XI.* et ab interpretibus abundanter expositae, adiectis iis, quae a Conc. Trid. et a Sacris Congregationibus almae Urbis sancita declarataque sunt. Pronum est insuper Episcopis ea consulere et sequi, quae Bened. XIII. praescripsit in Conc. Rom. anni 1725. *Tit. IV.* necnon in Constit. *In supremo (a §. 1. ad 7.),* quam Innoc. XIII. Constit. *Apostolici ministerii* confirmavit, et omnibus Episcopis uti normam pro tuenda Ecclesiae disciplina enixe commendavit. Id vero eo magis, quod ipse Pontifex in hoc et sequentibus Benedictinae instructionis capitibus ad eam alludere manifesto colligitur. Haec Constitutio legitur in volumine III. sub num. 31.

389. Duo capita singulatim exponenda sumuntur, unum de titulo sacrae ordinationis, alterum de sacris exercitiis.

Art. I. De titulo sacrae ordinationis.

Summarium. 390. Necessitas tituli s. ordinationibus a Trid. Patribus praestituta, ab Innoc. XI. enixius inculcata est. – 391. Verus et praecipuus ordinationis titulus est unice beneficium. Pensio autem et patrimonium non admittitur, nisi ex dispensatione. Quae dispensatio non est concedenda nisi ob necessitatem et utilitatem Ecclesiae. – 392. In qualibet dioecesi exstat praestituta taxa, quae congruae sacerdotis tuitioni sufficiat. – 393. Si quis ordinatur titulo beneficii, quod praedictam taxam

non exaequet, supplendi facultas datur ex bonis patrimonialibus. – 394. Circa quaestionem, an deducenda sint onera Missarum ex beneficiis, S. C. Conc. definivit in *Ariminen.*, relinquendum arbitrio et prudentiae Ordinariorum. – 395. Recolenda sunt, quae circa hanc declarationem subdit Bened. XIV. – 396. Capellaniae ecclesiasticae vel saeculares quando sunt amovibiles ad nutum, titulum ordinationis ob defectum perpetuitatis constituere nequeunt. – 397. 398. Aliter est, si per eos, qui nominandi ius habent, data fide in forma iuris valida, de nunquam amovendo capellano promissio fiat. – 399. Capellaniae licet laicales, si perpetuae sint, constituere possunt titulum sacrae ordinationis. Attamen habentur, ut titulus patrimonialis, non vero beneficialis. – 400. Huic rei confirmationem addunt sacra patrimonia a fundatoribus ad hoc relicta, quorum frequens usus occurrit. – 401. S. C. Conc. fundationem quorumdam patrimoniorum approbavit cum clausula, ut eorumdem possessores ipso facto eadem deperderent, si dioecesim sine Episcopi licentia relinquerent. – 402. 403. Portiones, seu participationes in ecclesiis receptitiis ordinationis titulum praebent, si conditiones accedant a Pignatello descriptae, et a S. Cong. Episc. et Regul. approbatae. Monacelli contraria sententia conciliatur. – 404. Iuxta haec quomodo providendum mandavit S. Cong. Conc. in casu nuperrimae *Mediolanen.*, punctim refertur. – 405. Ut renuntiatio beneficii, capellaniae vel portionis valida sit, requiritur, ut renuntians concludenter demonstret, se satis habere, ex quo aliunde commode vivat. Pro hac demonstratione non sufficit confessio licet iurata. – 406. Ut quis privetur beneficio tum cum iura praescribunt, impedimento non est, quod beneficium pro titulo ordinationis constitutum fuerit. – 407. Pensio praeterquamquod subventioni iuxta taxam sufficiens esse debeat, perpetua insimul sit necesse est ad constituendum ordinationis titulum. – 408. A taxa synodali iuxta sententiam Honorantis Episcopus dispensare non potest, dummodo de re minime gravi agatur. Taxa synodalis augeri non potest. In ordinationibus taxa synodalis attendenda est, quae viget in loco, ubi quis ordinatur, non ubi beneficium, aut bona patrimonialia sita sunt. Patrimonium vero in bonis certis, stabilibus, ac frugiferis constitui debet. Census titulo patrimoniali praebendo idoneus est, si conditiones accedant a S. C. Conc. praescriptae in *Nullius* 21. Iun. 1629. Item officium vacabile. – 409. Ad formam huiusmodi dispositionum S. C. Conc. nuperrime approbavit subrogationem census in locum participationis pro titulo constitutae. – 410. Patrimonium constituere possunt bona in forma iuris valida donata et inalienabilia in hunc finem effecta. – 411. Item obligatio (dummodo non personalis, vide infra n. 419.) persolvendi quotannis summam iuxta taxam synodalem, modo sit legitime emissa, et per bona stabilia in tuto posita. – 412. Referuntur speciales quidam casus, in quibus titulus ordinationis in bonis patrimo-

nialibus reputatur uti fictitius, et cum fraude constitutus, adeoque nec legitimus, nec iuri canonico congruens, nempe: Quando quis ordinatur cum fructibus vel in parte, vel in toto ad alium pertinentibus, vel cum bonis redimendi pacto subiectis, vel quando intercedit pactio, ut constituens fundorum possessionem retineat, et ordinatus nullos, vel non omnes fructus recolligat. Quando pater in detrimentum aliorum filiorum omnia bona sua in efformandum patrimonium renuntiat, quando pater unicum habens filium omnia sua bona, addita conditione, ut vitae necessaria sibi ne desint, in eamdem causam cedit, nisi probetur, quod, bonis ipsius vitae necessariis deductis, reliquum ad ordinandi sustentationem sufficiat. – 413. Ordinans scienter cum patrimonio fictitio, vel insufficienti ordinatum alere tenetur, donec provisus fuerit, sed suspensionem non incurrit. Ordinatus in fraudem Episcopum adducens ipso facto in suspensionem incidit. – 414. Constituens patrimonium fictitium potest citari et damnari ad fructus patrimonii reapse solvendos, tametsi adsit ordinati promissio etiam cum iuramento, quod iste nihil recepturus esset. Item quamtumvis ordinatus ex industria sua personali sustentationem sibi pariat. – 415. Nihil vetat, quod bona patrimonio addicta in aliena dioecesi posita sint. – 416. Patrimonium constituere nequit futura patris haereditas. – 417. Neque personalis ordinandi industria. – 418. Item nec mobilia, nec semoventia. – 419. Neque obligatio personalis cuiuscumque personae, etiamsi ageretur de Episcopo, et hypotheca omnium bonorum muniretur, non obstante consuetudine. Ratio est, quia, ea deficiente persona, deficit ac resolvitur obligatio. – 420. 421. 422. De bonis patrimonialibus sine Episcopi licentia disponi minime potest, et Episcopus licentiam dare nequit, nisi congrua subrogatio fiat, adeoque bona patrimonialia nec alienari, nec remitti, nec permutari, nec renuntiari queunt. Alienationes sine Episcopi licentia, item et remissiones, permutationes ac renuntiationes nullae sunt. Patrimonia cum conditione: *donec quis provideatur,* non amittunt patrimonii privilegium, nisi accedat subrogatio valide peracta. – 423. Ordinatus non potest bona patrimonialia sponsione vel fideiussione obligare: si obligaverit, non licet creditori capere ultra id, quod ordinato superest non laute, sed tenuiter vivendo. Licet vero accipere in solutum, et vendere ius ex promoti haereditate ipsi creditori competens. – 424. Neque idem potest eadem bona cedere in emphyteusim sine licentia Episcopi. – 425. Neque item potest proprietatem alienare, reservato quamtumvis sibi usufructu. – 426. S. C. Conc. gravibus intercedentibus causis super tituli necessitate dispensat. Cuius rei plura vetera et recentia numerantur exempla in *Brugen.* Haec tamen indulta numquam indeterminata vel indefinita concessit. – 427. S. C. Conc. in dicta *Brugen.* novam quamdam ab Episcopo excogitatam rationem patrimoniis sacris subrogandam approbare abnuit,

sed in casibus peculiaribus providendum fore decrevit. – 428. Regulares gaudent privilegio, ut ad titulum paupertatis ordinentur. At religiosi vota simplicia nuncupantes huiusmodi privilegio non fruuntur. Si secus fiat, poenis a S. Pio V. Constit. *Romanus Pontifex* constitutis subiiciuntur, et ordinati inhabiles et irregulares declarantur.

390. Ut sacerdotes cum Ordinis dedecore mendicare non compellantur, et via claudatur artibus ac fallaciis fictum sustentationis titulum confingentibus, Tridentina Synodus *Sess. 21. cap. 2. de Reform.* providentissime praescripsit, ne quis clericus ad Ordines promoveatur, « nisi prius legitime constet, eum beneficium » ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice » possidere... Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordi- » nari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus iudicaverit » assumendos pro necessitate, vel commoditate ecclesiarum sua- » rum... etc. » Saluberrimam huiusmodi sanctionem, progressu temporis alicubi neglectam, enixe revocavit, ac gravissime observari praecepit s. m. Innoc. XI. Literis encyclicis ad singulos Episcopos per S. C. Conc. die 13. Maii 1679. datis. Mandavit enim, ut Episcopi memoratum Conc. Trid. decretum « sancte custodiant, » sciantque non aliter ordinandum ad titulum patrimonii vel pen- » sionis, nisi cum ecclesiae necessitas vel commoditas ita exigit: » qua in re prudens Episcopi timoratumque iudicium versari » debet. »

391. Ex his colligit S. Congr. Conc. in *Suanen.* 28. Iul. 1838. §. *Iamvero, Brugen. Tit. S. Ord.* 24. Aug. 1850. §. *Ex his, Mediolanen.* 3. Mart. 1855. §. *Ex quibus,* etc., beneficium ecclesiasticum esse titulum ordinationis verum et praecipuum; patrimonium vero, vel pensionem ex causa dispensationis dumtaxat admitti; quocirca subditur iisdem locis cum Fagnano ad *Cap. Episc. de praeb.*. dispositionem *Cap.* Tuis *eod. tit.* fuisse correctam in ea parte, qua indiscriminatim concedebatur, ut aliquis ad patrimonii vel beneficii titulum ordinaretur. Hinc ex titulo patrimonii, vel pensionis nemo unquam ordinari debet neque ad solatium parentibus offerendum, aut pietatem excitandam, nisi vel necessitas vel utilitas ecclesiae insuper accedat. Nam cum Archiepiscopus Urbinas animadverteret, privilegium *extra tempora* in diplomate Pontificio ita incipi solere: « Ut parentibus tuis so- » latio esse possis, et fervore devotionis accensus extra tempora... » promoveri possis, concedimus etc. » dubitavit: « An vigore Bre-

» vium huiusmodi possit quis promoveri ad titulum patrimonii, » non obstante, quod non concurrat ecclesiae necessitas vel com- » moditas, dum causa motiva concessionis videtur solatium pa- » rentum? » S. C. Conc. die 9. Sept. 1679. *(lib. 30. decret. pag. 400. et seq.)* respondit: « Negative. » Vide Bened. XIV. *Inst. eccl. 26. num. 3.*, unde haec declaratio exscripta est.

392. Speciatim de tribus illis titulis, beneficii scilicet, pensionis et patrimonii ecclesiastici acturi, de beneficio, quod primo loco sese offert, ea tantum attingemus, quae ad materiam, in qua modo versamur, spectare arbitrabimur. Et primo quidem, quod ad eius sufficientiam et integritatem pertinet, scitum est, in qualibet dioecesi vel ex consuetudine, vel ex dispositione dioecesana praestitutam esse taxam, quae annuae sacerdotis tuitioni satis esse reputatur, veluti notat Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. XII. cap. 9. n. 1.*

393. Si quis beneficium obtineat, quod taxae dioecesanae minime respondeat, quando ecclesiae necessitas vel utilitas accedat, potest ordinari, dummodo id, quod beneficio deest, ex privato patrimonio suppleat. Namque S. Congr. Conc. in *Sypontina* Octobris 1589. (quam habes penes Bened. XIV. *Instit. eccl. 26. n. 10.*) rogata: « An clericus alioquin idoneus habens beneficium insuf- » ficiens per se, sed, qui, iuncto patrimonio, habeat, quod suffi- » ciat ad honestam vitae sustentationem, posset promoveri? » S. C. respondit: « Posse, iuxta formam Conc. Trid. »

394. Cum beneficiis, ut plurimum, inhaereat onus celebrationis Missarum, olim acriter disceptabatur, an in computatione taxae patrimonii subduci deberent onera Missarum, necne. Sed omnem dubitationem hac in re diremit S. C. Conc. in *Ariminen.* 17. Iul. 1723. post doctissimum discursum R. P. D. Secretarii Lambertini *(Thesaur. Res. tom. 2. pag. 214.)* necnon scripturas advocati Ursaia *(l. c. pag. 338.)*; namque accuratissime discusso dubio: « An a beneficio, seu capellania, ad cuius titulum quis » intendit ad sacros Ordines promoveri, detrahenda sint onera » Missarum eidem adiecta, quando beneficiatus non tenetur eas » per seipsum celebrare, vel potius, oneribus Missarum non de- » tractis, sive illae celebrandae sint per seipsum, sive possint ce- » lebrari per alium, faciendus sit calculus omnium fructuum pro » constituenda summa synodali constitutione, vel regionis more » requisita pro sacris Ordinibus suscipiendis? » S. C. respondit: « Esse relinquendum arbitrio et conscientiae Ordinariorum. »

395. Ad moderandum vero prudens Episcopi arbitrium conferre possunt ea, quae post hanc relatam declarationem addit Bened. XIV. *Instit. eccl. 26. n. 6.* « Si quis nobis suspicionem » iniiciat, ordinandum sine debito cultu ac religione ad rem di- » vinam accedere posse ob eam causam, ut simul oneribus be- » neficii satisfaciat, nullisque emolumentis destituatur, tunc sane » eorum (doctorum) opinionem complectemur, qui, subductis an- » tea Missarum oneribus, beneficii proventus constituunt. *De ce- » lebratione Missae* (inquit Cardinal. Bellarminus, cum ad Episco- » pum Theani, nepotem suum, scriberet) *faciunt artem de pane » lucrando, unde sacerdotium contemptibile redditur, et Ecclesia » scandalis patet.*» Vide *Interamnen.* 11. et 25. Ianuar. 1783.

396. Non desunt aliquando beneficia ecclesiastica, in quibus, ut alias vidimus, ad nutum ex lege fundationis rector potest amoveri; idem, at multo frequentius, accidit de capellaniis mere laicalibus, in quibus videlicet canonicum erectionis decretum locum non habuit, adeoque non sunt vera beneficia, sed mere legatis piis communiter accensentur. Iamvero de utrisque dubitari non posse videtur, quod ex defectu perpetuitatis canonicum ordinationis titulum praebere nequeant, et ita definivit S. C. Conc. in *Tiburt. Cappellaniae* 14. Iun. 1710. *(lib. 60. decret. pag. 239.)* cum doctoribus allegatis ab eadem S. Cong., in *Pient.* seu *Ilcinen. Ord.* 18. Iul. 1733. §. *His positis.* Cfr. *Vestana* seu *Syponina* 11. Maii 1720., in qua res erat de mansionaria Vestanae cathedralis, et S. C. C. sui iudicii, quod prolatura erat, normam ex hac inspectione desumendam esse significavit, an qualitas mansionariae esset perpetua, vel ad nutum amovibilis.

397. At vero si patronus, aut alius quilibet, cui nominatio beneficiati vel capellani competit, data Episcopo rite fide in forma iuris valida polliceatur, sese beneficiatum vel capellanum, quoad vixerit (hic nempe, non patronus), vel quoad aliter de congruo titulo provideatur, a beneficii vel capellaniae possessione amoturum non esse, ita ut titulus ex precario ad effectum, de quo agitur, perpetuus efficiatur, tum beneficium illud, vel capellania in usum patrimonii sacri potest admitti, veluti animadvertit Benedictus XIV. *Inst. eccl. 26. n. 9.*

398. Monacellus *Tit. 13. form. 3. n. 17.* haec tradit hac super re: « Item S. C. Conc. aliquando dispensat ob penuriam sacerdo- » tum, vel paupertatem locorum, ut quis possit promoveri ad ti-

» tulum capellaniae amovibilis, dummodo sit reditus sufficientis » pro victu, accedente obligatione valida nominare debentis de » non removendo ordinando, durante illius vita, prout indulsit » in una *Mutinen.* 11. Decemb. 1690. et in *Eugubina* 17. Apri- » lis 1706., et *S. Cong. Episc. et Regul.* facto verbo cum SSmo » in *S. Agathae Gothor.* 17. Octob. 1617. Hodie tamen huiusmodi » dispensationes frequentius expediuntur per Datariam Apostoli- » cam, quas officiales vocant *expeditiones ad vitam.* »

399. Inter capellanias laicales adsunt pleraeque, quae non sunt amovibiles ad nutum, sed in perpetuum conferuntur, videlicet donec vitae usura capellanus perfruatur, nec propterea sine iusta causa eidem capellano possunt auferri. Quaeritur itaque an titulum ordinationis praebere queant. Negat Monacellus *Form. Leg. App. ad p. 3. Instr. 8. n. 11.* contra Morinum; et ratio est, quia cum huiusmodi capellaniae non sint vera beneficia, hinc non possunt inservire ad hoc, ut quis titulo beneficii cum iisdem capellaniis ordinetur. At vero licet beneficii titulum eae capellaniae constituere nequeant, nihilominus poterunt saltem constituere titulum patrimonii ita ut, qui cum iis ordinetur non titulo beneficii, sed titulo patrimonii ordinatus dici debeat. Quam quidem conclusionem recipit, et amplectitur ipse Monacellus *loc. cit. n. 16.*, ait enim: « Una concluditur, eos, qui tales capellanias vitalitias » obtinent, ordinari non tamquam ad titulum beneficii, sed tam- » quam ad titulum patrimonii, ut dicit Ventriglia in *Praxi P. I.* » *adnot. 42.* §. *1. n. 4.* »

400. Confirmari haec sententia potest exemplo fundationum illarum, quae appellantur *patrimonia sacra*, quaeque a testatoribus institutae sunt, ut certo cuidam personarum coetui adiudicentur ad sacros Ordines suscipiendos, qualis erat ea, de qua agebatur in *Ravennaten. Patrim. sacr.* 19. Iul. 1783. In ea siquidem haec, quae sacris hisce patrimoniis communiter inhaeret, conditio adiecta erat, ut capellanus, ubi primum aliter provisus foret, capellaniae iure excideret, et sic alterius capellani nominationi fieret locus iuxta legem fundationis. Itaque cum Andreas Cignani, qui ad illud sacrum patrimonium nominatus fuerat, et per illud ad Ordines ascenderat, parochialem quamdam ecclesiam adeptus fuisset, S. C. Conc. definivit, locum esse novae nominationi favore Raphaelis Cignani, tametsi Andreas propugnaret, ecclesiam noviter adeptam parochialem centum scutatorum con-

gruam non pertingere; alioquin vero taxam synodalem nedum aequabat, sed superabat.

401. Quod pertinet ad haec patrimonia sacra, sciendum est, quod Montispolitiani Episcopus, ut sacrorum ministrorum, et titulorum ordinationis defectui congrue prospiceret, nonnulla sacra patrimonia suo aere erigere cogitavit, addita tamen praeter alias hac clausula, ut iis patrimoniis ipso facto privatus esset quisquis absque Ordinarii licentia dioecesim relicturus esset. S. C. de huius clausulae approbatione consulta respondit ad dubium: « An » et quomodo conditio sit approbanda in casu? – Affirmative in » omnibus, iuxta preces.» *Montispolitiani* 21. Iul. 1821.

402. Habita ratione rei, de qua agitur, portiones, seu participationes, quas ex alicuius ecclesiae, praesertim receptitiae reditibus percipiunt ii, qui eidem adscripti sunt, canonicum ordinationis titulum afferre possunt. Licet enim Monacellus *Tit. 13. form. 3. n. 8.* negativam sententiam ferat, adducta in rem S. C. Conc. declaratione in una *Marsicen.* 16. Maii 1682. *(lib. 32. decret. pag. 273.)*, nihilominus aliter statuendum est, dummodo accedant conditiones, quas ex Pignatello *Constit. tom. 5. can. 77. n. 34.* colligimus. Ut enim eaedem portiones legitimi ordinationis tituli censeantur, auctor ille requirit, « quod reditus sint fundati » super rebus stabilibus et tutis; quod numerus participantium » sit certus, et pars cuique contingens tanta, quae sufficiat ad » congruam sustentationem; quod taliter ordinati intelligantur » obligati illi ecclesiae tamquam beneficiati eiusdem: quod per» mitti possint ad celebrandum, licet patrimonium amiserint per » antiqua debita; quod iis sufficiens seu congrua pars negari » non possit, donec vixerint, modo velint inservire; quod illis » detur adinstar distributionum quotidianarum, etiam quando » sunt impediti servire sine propria culpa, puta propter infirmi» tatem etc., secus si voluntarie absint, etiam studiorum causa.» Et ita de mandato s. m. Clement. VIII. saepius S. C. Episc. et Regul. rescripsisse prosequitur in plurimis, quas citat, declarationibus.

403. Subinde refert decretum Sixti V. diei 28. Febr. 1590., quod ex italo sermone versum ita se habet: « Quod, non ob» stante eius constitutione, et sine incursu in poenas ibidem con» tentas, possint Episcopi promovere clericos adscriptos ad par» ticipationem massae communis alicuius ecclesiae, dummodo isti

» permaneant servitio mancipati, et participatio sit in fructibus » bonorum stabilium, et redituum certorum tutorumque, quique » satis sint congruae eorumdem sustentationi: ita tamen, ut pro- » portionatus redituum numerus praefiniatur, qui excedi nequeat, » ac promovendi pro eo tempore, quo de massa participare non » poterunt, securitatem pro alimentis obtineant ope publici con- » tractus. » Idemque saepius censuisse testatur S. C. Conc. praesertim in *Melphicten. Ord.* 27. Aug. 1593. Quae cum ita sint, sententia Monacelli, ac declaratio ab eodem allegata intelligenda est hoc sensu, quod conditiones hactenus recensitas in eadem nequaquam concurrere iudicatum fuerit.

404. Quae modo retulimus, in causa fuisse visa sunt, cur in *Mediolanen. Tit. sac. ord.* 3. Mart. 1855. a S. C. Conc. praescriptum fuerit, ut separatae constitui deberent capellaniae iuxta taxam dioecesanam ex cumulo quindecim millium libellarum quotannis ex quadam pia causa obvenientium, quae in totidem patrimonia sacra erogari debebant. Ceteroquin antea invectum fuerat, ut indeterminatus sacerdotum numerus ultra causae piae vires ad eum titulum a patronis nominatus fuisset, et a curia indiscriminatim exceptus.

405. Qui alicuius beneficii, capellaniae, vel participationis titulo ordinatus fuerit, renuntiationem beneficii, capellaniae, vel participationis ipsius non potest emittere, nisi palam declaret, se illius titulo ad Ordines assumptum fuisse. Ordinarius autem renuntiationem huiusmodi in acceptis habere non potest, nisi antea sibi constiterit, ordinatum satis aliunde habere, quod ad honestam eius sustentationem sufficiat: aliter enim frustra et inaniter renuntiatio fieret. Adeatur Bened. XIV. *Inst. eccl. 26. n. 31.*, ubi refert declarationes in *Lancianen.* 9. Febr. 1726., in qua disceptabatur: « An constare debeat per probationes concludentes, » resignantem habere, quo commode vivere posset, » respondit: « Affirmative. » Addebatur alterum dubium ita conceptum: « An » haec probatio censeatur adimpleta per solam confessionem iu- » ratam resignantis? » S. C. respondit: « Negative. »

406. « Ordinati ad titulum beneficii si delinquant, (ita Mo- » nacell. *loc. cit. tit. 13. form. 3. n. 22.*) vel non resideant, vel » aliud demeritum habeant, possunt, servatis servandis, beneficiis » privari, non obstante quod ad eorum titulum promoti fuerint, » aut loco patrimonii subrogatis, ut pluries declaravit S. Congr.

» Conc., et in specie in *Firmana* 30. Maii 1665. *(lib. 24. decret.* » *pag. 496), Romana* 18. Martii 1684. *(lib. 34. decret. pag. 70.),* » et *Vercellen.* 15. Dec. 1690. »

407. Ad titulum pensionis gradum facimus, super qua animadvertimus cum S. C. Conc. in *Suanen. Tit. s. ord.* 28. Iulii 1838. §. *Hinc etiam,* « eam nedum ad congruam clerici alimoniam suf- » ficere debere, sed et perpetuam requiri, ut validum tribuat » ordinationis titulum, ad vitam nempe ipsius pensionarii pro- » movendi duraturam tradunt Rigant. in *Reg. 24. Canc.* §. *5.* » *n. 153....* Atque adeo inferunt, quod pensio ab Episcopo favore » clerici super aliquo beneficio reservata pro canonico ordinationis » titulo non sufficiat, quia nimirum ea nequeat esse perpetua, » sed pendeat illius duratio a vita titularis, qui pensionario prae- » cedere potest. » Itaque, ut colligitur ex eadem *Suanen.,* cum Coelestinus Minichetti plebanus clerico Torlai fructus beneficii simplicis, quod praeter paroeciae ac divitis domus suae reditus, quibus commodam satis vitam agere valebat, possidebat, in causam tituli ordinationis, donec aliter provideretur, renuntiare vellet, retento beneficii titulo reservataque sibi fructuum parte, quae dioecesanam taxam excederet, in S. C. Conc. dubium propositum fuit: « An admittendus sit titulus ordinationis in casu? » S. C. rescripsit: « Negative. »

408. Super canonica patrimonii (1) constitutione, de qua tertio loco agendum superest, notandum primo est, quod in qualibet dioecesi taxa synodalis statuta exstat (prout modo vidimus), quae sufficiens habeatur ad congruam ordinando sustentationem constituendam. Iamvero licet Episcopus dispensare possit in legibus synodalibus a se vel a suis antecessoribus factis, nullatenus potest dispensare ad hoc, ut patrimonium possit esse minus, quam taxa memorata praescribit, ut sentit Honorantes *Prax. Secr. Tribun. Vic. Cap. 8. Nota decimo pag. 93.;* quamvis idem auctor *loc. cit. Nota undecimo* firmet, hac in re dari parvitatem materiae ita ut si modicum taxae synodalis deficeret, modica esset culpa, non gravis, adeoque nec poena gravis contrahenda esset. Ratio vero, cur Honorantes existimet, Episcopum non posse huiusmodi di-

---

(1) Ex quadam resolutione S C. Conc. (sine die et anno) relata in *Analectis Iuris Pontif.* 1867. pag. 635. cum titulo *Romana* colligitur a Summo Pontifice pro *Urbe* decretum fuisse, ne quis omnino titulo patrimonii ordinetur.

spensationem elargiri, haec est nimirum, quod non solum in fraudem esset huius legis, sed quia Summus Pontifex (Innoc. XII.) in praefata Constitutione (nempe *Speculatores*) iubet computum fieri iuxta taxam dioecesanam vel consuetudinem, et sic virtualiter adimit Episcopo facultatem dispensandi, seu potius arbitrandi suo modo, licet pro una vice tantum.

Quin imo taxa synodalis nequit augeri, veluti definitum fuisse a S. C. Conc. in *Senogallien.* 27. Iun. 1705. refert Honorantes *l. c. cap. 3. pag. 45.* Hic auctor adnotat, hanc resolutionem negativam datam esse ad evitandas Principum innovationes ratione exemptionis huiusmodi bonorum, cum bona pro patrimonio assignata olim habebant maiorem exemptionem a publicis vectigalibus, quam bona simplicium clericorum.

Circa taxam synodalem non est praetereundum, quod attendenda sit ea, quae vigeat in loco, ubi quis ordinatur. Itaque, si, e. g. clericus Romanus ordinandus sit titulo beneficii erecti in dioecesi Alatrina, non taxa Alatrinae dioeceseos, sed ea, quae pro Romanis constituta est, erit attendenda, prouti punctim declaravit S. C. C. in *Alatrina* 9. Iulii 1701., quam per extensum affert Honorantes *loc. cit. Cap. XV. pag. 157. et 158.* ac praecipit Conc. Rom. anni 1725. *Tit. 6. cap. 4.*

Super praedicta patrimonii constitutione insuper est advertendum, quod « nemo est (ita S. C. Conc. in memorata *Brugen. 1855.* » §. *Circa*), qui nesciat, patrimonium sacrum ex bonis certis, stabi- » libus, ac frugiferis conficiendum esse. » Hinc consequitur, quod census iuxta leges a S. Pio V. praestitutas impositi, quoniam inter bona stabilia numerantur (Bened. XIV. *Inst. eccl. 26. num. 12.*), canonicum ordinationis titulum tribuere possint, modo eae cautiones adhibeantur, quae a S. C. Conc. praescriptae sunt in *Nullius* 21. Iun. 1629. *(lib. 14. decret. pag. 109. a tergo),* quae ita se habet: « Quaeritur, an super annuis perpetuis censibus con- » stitui possint patrimonia pro clericis ad sacros Ordines promo- » vendis? S. C. respondit, posse super censibus perpetuis cohae- » rentibus rei immobili, et cum legitimis cautionibus, et dummodo » proprietas census sit talis summae, ut in casu restitutionis cen- » suum debitores teneantur pretium deponere penes aedem sa- » cram, vel personam fide et facultatibus idoneam ad effectum » investiendi quanto citius in aliis censibus eiusdem qualitatis, » vel in bonis stabilibus, vel in locis montium non vacabilibus

» durante hoc patrimonii titulo, nullatenus, nisi ad praescriptum » sacrorum canonum et S. Conc. Trid. alienandis, ad quod inve- » stimentum faciendum teneantur ipsi ordinati sub poena suspen- » sionis ipso facto. Quod si contigerit patrimonium ab aliis, quam » ab ordinandis in huiusmodi censibus constitui, curent Ordina- » rii, ut constituentes in forma iuris valida promittant, quod in » casu redemptionis, modo superius expresso, pro sufficienti or- » dinatorum victu providebunt. » Vide *Compsanam* sequentem §. *In cit.*

409. Hinc recens S. C. C. in *Compsana Sac. patrim.* 2. Martii 1861. *per Sum. prec.* subrogationem cuiusdam census in locum patrimonii, quod in participatione constitutum fuerat, approbavit, addito, quod « assumeretur et conservaretur hypothecaria inscriptio » super bonis stabilibus idoneis, onerata oratoris conscientia. »

Patrimonium potest etiam constitui super officio vacabili, cuius fructus libere pertineat ad ordinandum; nam in re fructifera constitutum censetur, ut resolvit S. Congr. Conc. in *Romana*, seu *Nepes. Patr. eccles.* 27. Iunii 1711., de qua loquitur Honorantes *loc. cit. Cap. 3. pag. 47.*

410. Patrimonium constitui potest etiam in bonis ad hunc finem ab aliquo in forma iuris valida donatis iuxta declarationem S. C. C. anni 1573. *(lib. 1. decret. pag. 113.*, quam integre refert Bened. XIV. *loc. cit. n. 13)*; eaque sic se habet: « Sacra etc. » censuit, posse aliquem ad sacros Ordines promoveri ad titulum » bonorum, quae eidem donentur, si tamen Episcopus iudicaverit, » eum assumendum esse pro necessitate, vel commoditate eccle- » siarum suarum, donationesque huiusmodi vere et absque ulla » fraude et in forma valida fiant de tot bonis, quae promovendo » sufficiant ad vitam honeste sustentandam, quae deinceps alienari » nullo modo possint sine licentia Episcopi, donec ille beneficium » ecclesiasticum sufficiens adipiscatur, vel aliunde habeat unde » vivere possit. »

411. Patrimonium etiam constitui potest in obligatione (modo non sit personalis, ut videre est paulo post *n. 419.*) persolvendi quotannis summam pecuniariam iuxta taxam synodalem, quae obligatio in forma iuris valida emissa securitatem praeseferat in bonis stabilibus, quae ad eam persolvendam sint idonea. Cum enim hic revera casus accidisset in *Urgellen. Ord.* 13. Iun. 1743. et dubitaretur, an constaret de legitima constitutione patrimonii ad

tramites Conc. Trid., S. C. C. respondit, de ea constare. Idem docet Monacellus *Form. leg. tit. 13. form. 3. num. 16.;* ait enim Episcopum Ordines conferre posse « ad titulum assignationis per-
» petuae fructuum aliquorum bonorum stabilium, qui sufficiant pro
» congrua sustentatione ordinati (S. C. Conc. 12. Februar. 1598.
» Pirhing, Garcia)». Hisce vero temporibus, quibus nova legum hypothecariarum ratio invecta est, facilius huiusmodi obligatio poterit admitti, hypothecaria in eius securitatem inscriptione assumpta conservataque iuxta ea, quae in *Compsana* mox relata S. C. Conc. praescripsit.

412. Super haec animadversione digna sunt ea, quae scribit Bened. XIV. *loc. cit. n. 14.,* ibi: « Verba S. C., quae paulò ante
» retulimus (in declar. *an. 1573.*), *vere et absque ulla fraude,*
» *et in forma iuris valida* Tridentinae Synodi sententiam tantum
» explicant *(Sess. 21. cap. 2. de Reform.),* in qua sic traditur:
» *eo quoque prius perspecto, patrimonium illud, vel pensionem vere*
» *ab eis obtineri.* Hinc necessario sequitur, nec legitima, nec iuri
» canonico congruentia ea patrimonia iudicari, quae ex bonis ad
» alium vel integre, vel magna ex parte spectantibus conficiun-
» tur; ita ut ordinatus eos fructus annuos percipere nequeat, qui
» a Synodo statuti fuerunt; quod pariter de illis bonis statuendum
» est, quae, adiecto redimendi pacto, prius divendita fuerant,
» celatis aut conventionibus aut contractu. Postremo a sacris
» sanctionibus aliena sunt ea patrimonia, in quibus expressa, vel
» tacita conventio intercedit, ut fundi possessio semper ad eum
» pertineat, qui ratione solum patrimonii eumdem fundum contulit,
» sive ut ordinatus nullos fructus, vel illorum tantum partem ex
» eo fundo desumat, licet publicae tabulae obsignatae contrarium
» declarent. Nemo quippe non videt fraudem, quae obiicitur, cum
» de re gravissima negotium habeatur. Disceptatur etiam, utrum
» parens omnia sua bona filio pro suscipiendis Ordinibus legi-
» time assignare possit, licet partes haereditatis, quae ceteris li-
» beris iure naturae debentur, hoc pacto ipsis anteferantur; deinde
» utrum id parens exsequi possit, si unicum habeat filium eam-
» que conditionem interponat, ut sibi ad vitam necessaria suppe-
» ditentur. Primum quidem, cum detrimentum reliquis filiis infera-
» tur, nulla ratione permittitur; secundum vero legitimum haberi
» nequit, nisi in bonorum resignatione omnia singillatim expli-
» centur, ut illorum summa, fructusque annui deprehendantur,

» atque inde, quid ordinato ad vitam sustentandam libere super-
» sit, certo probetur. »

413. Contra ordinantes et ordinatos cum patrimoniis fictitiis ab Ecclesia certae statutae sunt poenae. Si aliquem Episcopus sciens cum patrimonio fictitio vel insufficienti ad Ordines promoverit, eumdem tenetur suis sumptibus alere, donec de sufficienti titulo providerit (Fagnan. *ad Cap.* Cum secundum *num. 6. et seq. de Praeb.*). Attamen suspensionem non incurrit ex Bened. XIV. *l. cit. num. 16.* Promotus, qui Episcopum in fraudem adducit, in suspensionem ipso facto incidit ex declaratione S. C. Conc. die 17. Novembr. 1610., quam idem auctor integre ibidem exscribit. Accedit dispositio Constit. Urban. VIII. incip. *Secretis* 11. Decem. 1624., quae confirmata fuit a Pontifice Innoc. XIII. in Constit. *Speculatores,* quam dabimus volumine III. num. 15. « Insuper promotos huiusmodi, ac etiam eos, qui cum falsis vel
» fictitiis aut fiduciariis patrimonii titulis scienter se ad Ordines
» huiusmodi promoveri fecerint, non solum praedictis, verum etiam
» maioribus arbitrio Nostro, et pro tempore existentis Romani
» Pontificis assignandis poenis. . . subiectos esse volumus. » Hac super re consuli poterit Girald. *Ius Pont. P. II. sect. 55. pag. 875.*

414. Is, qui patrimonium fictum constituit, si apud iudicem competentem vocatus fuerit, et ad fructus patrimonii eiusdem persolvendos damnetur, non potest ulla se pactione contraria tueri, qua ordinatus adpromiserit, nihil ab eo se recepturum, etiamsi promissio ista iureiurando vallata fuerit. Nam S. Congreg. Conc. die 11. Maii 1599. *(lib. 9. decret.* apud Bened. XIV. *loc. cit. num. 18.)* « re diligenter expensa, declaravit, donationem eius
» patrimonii, ad cuius titulum quis fuerit ordinatus, utpote prohi-
» bitam decreto Concil. Trid. *Sess. 21. cap. 2. de Reform.* iura-
» mento donantis nequaquam confirmari. » Et item 14. Maii 1671. *(lib. 27. decret. pag. 43.)* cum ageretur de supplemento patrimonii, quod quidam ex donatione clerico adiunxerat, nunquam tamen per plures annos perceptum fuerat, S. C., etiamsi clericus ex industria scholastica victum sibi comparare posset, declaravit, eumdem donantem teneri supplementum persolvere pro annis elapsis, neque excusari imposterum ob scholae industriam, quam ordinatus exercere poterat.

415. Nihil vetat, quominus bona in patrimonium constituta in aliena dioecesi posita sint. (S. C. Conc. in *Lauretana* 6. De-

cembr. 1749.) Namque cum in eadem causa quaereretur, an sustinerentur patrimonia in aliena dioecesi constituta, etiamsi ordinandus bona propria in dioecesi sua possideret tempore ordinationis, S. Congregatio affirmative cunctis suffragiis respondit.

416. Videamus modo, quae res in patrimonium constitui nequeant. Primo constitui nequit futura patris haereditas; donec enim ea delata non fuerit, nullum haeredi parit emolumentum. Consulatur S. Cong. Conc. in *Brugen.* supra memorata §. *Ad futurae,* necnon in citata *Mediolanen.* §. *Eadem ratione,* cum Engel *Coll. iur. Can. tit. 14. lib. 1. de aet. et qual. praef.* §. *33.*

417. Patrimonium fundari nequit in propriae industriae lucris. Nam S. C. Concil. mense Octobr. 1589. *Seguntina Collat. sacr. ord. (lib. 11. decret. pag. 54.* apud Bened. XIV. *loc. cit. n. 7.)* rogata: « Si quis tantum habeat, quod ex industria vel » honesto labore lucratur, puta, quod sit musicus, magister gram- » maticae, pictor, scriptor, aut alterius licitae professionis; idque » sit sufficiens ad sustentationem vitae, poteritne promoveri? » decretum est: « Non posse. »

418. Nec in mobilibus et semoventibus. Nam S. C. Concilii *(lib. 26. decret. pag. 461.* apud eumdem Bened. XIV. *loc. cit. num. 8.)* die 29. Novemb. 1670. sic habet: « Communitas S. An- » geli, Sypontinae dioecesis, exponit, per Ordinarium admitti ad » sacros Ordines clericos, assignato patrimonio in bonis mobili- » bus et semoventibus, et, cum hoc tendat in grave damnum » eiusdem communitatis, dum fraudantur impositiones et alia » onera communitatis, quibus animalia sunt obnoxia, et credat » esse contra canonicas dispositiones ad tollendas controversias » supplex instat, declarari, an possit patrimonium assignari su- » per mobilibus et dictis animalibus? » S. Congr. respondit: « Ne- » gative. »

419. Item neque in obligatione personali; nam, ut legitur in memorata *Brugen.* §. *Nec satis:* « Cum imperator clerico Floren- » tino diploma concessisset, seu titulum mensae pro sua honesta » sustentatione, quousque provideretur de sufficienti beneficio, » et in dubium revocatum esset, an licite et valide ordinari pos- » sit ad titulum dictae mensae? » die 8. Iulii 1704. protulit responsum: « Negative. » Vide Monacell. *Tit. 13. form. 3. l. c. n. 10.* Idem de titulo mensae abbatialis regularis « mediante (ut ait » Monacell. *loc. cit. n. 10.*) obligatione Abbatum et Capitulorum

» regularium de victu providendo (in casu necessitatis) ordinan-
» dis, ut respondit eadem Sacra Congregatio in *Labacen.*, in *Car-*
» *niola* 2. Iulii 1650.» *(lib. 19. decret. pag. 62.)*.

Nec secus esset, si Episcopus ipse personali sua obligatione adpromitteret, sese patrimonii titulo satis esse facturum, utpote a S. C. Conc. in *Seguntina* mense Sept. ann. 1589. declaratum fuisse tradit ex Formosino eadem S. C. Concil. in *Suanen.* 28. Iulii 1838. §. *Quin imo*, etiamsi hypotheca omnium bonorum munita fuisset, (Pignatellus *tom. 5. consult. 77. n. 33.*), non obstante contraria consuetudine. Ratio est, quia, mortua persona obligata, resolvitur obligatio, et ordinatus omni iure exutus evadit, ut cum Engel. *loc. cit. n. 17.* animadvertit S. Congr. Conc. in *Brugen.* §. *Nec satis.*

420. Bona patrimonialia ex apertissimo Conc. Trident. decreto neque alienari, neque remitti queunt sine Episcopi venia, qui proinde huiusmodi alienationes remissionesque permittere non debet, nisi cum ceteroquin sibi constiterit, ordinatum aliunde satis habere, unde honestam vitam traducat (Sac. Congreg. Concil. in *Taurinen.* 2. Sept. 1604. apud Zamboni verbo *Patrim. Cleric. n. 1. t. 5. p. 54.*). Hinc sequitur, quod alienatio vel remissio, irrequisito Episcopo peracta, etiamsi censurarum poenam contra ordinatum minime importet, ex Bened. XIV. *l. c. n. 28.* nulla tamen et irrita ipso iure est. Nam S. C. C. die 6. Mart. 1638. (*lib. 15. decret. pag. 667.* apud eumdem auctorem) « censuit,
» eum, qui de facto alienavit patrimonium, ad cuius titulum fue-
» rat ordinatus, nulla facta mentione, quod ad illius titulum pro-
» motus fuisset, in censuras non incidisse, sed alienationem, ut
» proponitur, factam, esse ipso iure nullam.»

421. Ordinatus bona patrimonialia permutare nequit, videlicet, si non accedat Episcopi venia; nam a Sacra Congr. Conc. 20. Iulii 1619. *(lib. 17. decret. pag. 17.* apud Bened. XIV. *l. c. num. 29.)* constitutum fuit: « Patrimonium, ad cuius titulum ali-
» quis promotus est, posse utique de licentia Episcopi permutari
» cum aliis bonis non minoris reditus aut valoris, sed debere
» Episcopum declarare, bona ex permutatione acquisita, esse sub-
» rogata in locum prioris patrimonii, ita ut deinceps alienari ne-
» queant, nisi servata forma a Concilio praescripta.»

422. Ordinatus bona patrimonialia eadem ratione renuntiare prohibetur ex declaratione S. C. Conc. diei 14. Februar. 1662.;

nam consulta hac de re respondit: « Renuntiationem patrimonii, » ad cuius titulum clericus simpliciter sacris Ordinibus fuit ini- » tiatus, absque licentia Episcopi factam non sustineri, etiam » post assecutionem beneficii ad eius vitam sustentandam suffi- » cientis », et refertur in fol. *Tusculanae* 5. April. 1783. §. *Saepe.* Quod valet etiam eo casu, quo quis patrimonium constituit, conditione adiecta, ut patrimonium cesset, sibique bona libere revertantur, simul ac clericus beneficium suae vitae tuendae idoneum assequatur, seu *donec provideatur.* Nam in S. C. Concilii penes Zamboni *loc. cit. n. 9.* agitato dubio: « An bonis ad com- » modam conservationem postea quaesitis, vel beneficio sufficienti » adepto, statim patrimonium evanescat, vel potius requiratur » expressa subrogatio bonorum, seu beneficii assecuti ab Episcopo » facienda loco patrimonii, qua subrogatione expresse non facta » patrimonium adhuc vigeat, nec expiret clausula, donec, et quo- » usque fuerint de aliquo beneficio ecclesiastico provisi, vel aliunde » habuerint, unde commode vivere possint? Non obstante, voluit » S. C., ut darentur decreta.» *Dubium Patrim. Sac.* 12. Iul. 1687. nempe in *Oretana* Aug. 1604. *(lib. 14. decret. fol. 70. et seq.),* et in *Terracinen.* 20. Iul. 1619., in quibus responsum fuit: « Titu- » lum et privilegium patrimonii ordinati non exstingui, quamvis » ordinatus acquirat beneficium, nisi fiat ab Episcopo subrogatio.» Consulatur Zamboni *loc. cit.* in nota supposita n. 74., ubi per extensum affertur auctoritas Monacelli *Tit. 3. form. 18. n. 1.,* et *Tit. 13. form. 3. n. 18.*, qui hanc doctrinam tum doctorum sententia, tum Sacrarum Congregationum declarationibus latissime comprobat.

423. Ordinatus non potest bona sua patrimonialia obligare sponsione seu fideiussione; quod si fecerit, creditori non licet ab eo capere ultra quod clerico superest post necessariam vitae sustentationem, non quidem laute, sed tenuiter vivendo, quod iudicis ecclesiastici arbitrio praefiniendum est; nam S. C. Conc. apud Bened. XIV. *l. c. n. 30.* die 5. Febr. 1604. *lib. 17. decret. pag. 18.* censuit: « Neque in eiusmodi patrimonio, neque in eius » fructibus ad clericum alendum necessariis exsecutioni locum » esse posse. Licere autem capere in causam iudicati eam fru- » ctuum partem, quae quotannis superesset ultra eam, quae ad » ordinati sustentationem, non laute sed tenuiter vivendo iudicis » ecclesiastici arbitratu fuerit necessaria. Posse autem ipsum cre-

» ditorem accipere insolutum, atque vendere ius sibi competens » ad huiusmodi patrimonium, quod post mortem ipsius promoti » ad creditorem uti res haereditaria pertinebit. » Refertur etiam in folio *Tusculanae* ad diem 5. Aprilis 1783. §. *Iuxta mentem.*

424. Item nec potest clericus eadem patrimonii bona in emphytheusim concedere. Etenim notatum est in S. Congr. Conc. de clerico, qui nullum ecclesiasticum beneficium obtinebat, nec, praeter bona patrimonialia, alia bona possidebat, ex quibus sustentari posset. Is itaque cum bona ista patrimonialia in emphytheusim, inconsulto Episcopo, concessisset, dubitabatur, an concessio uti valida sustineretur; Emi Patres rescripserunt, secundum ea, quae proponuntur, contractum concessionis absque licentia Episcopi factam non esse validam. Vide *Parmen.* 20. Iul. 1641. apud Zamboni *l. c. num. 4. et lib. 16. decret. pag. 569.*, necnon *fol.* dictae *Tusculanae* §. *Saepe.*

425. Item nec potest proprietatem alienare, reservato sibi usufructu. Disputatum enim est in S. C. Concilii: « An presbyter » absque Episcopi licentia possit donare patrimonium, ad cuius » titulum est ordinatus, reservato sibi usufructu ad vitam? » Responsum prodiit: « Non posse. » *Dub. Patr.* 10. Octobris 1676. apud Zambon. *loc. cit. num. 7., lib. 29. decret. pag. 286.* et legitur in Folio dictae *Tusculanae* §. *Saepe.*

Qui plura desiderat super huiusmodi argumento adeat Pignatellum *tom. 1. Consult. 77.*, ubi varias ad rem SS. Congregationum declarationes in medium profert.

426. Hoc est ius, quo vivimus in Ecclesia circa titulum sacrae ordinationis. Quoniam vero plurimis in locis aliquando tam gravis ac urgens occurrit necessitas, ut ad maius Ecclesiae bonum hunc legis rigorem relaxandum esse ratio suadeat, hinc Apostolica Sedes Antistitum precibus adducta, postquam omni maturitate ac prudentia, prout monet Synodus Trid. *Sess. 25. cap. 18. de Reform.*, rem universam de more expenderit, aliquoties Tridentinae sanctionis observantiam remittit. Multa sunt huiusmodi dispensationum exempla, quae congerit Folium causae *Brugen.* sive de tempore antiquiori, sive recentiori. Illud tamen Apostolica Sedes praesertim per S. C. Conc. retinuit, ut huiusmodi indulta nunquam ad tempus indeterminatum et indefinitum elargiretur. Modo enim certum casuum numerum determinavit, veluti decem, viginti, ut plurimum: modo vero ad certum personarum coetum,

aut genus in specialibus circumstantiis constitutum coercuit, modo vero rescripsit, ut in casibus peculiaribus ad S. C. Conc. confugium haberetur. Ita sane rescripsit in memorata *Brugen.*, cuius specimen mox referemus.

427. Episcopus Brugensis in Belgio animo reputans difficultates, quas in sacris Ordinibus conferendis tituli sacrae ordinationis defectus afferebat, supplex a S. Congr. petiit, ut Tridentinae sanctionis observantia relaxaretur eiusque loco approbaretur nova quaedam ratio ab eodem excogitata, quam proponebat. Quae ratio in eo sita erat, ut quilibet clericus ad sacros Ordines accedens indiscriminatim, sive pauper, sive dives ducentorum francorum summam (scutatis romanis 37. 40. parem) persolveret. Haec pecunia Episcopi cura ac diligentia in bonis stabilibus ac tutis collocanda erat, eiusque fructus in sustentationem eorum sacerdotum erogari debuisset, qui prae senectute vel debilitate, aut quacumque alia iusta causa nullum officium exercere valerent. Orabat insuper, ut haec nova ordinationis tituli forma in Romani Pontificalis editione, quae imprimenda postea foret, insereretur. Episcopi Belgae suam hac de re sententiam rogati, partim huic novae formae adstipulabantur, partim vero obsistebant. Post relationem non sine magna doctrinae copia exaratam, in generalibus comitiis S. C. Conc. duo, quae ipsis verbis exscribimus, dubia proposita sunt: « 1. An sit concedendum Episcopo » oratori indultum promovendi clericos ad sacros Ordines absque » legitimo et sufficienti ordinationis titulo, ita ut sit approbanda » institutio novae tituli ordinationis formae in casu? » Et quatenus affirmative: « 2. An permittenda sit insertio eiusdem novae » formae tituli in futura aliqua editione Pontificalis Romani in » casu? » Emi Patres die 24. Aug. 1850. rescripserunt: « Ad pri- » mum negative, et providebitur in casibus particularibus. Ad 2. » provisum in primo. »

428. Denique non est praetereundum, quod, tametsi Religiosi solemnium votorum vinculo adstricti hoc privilegio gaudeant, quod titulo paupertatis absque patrimonio ad Ordines promoveri queant, hoc nihilominus privilegium iuxta Constit. *Romanus Pontifex* S. Pii V. prid. Id. Octob. 1568. (de qua nonnulla tradit Pignatellus *tom. V. Consult. 77. a num. 40. ad finem*) ad eos Religiosos non extenditur, qui intra claustra etiam monasteriorum viventes, vitamque in communitate seu congregatione insimul

transigentes, nunquam, seu nonnisi ad tempus, professionem emittunt, inter quos Religiosi omnes simplicia vota nuncupantes connumerantur. Apertissima siquidem est dicta Constit. S. Pii V., qua Summus Pontifex decretum Tridentinum super titulo ordinationis declarans praedictos Religiosos, solemnitate votorum perpetuo non obligatos atque devinctos, ad Ordines a quolibet Antistite promoveri prohibuit, nisi plane observata forma memorati decreti. Quin imo ordinationes aliter factas irritas declaravit circa Ordinum ita susceptorum exsecutionem, ordinatosque, qui in Ordinibus ministrare ausi fuerint, inhabiles ad quascumque exemptiones, privilegia et gratias esse voluit, eosdemque proinde irregulares etiam esse decrevit.

Art. II. De sacris exercitiis.

Summarium. 429. Alexandri VII., Innocentii XI. et Innoc. XII. praescriptiones circa sacra exercitia ab ordinandis praesertim in maioribus Ordinibus peragenda. Eorum utilitatem demonstrat et amplificat Bened. XIV. – 430. S. Congr. in suis ad Episcopos responsionibus super statu dioeceseon omnes totius catholici orbis Antistites hortatur et excitat ad haec sacra exercitia ordinandis praescribenda.

429. S. m. Alexander VII. in sua Constit. incipiente: *Apostolica sollicitudo* praescripsit, ut ii omnes, qui in alma Urbe ad Ordines optarent ascendere, decem dierum spatio piis meditationibus, vulgo spiritualibus exercitiis operam darent. Huiusmodi praescriptionem pro suscipiendis Ordinibus tam minoribus, quam maioribus s. m. Innocent. XI. per Literas encyclicas S. Congr. Episc. et Regul. diei 3. Octobris 1682. (Vid. Ferrar. verbo *Exercitia spiritualia*) iniunxit Archiepiscopo Mediolanensi, itemque omnibus Metropolitanis Italiae et adiacentium insularum, ut eam a propriis Suffraganeis observari iuberent. S. m. Innoc. XII. per alias Literas encyclicas S. C. Episc. et Regul. diei 1. Febr. 1700. spiritualium exercitiorum praeceptum ordinandis impensius inculcavit, ac praeterea ad alios de clero extendit prout videre est in hisce Literis, quas dabimus in volumine III. sub num. 40.

Adnotandum tamen est, integrum decem dierum spatium praescribi iis, qui sacros Ordines, seu maiores suscepturi sunt: namque de aliis, qui ad minores Ordines initiantur, consuetudo fere com-

munis illud fert, ut minori spatio in hoc sacro secessu detineantur. Vid. Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. 11. cap. 2. n. 14.*, necnon eiusdem *Inst. eccl. 51.* et praesertim *104.*, ubi sacrorum exercitiorum utilitatem non sine doctrina ostendit et amplificat.

430. At vero S. Congr. Conc. in suis responsionibus ad cunctos catholici orbis Episcopos pro suo instituto nunquam omittit eosdem hortari, ut neminem ad sacros Ordines admittant, qui spiritualia exercitia antea non peregerit. Peroptat insuper, ut eadem, quoad fieri potest, in aliqua religiosa domo peragantur. Cumque non raro contingat, ut Episcopi referant, spiritualium exercitiorum cursum infra numerum decem dierum absolvi, hinc solemne habet instare, ut ad denos, aut saltem octo dies protendantur. Hisce S. Congregationis hortamentis factum est, ut ubique salubre hoc opus invectum fuerit, ac pro lege undequaque observetur. Quin imo plures Episcopi illud exigunt, ut ii etiam, qui minores Ordines appetunt, piarum istarum commentationum cursum peragant, sive cunctis septem diebus, sive saltem aliquibus. Quod S. C. suis laudibus prosequi non desinit. Cfr. S. C. C. *Nucerina* 20. Decemb. 1817. ad 5.

XIII. « An omnes praedicti vestes iugiter deferant clericales, » et an, quoad fori privilegium, serventur disposita a sacrosancta » Synodo Tridentina Sess. 23. cap. 6. de Reform. et a Constitu- » tione SSmi D. N. Benedicti PP. XIII. in eodem Concilio Ro- » mano emanata. »

Summarium. 431. Incessus in habitu et tonsura tripliciter considerari potest. – 432. Idem incessus relate ad privilegium fori et canonis perbelle exponitur a Giraldio, cuius doctrina refertur. Quid statuerit Tridentina Synodus. Quinque dubia super hac re proponuntur. – 433. Clericus non deferens habitum ac tonsuram eo ipso, nulla praeeunte monitione, privatus remanet privilegio fori. Exceptio fit, si habitum deserat ad breve tempus. Idem non amittit privilegium canonis et cap. *Odoardus*, etiamsi habitum dimittat non animo ineundi coniugium vel militiam, ac postea habitum resumat. Item quamvis inserviat ecclesiae diversae ab ea, cui ab Episcopo adscriptus fuit. Vide etiam *n. 438.*, ubi habetur, quod nihilominus compelli possit. – 434. Clerici coelibes, sive coniugati conditiones a Concilio Tridentino praescriptas haud implentes non possunt ipsi fori privilegium allegare: potest tamen Episcopus eosdem clericos etiam ex iudicis manibus repetere, dummodo tamen formaliter

clericali privilegio privati non fuerint. – 435. Hinc quaestioni, an praeveniente Episcopo, vel volente vindicare clericum, possit, licet hic requisita non habeat? S. Cong. Imm. respondit: affirmative. – 436. Cavendum tamen, ne clericus habitum resumat in fraudem. – 437. Quando habitum in fraudem quis resumat explicatur. Hodie attendi debent Encyclicae s. m. Pii PP. IX. super hoc argumento. – 438. Clericus qui alicui ecclesiae inservit sine mandato Episcopi, vel non illi ecclesiae, quam ipse designavit, non ideo fori privilegium amittit. – 439. Contra ecclesiasticos in maioribus ordinibus constitutos, vel beneficio ecclesiastico praeditos, qui non incedunt, quid statuerit Clemens V. – 440. Quid Concilium Tridentinum. – 441. 442. Quid Sixtus V., qui hisce sanctionibus clericos etiam ecclesiastica pensione praeditos subiecit. – 443. Temperamentum, seu exceptio a Sixto V. concessa iis, qui pensionem obtinent sexaginta aurea non excedentem, non applicatur beneficiatis, quorum beneficia eamdem summam non exsuperant. – 444. Bened. XIII. Constitutio accessit, qua beneficiati non incedentes citandi sunt ad habitum resumendum; si renuant, beneficio privantur. Huiusmodi beneficia S. Sedi reservata remanent. – 445. Beneficiati insuper ab ipso dimissi habitus momento non possunt beneficiales fructus facere suos, sub poena culpae lethalis. – 446. Condonandi fructus huiusmodi facultatem S. Poenitentiariae a Bened. XIII. ablatam eidem restituit Bened. XIV. – 447. Trina monitio, quae requiritur pro incurrenda amissione privilegii fori et canonis, pro privatione beneficii minime requiri videtur. – 448. Quale temporis spatium requiratur, ut quis habitum ac tonsuram deseruisse dicatur ad effectum, de quo agitur. – 449. Ad beneficia et pensiones, quando agitur de dispositione legis, satis est, si clericatus tempore collationis praeferatur. – 450. Sed si agitur de dispositione hominis, nempe quando fundator in beneficiato clericatum requisivit, attendendum est tempus ab eodem indigitatum, nempe vel vacationis, vel praesentationis, vel collationis iuxta adagium: *Qualitas adiecta verbo verificari debet tempore verbi.* – 451. Iura pro privatione beneficiorum ecclesiasticorum applicari non possunt capellaniis laicalibus; quae capellaniae dicantur laicales. At Episcopus, uti voluntatis defunctorum exsecutor, potest capellanis huiusmodi congruum tempus praefigere, quo inutiliter elapso, eos privatione punire potest. – 452. Hucusque egimus de iure communi; at de iure speciali concordatis cum S. Sede initis standum est. – 453. Color vestium virorum ecclesiasticorum est niger. – 454. Circa formam nulla determinatio facta exstat in sacris canonibus, nisi quod ordini et dignitati congruas iuxta Episcopi mandatum eas esse debere traditur. Talaris autem eadem esse debet. – 455. Nihilominus hic rigor tantisper emollitus est, et permittitur aliquando brevior vestis, quae tamen semper nigra sit, modesta et simplex. Nemo ad celebrandam Missam aliasque functiones per-

agendas ecclesiam ingrediatur sine talari veste. – 456. In constituendis poenis contra eos, qui talarem habitum non gerunt, expedit ad censuras non illico decurrere, sed potius pecuniariae poenae praefigendae sunt, quae tamen immoderatae non sint. Nam S. Congr. Concilii decreta ab Episcopis lata moderata non semel est ac temperavit.

431. Agit haec paragraphus de incessu in habitu ac tonsura clericali, qui triplici sub aspectu considerari potest, nimirum vel propter privilegium fori et canonis, vel propter Ordinem sacrum et beneficia ecclesiastica, vel propter qualitatem ac modum vestium clericalium.

432. Ad primum, quod attinet, rem adamussim exponit et explicat Giraldius *Ius Pont. P. II. sect. 93. p. 939.*, ubi, praemissa dispositione Conc. Trident., plures quaestiones proponit, easque ad normam declarationum S. C. C. apprime resolvit. Itaque totam hanc sectionem exscribimus: « Is etiam (tonsuratus vel minorista) » fori privilegio (verba sunt Concil. Trident. *Sess. 23. cap. 6. de* » *Reform.*) non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, » aut clericalem habitum et tonsuram deferens alicui ecclesiae » ex mandato Episcopi inserviat, vel in seminario clericorum, aut » in aliqua schola, vel universitate de licentia Episcopi, quasi » in via ad maiores Ordines suscipiendos versetur. In clericis » vero coniugatis servetur Constitutio Bonifacii VIII., quae incipit, » *Clerici, qui cum unicis,* modo hi clerici alicuius ecclesiae ser- » vitio vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem ecclesiae ser- » viant vel ministrent, et clericali habitu et tonsura utantur: » nemini, quoad hoc, privilegio vel consuetudine etiam immemo- » rabili suffragante. » Circa hoc decretum plura exorta fuerunt dubia: « 1. An clericus non deferens habitum et tonsuram, eo » ipso, etiam nulla praecedente monitione, remaneat spoliatus » fori privilegio? 2. An eo potiatur, si habitum a se gestari so- » litum ad breve tantum tempus deponat? 3. An praeter amis- » sionem dicti privilegii intelligatur privatus etiam privilegio ca- » nonis et beneficio capituli *Odoardus?* 4. An amittat, si cleri- » catui omnino, animo v. g. contrahendi matrimonium, vel dandi » nomen militiae, et postea, mutato consilio, habitum clericalem » reassumat? 5. An si inserviat alteri ecclesiae, quam ei, cui ex » mandato Episcopi fuit adscriptus, gaudeat eodem privilegio fori?

» Quibus dubiis Congregationi Concilii propositis, eadem cen- » suit:

433. » Ad 1. In *Mediolanen.* die 11. Aug. 1595. *(ut lib. 8.* » *decret. pag. 41.):* Nullam requiri monitionem, ut illud amittat.

» Ad 2. die 7. Oct. et 1. Dec. 1612.: Potiri. Et si beneficia- » tus sit, nequaquam incidisse in poenam privationis a Sixto V. » impositam, quemadmodum declaravit etiam Innocentius XIII. » Constit. *Apostolici ministerii* 13. Maii 1723. super ecclesiastica » disciplina in regnis Hispaniarum, quam Bened. XIII. confirma- » vit Constit. *In supremo* 24. Septembris 1724. In dicta enim » Innoc. Constit. §. 7. ita legitur: Decernimus, quod, si qui sunt » clerici aut prima tonsura, aut Ordinibus minoribus initiati, nul- » lumque ecclesiasticum beneficium possidentes, qui, neglectis » Concilii Tridentini decretis, habitum clericalem, ac tonsuram » non deferant, vel si etiam deferant, non tamen certae ecclesiae » aut loco pio, cui ex mandato Episcopi adscripti fuerint, inser- » viant, sive in seminario ecclesiastico, vel in aliqua schola aut » universitate de licentia sui Ordinarii non versentur, Episcopi, » nulla etiam praemissa monitione, eos privilegio fori privatos » declarent, eorumque adscriptionem servitio certae ecclesiae » antea factam deleri iubeant.

» Ad 3. In *Aquen.* mense Februar. 1589. *(ut lib. 5. decret.* » *pag. 257):* Non intelligi privatos privilegio canonis; et die 15. Se- » ptemb. 1595. in *Nullius:* Gaudere privilegio cap. *Odoardus;* et » clarius cum die 3. Decembr. 1622. quaesitum fuisset: An, ut » clericus uti posset beneficio Cap. *Odoardus,* requirerentur con- » ditiones praescriptae a Sac. Concil. *Sess. 23. cap. 6.,* responsum » fuit: Decretum Conc. ademisse clericis non habentibus quali- » tates, quae exprimuntur *cap. 6. Sess. 23.,* nisi privilegium fori, » et cetera firma remanere sub dispositione iuris *(lib. 12. decret.* » *pag. 115).*

» Ad 4. In *Neapolitana* mense Iunio 1587. et in *Meliten. Fori* » 7. Maii 1672. *(lib. 27. decret. pag. 379.):* Gaudere.

434. » Quod si quaeras, an clericus tam coelebs quam coniu- » gatus non implens conditiones a Concilio hic praescriptas de- » clinare possit forum saeculare, et an a iudice laico comprehen- » sus propter aliquod delictum eo tempore commissum, quo » laicorum more indutus incedebat, repeti possit ab Episcopo, » debitisque in eum poenis animadverti: pro responso ad utrum- » que dubium Bened. XIV. *de Synod. dioec. lib. XII. cap. 2. n. 4.* » sequens refert decretum, alias editum, et Archiepiscopo Neapo-

» litano Sacra Limina visitanti datum – ad tertium: facta rela-
» tione SSmo D. N. Urbano VIII. super causa Leodien. die prima
» eiusdem in S. C. Conc. proposita et resoluta, Sanctitas Sua ap-
» probavit opinionem eorum, qui maiores numero fuerunt in voto,
» clericos, etiam non habentes requisita *cap. 6. Sess. 23. de Re-*
» *form.*, licet ipsi tamquam contravenientes ordinationi S. Conc.
» non possint pro se allegare privilegium fori, nihilominus sub-
» esse iurisdictioni Episcoporum, seu Ordinariorum, illorumque
» cognitioni, nedum in causis, in quibus iidem Episcopi seu Or-
» dinarii praevenerunt, verum etiam in quibus non praevene-
» runt, sed illos e manibus iudicis laici repetunt, quando clerici
» adhuc clerici permaneant, videlicet, si neque a iure, neque ab
» homine, per declarationem, servatis servandis, factam, privile-
» giis clericalibus denudati, seu privati sint: (die 9. Nov. 1630.
» *lib. 14. decret. pag. 346.*). – Die vero, prosequitur Bened. XIV.,
» 1. Augusti 1634. occasione propositionis factae relationis status
» ecclesiae Neapolitanae, Sanctitas Sua ad removendam omnem
» difficultatem iussit, omnino observari supradictam opinionem.»
Idipsum fuerat antecedenter conclusum die 18. Dec. 1695. *(lib. 8. decret. pag. 153.)*, die 12. Iunii 1608. *(lib. 2. decret. pag. 35.)* et die 14. Mart. 1620. *(lib. 12. decret. pag. 37.)*.

435. « Quod vero speciatim attinet ad clericos coniugatos,
» exstat responsum eiusdem S. C. C. in *Alatrina iurisdict.* 17. Mar-
» tii 1683., cuius verba sunt: In carceribus Frusinonis detine-
» tur, nomine curiae episcopalis Alatrinae, Dominicus Colacicco,
» clericus coniugatus, ut praetensus homicidii reus. At, praeten-
» dente fisco curiae saecularis, carceratum esse ad hanc remit-
» tendum tamquam non habentem requisita S. Concilii ad effe-
» ctum gaudendi privilegio fori, controversia delata fuit ad S. C.
» Immunitatis, ex cuius decreto resolvendum proponitur dubium:
» An, praeveniente Episcopo, vel volente vindicare clericum, pos-
» sit, licet non habeat requisita, S. Congr. respondit: Affirmative.

436. » Advertendum tamen est, ne clericus reassumat habi-
» tum et tonsuram in fraudem: alias privilegium fori ei non
» suffragatur, ut saepius declaravit eadem S. Congreg. et signan-
» ter in *Nuscana* 19. Decembr. 1584. sequenti decreto relato a
» laudato Benedicto *loc. cit. cap. 3. n. 1.*: – Sacra Congr. respon-
» dit, clericum coniugatum, qui post dimissum habitum et ton-
» suram clericalem deliquit, quamvis pro eo delicto in curia

» laicali citatus, et in contumaciam condemnatus fuerit, si deinde,
» modo non in fraudem, reassumpto habitu et tonsura ecclesiae
» inserviat, iuxta decretum S. Concilii *cap. 6. Sess. 23.* non posse a
» iudice laico propter idem delictum in carcerem coniici, aut per-
» sonaliter distringi. Idem respondit in *Nullius* 19. Dec. 1596. »

437. Quando vero in fraudem habitum reassumi praesumatur, allata auctoritate Fagnani et resolutionibus S. Congr. Concilii, designat et explicat Bened. XIV. *loc. cit.*, quem pro opportunitate consulere lectori grave ne sit. Insuper monet ibidem laudatus Pontifex, quod si agatur tantum civiliter, seu ad solam poenam pecuniariam, longe facilior admittatur probatio fraudis.

Haec sunt principia iuris communis. Hodie tamen attendi debent literae *S. C. Imm.* diei 20. Sept. 1860. quibus ex iussu s. m. Pii PP. IX. declaratum est, quod clericus, quando ob non servatas conditiones Conc. Trid. *Sess. 23. cap. 6. de Reform.* fori privilegium amittit, *ipso iure*, et *ipso facto* amisisse censeatur, et reapse amittat cuncta privilegia clericalia, ita ut considerari ac tractari debeat ut persona mere laica, etiam in causis criminalibus et poenalibus effectibus, quin trina monitio vel peculiaris declaratio de hac amissione requiratur.

438. « Ad 5. dubium (ita prosequitur Giraldius) quod spectat,
» an scilicet clericus inserviens alteri ecclesiae, cui ex mandato
» Episcopi non fuerit adscriptus, gaudeat privilegio fori, oppor-
» tunum duco transcribere animadversa a dicto Bened. XIV.
» *loc. cit. lib. XII. cap. 6. num. 5. et 6.:* Sacra quippe Congrega-
» tio Conc. iam alias decidit, clericum fori privilegium non amit-
» tere, etiamsi ecclesiae inserviat sine mandato Episcopi, aut non
» illi, quam Episcopus designavit, sed alteri famuletur ecclesiae:
» quamvis enim Tridentinum voluerit, eum inservire ecclesiae ex
» mandato Episcopi, haec tamen conditio *mandati Episcopi* adeo
» levis visa est S. Congregationi, ut illius defectus non satis sit
» ad spoliandum fori privilegio clericum, cetera, quae potiora
» sunt, ab eodem Trid. Conc. praescripta, exacte adimplentem: uti
» videre est apud Fagnanum in *Cap. Si quis n. 21. et seq. de*
» *foro competenti.* »

In eamdem sententiam Giraldius ex eodem Bened. XIV. alias etiam S. Congr. declarationes adducit. Illud tamen monitum velimus, ex hac doctrina non sequi, ut Episcopus clericum compellere nequeat, ut illi, cui mancipatus fuit, ecclesiae adamussim

famuletur. « Aliud siquidem est (verba sunt Bened. XIV. *loc. cit.* » *num. 6.*) clericum posse compelli ad inserviendum ecclesiae ab » Episcopo designatae, aliud, posse fori privilegio privari, quod » non illi, sed alteri ecclesiae suum servitium impendat. »

439. Qui tonsura vel minoribus Ordinibus praediti sunt, habitum clericalem induere iubentur, si privilegiorum clericalium bono uti velint, prout modo vidimus. Qui vero sacris Ordinibus insigniti sunt, vel ecclesiastico beneficio potiuntur, vestes clericales itidem gestare compelluntur, si modo sacrorum Ordinum exercitio ac beneficialium fructuum perceptione frui, aliasque poenas effugere velint a iure canonico praestitutas. Namque super hoc articulo plura exstant in iure canonico decreta, quae nunc explicanda suscipimus. Clemens V. in Conc. Viennensi, ut videre est in *Cap. Quoniam lib. 3. Clementin. De vita et honest. cler.*, suo decreto sancivit, ut clerici, qui beneficio ecclesiastico fruuntur, et ii, qui subdiaconatu vel diaconatu decorantur, si vestem suae professioni minime congruentem publice assumant, primi per sex menses a iure percipiendi fructus beneficiales suspensi, alteri vero per idem tempus ad beneficia ecclesiastica obtinenda inhabiles efficiantur. Si tamen agatur de personis dignitate, personatu vel beneficio provisis, cui cura animarum inest, vel de iis, qui ad sacerdotium ascenderint, tum poena, quam diximus, suspensionis et inhabilitatis ad totum annum producitur.

440. Huiusmodi Clementis V. dispositionem conceptis verbis innovavit ampliavitque Tridentina Synodus *cap. 6. Sess. 14. de Reform.;* etenim decrevit, ut ecclesiasticae personae, quantumvis exemptae, quae sacris Ordinibus initiatae sint, vel beneficium obtinentes, « si postea quam ab Episcopo suo, etiam per edi- » ctum publicum, moniti fuerint, honestum habitum clericalem, » illorum Ordini ac dignitati congruentem, et iuxta ipsius Epi- » scopi ordinationem et mandatum non detulerint, per suspen- » sionem ab Ordinibus ac officio et beneficio ac fructibus, redi- » tibus et proventibus ipsorum beneficiorum, necnon, si semel » correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem offi- » ciorum et beneficiorum huiusmodi coerceri possint et debeant, » Constitutionem Clem. V. in Conc. Viennensi editam, quae in- » cipit *Quoniam*, innovando et ampliando. »

441. Subinde accessit Constit. s. m. Sixti V., quae incipit *Cum sacrosanctum*, data 9. Ian. 1589., in qua praeceptum est uni-

versis clericis tam simplici tonsura, aut minoribus Ordinibus instructis, quam in sacris Ordinibus constitutis, nedum beneficia ecclesiastica obtinentibus, sed etiam pensiones super fructibus ecclesiasticis, aut fructus ipsos reservatos percipientibus, ut habitum et tonsuram clericalem iugiter deferant. Praeterea cautum fuit, ut in posterum nonnisi actu clericis, et in habitu ac tonsura incedentibus beneficia quaelibet vel pensiones conferrentur. Quod si qui fuissent, qui Pontificis mandato cum effectu non obedirent, praeter alias poenas contra eos irrogatas, sine ulla monitione, citatione vel decreto iudicis ipso facto poena privationis mulctatos voluit, ita ut beneficia tamquam vacantia, et pensiones uti exstinctae ac deletae considerari debeant, et collatio beneficii Summo Pontifici pro tempore reservata censeatur.

442. Per aliam vero Constit. incip. *Pastoralis* diei 31. Iunii 1589. idem Pontifex paullulum eiusmodi rigorem temperavit circa eos, qui pensiones obtineant. Voluit enim, ut iisdem poenis afficerentur ii tantum, quorum pensio valorem sexaginta ducatorum auri de camera non excederet. Si vero excedat, declaravit, illis poenis illigatos minime censeri, nisi postquam pensionem ipsam exigere coeperint, vel per ipsos steterit, quominus exigant vel percipiant. Excipiuntur etiam ab iis poenis familiares Papae inferioris familiae, aut famuli, qui proinde non tenentur vestem clericalem induere. Vide Girald. *Ius Pont. P. II. sect. 48.*, ubi Sixtinae Constitutiones ab omni fere parte afferuntur.

443. Huiusmodi temperamentum, quo Sixtus V. usus est erga eos, qui aliquam pensionem assequuntur, occasionem praebuit dubitandi, an eius legis dispositio beneficiatos complectatur, qui in eadem ratione versantur, nimirum qui tali beneficio fruuntur, cuius reditus intra sexaginta ducatus auri de camera coerceretur; at S. C. Conc. die 4. Sept. 1677. declaravit, in ea Constitutione *Pastoralis* de pensionibus tantum rem haberi, non autem de beneficiis, quae primae Constitutioni *Cum sacrosanctum* subiecta remanent, licet sexaginta aureorum proventum nequaquam reddant *(lib. 29. decret. pag. 147. et 500.)*.

444. S. m. Bened. XIII. in Constit. *Apostolicae Ecclesiae* VI. Non. Mai. 1725. beneficiatorum laicali habitu incedentium proterviam coercuit, mandans totius catholici orbis Ordinariis, quorum in dioecesi clerici beneficia possideant, ut in eos, qui in hanc partem peccarent, canonicis remediis animadvertere possint; atque

adeo superaddidit, quod « etiam debeant contra ipsos procedere » per citationes, domi dimissa copia, quatenus domicilium ha- » beant in eorum respective dioecesibus; sin minus per citationes » ad valvas; iurisque ordine ceteroquin servato, sententiam de- » claratoriam privationis obtentorum beneficiorum in ipsos ferre » et pronuntiare », firma remanente huiusmodi beneficiorum re- servatione Romano Pontifici iuxta Constit. Sixti V. incip. *Cum sacrosanctum*.

445. Praeterea eadem Constitutione decrevit, ut beneficiati in habitu laicali incedentes beneficii fructus suos minime facere possint, cuiuscumque generis ac valoris ii sint. Quin etiam diserte sancivit, « eiusmodi beneficiatos ex mero facto incessus in ha- » bitu laicali, quamvis nulla praecesserit Ordinariorum sententia » declaratoria privationis beneficiorum, quae obtinent, imo etiamsi » nulla citatio, monitio, vel alius iudicialis actus in eos fuerit » institutus, ipso iure amissionis et privationis fructuum praedi- » ctorum poenam incurrere », atque idcirco eos fructus nullatenus percipere posse addidit, sed omnes omnino in commodum ecclesiae, in qua beneficia sita sunt, sub poena lethalis culpae restituere debere, ita ut nemo, etiamsi esset Poenitentiarius maior, praeter Pontificem ipsum, beneficiatos, de quibus loquimur, ab hac obligatione liberare queat.

446. Monendum vero, quod tametsi fructuum beneficialium condonationem concedere Benedictus XIII. Sacrae Poenitentiariae prohibuerit, nihilominus Benedictus XIV. in Constit. *Bonus Pastor* 13. April. 1744. §. *24*. ita rem temperavit, ut Poenitentiarius maior in casibus quidem publicis fructuum condonationem impertiri vetaretur, posset tamen in casibus occultis iuxta eas conditiones, quae in memorata paragrapho praescribuntur.

447. Hisce delibatis, pauca subiicimus non levi adnotatione digna. In primis monendum est, ea, quae a iure sancita sunt super amissione privilegii fori et canonis, quo in casu necessaria est trina monitio, antequam sententia declaratoria pronuntietur, monendum, inquam, est, non ita certe confundi posse cum poena privationis beneficii; in hoc enim secundo casu stricto iure monitione nulla opus esse videtur: namque Sixtus V. in Constit. *Cum sacrosanctum* disertis verbis expressit, Ordinarios *sine ulla monitione* ad privationem posse procedere, Benedictus vero XIII., qui hanc Constitutionem confirmavit, de trinae monitionis necessitate

nihil prorsus innuit. Hinc S. Rota Romana docebat in *Decis. 592. p. 4. tom. 1. Recent. Florent. Capellae,* beneficiatos laicali habitu incedentes ipso iure privatos existere beneficio, omnique iure sive *in re* sive *ad rem* circa beneficium: idemque tradit Garcias *de benef. part. 7. cap. 1. n. 18.* Nihilominus ad maiorem cautelam animadvertatur, non deesse doctores, qui arbitrentur, quod « *rigor* » *Sixtinae Constitutionis non sit ubique usu receptus, saltem quoad* » *hoc, ut non deferentes habitum et tonsuram absque ulteriori mo-* » *nitione sint ipso facto privati beneficio* »; ita scribit Reiffenst. *Lib. 3. Decretal. tit. 1. de vit. et honest. cleric.* §. *3. num. 66.* citans Garciam ipsum, Engel et Barbosam.

448. Secundo loco, quoniam incessus in habitu laicali beneficii privationem eo, quem posuimus, modo secum importat, quaeri potest, quanto tempore cum laicali veste beneficiatum incedere satis sit, ut huiusmodi poena eidem applicari queat. Respondeo cum de Nigris *de vacat. benef. lib. 1. cap. 5. num. 8.:* « Requiritur » pro huiusmodi effectu aliquod tempus considerabile, quod arbi- » trio iudicis remittitur; nam pensio ex hoc capite momento tem- » poris non exstinguitur: alioquin clericus per horam aut diem » non incedens in habitu et tonsura pensionem amitteret, quod » est absurdum. » Quod vero laudatus auctor de pensione docebat, eo magis beneficiis accommodari posse per se quisque videt.

449. Tertio loco superius inspeximus, ex Constitutione Sixti V. *Cum sacrosanctum* statutum fuisse, ut ab eo tempore in posterum semper *nonnisi actu clericis in habitu et tonsura incedentibus* beneficia conferri debeant et pensiones reservari. Ex qua legis dispositione sequitur, satis esse, ut qui beneficium exoptat, clericatu polleat et habitu consentaneo induatur eo tempore, quo idem beneficium ipsi confertur. Itaque S. C. Conc. in *Eugub. Canon.* 7. Iulii 1770. §. *Sixtus V.* ita ad rem loquitur: « Cete- » rum, cum unum sit collationis, aliud vero praesentationis tem- » pus, hinc egregie docent doctores, quod sicuti tempore prae- » sentationis clericatus non requiritur, ita nec requiratur quod » praesentatus in habitu clericali incedat, sed requiritur tempore » collationis, cum a tempore, quo ius habet ad beneficium, te- » neatur statim habitum assumere et deferre. (Garcias *de benef.* » *part. 7. cap. 1. num. 39.*). »

450. Secus vero dicendum erit, si agatur de dispositione hominis. Aliquando enim accidit, ut fundator clericatum et incessum

clericalem sive actu ipso vocationis, seu tempore nominationis, vel praesentationis, seu collationis requirat. Huiusce rei consideratio magnum momentum ac pondus habet, tum potissimum, cum fundator ius passivum ad beneficium a se erectum certo generi personarum reservavit, addita conditione clericatus, qua deficiente, substitutioni locus sit in favorem alterius generis personarum. Et sane si e. g. in familia primo vocata clericus eo temporis non adest, et adest in familia secundo vocata, seclusa dispensatione Pontificia, saepenumero oritur quaestio, an substitutioni locus factus fuerit, ideoque clericus familiae substitutae ad beneficium ius obtineat. In hoc igitur argumento, ut omne litium germen amputetur, attente inspici debet, quo de tempore loquatur fundator: nam « *qualitas* (uti commune fert adagium) » *adiecta verbo verificari debet tempore verbi.* » Itaque egregie S. Congr. Conc. in *Milevitana Canon.* 22. Febr. 1845. §. ultima ait: « Tradunt communiter sacrorum canonum doctores, qualita- » tem verbo adiectam (uti est qualitas presbyteralis) adiunctam » censeri ipsi verbo iuxta tempus illius. Quare inspiciendum est » verbum, num sit *vacare, praesentare, conferre* et similia, et » tunc qualitas requiritur tempore in verbo expresso. Abbas, » Massob. et Garcias *de ben. p. 7. cap. 1. n. 58. et seq.* » Quapropter in eadem causa Milevitana, cum testator canonicatum, de quo res erat, eis iussisset *conferri, qui actu sunt in sacro presbyteratus Ordine constituti,* et quaereretur: « An et quo tempore » qualitas sacerdotis requiratur in casu? » S. C. die dicta rescripsit: « Affirmative de tempore collationis. » Et reproposita die 14. Febr. 1846. *stetit in decisis, et amplius.*

451. Quarto loco frequentissimae sunt, in Italia praesertim, capellaniae laicales, quae licet sint adinstar beneficiorum ecclesiasticorum, vera beneficia nec sunt, nec haberi debent: neminem porro latet, ad beneficium ecclesiasticum constituendum potissimum requiri canonicum erectionis decretum, ac insuper conditionem, ut sine canonica institutione beneficium ipsum conferri neutiquam possit. Iamvero in constituendis capellaniis laicalibus neque canonicum erectionis decretum, neque canonica institutio intercedit. Satis enim est in fundatione, ut Episcopi acceptatio accedat, prout fit de legatis piis, quibus hae capellaniae aequiparantur: et in possessione acquirenda sufficit actus possessionis iuxta mentem fundatoris impetratus.

Iamvero circa laicales huiusmodi capellanias non raro ex lege fundationis requiritur, ut capellanus clericatu polleat, adeoque habitu clericali iugiter utatur. Quaeri itaque poterit, an, si huiusmodi capellanus habitum clericalem deserat, et saecularem vestem assumat, iis Apostolicis Constitutionibus subiici debeat, quae superius expositae sunt. Cui quaestioni negativum responsum sine periculo erroris reddi posse videtur; nam neque aliis canonici iuris praescriptionibus subsunt, quae pro veris beneficiis constitutae sunt: multo vero minus in casu, de quo agitur, cum res odiosa sit. Nihilominus non deest remedium huiusmodi capellani proterviae compescendae. Ordinarius enim, utpote exsecutor natus voluntatis testatorum ex iure sacrorum canonum potest eidem iniungere, ut legi a testatore praescriptae adamussim sese conformet, congruo eidem ad deliberandum tempore praefinito, quo habitum resumat, vel capellaniam dimittat; eo vero inutiliter elapso, procedere integrum erit Episcopo et capellaniam eidem auferre, ita ut alteri eadem rite adiudicari valeat. Et sane in simili casu, proposito dubio apud S. C. Concilii in *Spoletana Capellaniae* 3. Decembr. 1842.: « An et qui terminus, et quomodo » sit praefigendus N. N., ut incedat in habitu et tonsura in » casu? » Emi Patres rescripserunt: « Affirmative, et praefigatur » ab Archiepiscopo terminus trium mensium, sive ad reassum- » ptionem habitus clericalis, sive ad dimittendum. » Idem resolutum fuit nuperrime in *Placentina Capellaniae* 7. Dec. 1861. *per Sum. prec.* et ad rem facere potest *Faventina Legati* 17. Decembris 1825. *ad 2. dub.*

452. Tandem non inutile putamus advertere, ea omnia, quae hactenus diximus de privilegio canonis et fori, et de beneficiis ac pensionibus ita se habere, iure communi utique inspecto: nam ceteroquin, si ex speciali concordato cum Apostolica Sede, ut non raro fit, aliter indultum fuerit alicui ditioni, nemini dubium est, quin specialibus itidem eiusdem concordati sanctionibus inhaerendum sit.

453. De vestium clericalium qualitate ultimo loco elocuturis, inspiciendum prae primis occurrit, cuius coloris et formae vestes ipsae esse debeant. Cuivis obvium est, colorem in habitu a clericis usurpandum nullum alium esse debere, praeter nigrum: idque iamdudum ex disciplina ecclesiastica statutum est, et hisce temporibus ubique gentium a clericis ita retinetur, ut nihil, aut

parum amplius desiderandum videatur. Itaque de hac re nihil ulterius moror. Qui tamen penitus nosse cupit, quae fuerit ecclesiastica disciplina circa colorem vestium clericalium a primis usque Ecclesiae temporibus, consulat praeter alios Ioannem de Ioanne *Histor. Semin. cap. 15.*

454. Ad formam quod attinet, sciendum est, neque per sacrorum canonum iura, nec per Conc. Trid. clericalis habitus formam fuisse adamussim determinatam; sed tantummodo generatim ab eiusdem Synodi Patribus sancitum fuisse, ut ecclesiasticae personae habitum gerant « *eorum ordini et dignitati congruentem* » *iuxta Episcopi ordinationem et mandatum* », ut legitur *cit. cap. 6. Sess. 14. de Reform.* Sixtus V. Constit. *Cum sacrosanctum,* qua clericalis habitus delationem clericis quam gravissime iniunxit, conceptis verbis designavit eum *talarem* esse debere. Itaque, veluti monet Bened. XIV. *Inst. eccl. 71. num. 3.,* Apostolica Sedes nunquam non sustineri rescripsit Episcoporum edicta, quibus ecclesiasticis viris vestis oblongae, nempe talaris, usus praecipiebatur. Bened. vero XIII. in *Conc. Rom. anni 1725. tit. 16. cap. 3.* praecepit Episcopis, ut suarum dioecesum clericis observantiam imponerent edicti Card. Paolucci, almae Urbis Vicarii, in quo ad paragraphum tertiam, uti videre est in *Appendice eiusdem Concilii n. 18.* iuxta S. C. Conc. decretum diei 13. Sept. 1677. prohibetur, ne clerici ab ortu solis ad mediam noctis horam breviori habitu utantur, sed talarem continuo deferant.

455. Nihilominus huiusce disciplinae usus aliquando tantisper emollitus est; namque in eodem Card. Paolucci decreto ad §. *4.* permittitur, ut clerici itineris occasione, aliave legitima causa a Card. Urbis Vicario vel eius Vices-Gerente approbanda breviorem habitum usurpare queant, qui tamen genua tegat, et de cetero modestus sit, nec exquisita arte elaboratus. Eodem permissu uti passus est ecclesiasticos viros Bononiensis dioecesis Bened. XIV. *cit. Inst. n. 9.* exemplum secutus S. Caroli Borromaei in Conc. I. Mediolanen. Dum vero aliquando habitu contractiori sese indui posse clericis permittitur, non adeo late huiusmodi permissio amplianda est, ut sine habitu talari ecclesiam ad Sacrum faciendum, aliasque ecclesiasticas peragendas functiones ingredi liceat. In memorato namque edicto Cardinalis Paolucci ad §. *5.* contra sacerdotes in eam legem peccantes gravissimae poenae infliguntur, eaedemque ecclesiarum aedituis applicantur, si sacerdotibus sine

talari veste Sacrum litare permiserint. Huiusmodi edictum tametsi loca non alliget extra provinciam Romanam, nihilominus tutissimam omnibus catholici orbis Antistitibus normam praebere potest; eaque de re paulo fusius ipsum enucleavimus. Ceterum norma pariter desumi potest a memorata *Inst. eccl. 71.* Bened. XIV., in qua haec materia iuxta solitum doctissime exponitur.

456. Caveant nihilosecius Episcopi in poenis imponendis, ne nimium rigidos sese ostendant. Quoties enim ecclesiastici viri contra huiusmodi Episcoporum immoderantiam penes Sacr. Congregationem Conc. conquesti sunt, Emi Patres leges quidem ab Episcopis latas confirmarunt, sed poenarum rigorem moderati sunt. Ad rem aliquas Sac. Congreg. declarationes exscribimus ex folio causae *Bisaccien.* 1. Martii 1738. §. *Quod autem:* « Sacra Congre-
» gatio consentanee ad conciliarem hanc sanctionem consuevit
» rata habere Episcoporum decreta, seu edicta, quibus talaris
» vestis gestatio fuerat clericis iniuncta, idque praesertim contigit
» in *Hortana* 8. Iun. 1690., ubi ad dubium: *An edictum seu*
» *praeceptum Episcopi sustineatur?* rescriptum fuit: *Secretario ad*
» *mentem,* quae in haec verba fuit explicata: Sustineri edictum.
» Sacerdotes teneri semper incedere in habitu talari, et clericos
» maxime in functionibus ecclesiasticis, et quoad poenas Episcopus
» moderate procedat, ut in *lib. 40. decret. pag. 435.,* in *Ostunen.*
» 6. Iul. 1697. ad 7. dub., *(lib. 47. decret. pag. 294.),* in *Milevit.*
» Synod. 4. Iul. 1707. ad 27. *(lib. 57. decret. pag. 261.) Mar-*
» *sicen.* 15. Dec. 1731. In *Ruben.* Habit. talar., in qua discusso
» hoc dubio: An edictum super delatione habitus talaris in ec-
» clesiis illarumque ingressu et regressu sustineatur? die 18. Au-
» gusti 1708. fuit in haec verba rescriptum: Sustineri, moderatis
» poenis arbitrio Emi Praefecti, qui in hunc modum declaravit:
» Nos ad mentem eiusdem S. C. nobis expressam declaramus, a
» supradicto edicto Episcopi delendas esse contra inobedientes,
» videlicet, quoad sacerdotes poenam suspensionis ipso facto in-
» currendae, quoad clericos poenam, quod non possint promoveri
» ad sacros Ordines, nec admitti ad beneficia, quamvis de iure
» patronatus, et quoad sacristas poenam suspensionis, et respective
» quoad clericos poenam interdicti ab ingressu ecclesiae, et loco
» praedictarum poenarum mulctandos esse in quinque libris cerae
» albae laboratae, et in subsidium suspensionis et interdicti fe-
» rendae sententiae respective, ut in *lib. 58. decret. pag. 288.*

» Et novissime in *Salernitana, Elictorum*, ubi, cum inter » cetera discussum fuerit: 2. An dignitates et canonici praedicti » cogi possint ad incedendum in habitu talari usque ad occasum » solis, excepta tamen occasione eundi ad loca ruralia? et qua- » tenus affirmative. 3. An adversus dignitates et canonicos prae- » dictos in casu inobedientiae sit procedendum etiam per inqui- » sitionem? sub die 27. Septemb. 1732. prodiit rescriptum: Ad 2. » Affirmative, Ad 3. Ad mentem; scilicet, quod scribatur Ar- » chiepiscopo, ut prius moneat semel atque iterum; si autem id » non sufficiat, procedatur etiam ex officio et per inquisitionem, » ita tamen, ut processus fiat sine emolumentis curiae archie- » piscopalis. *(Lib. 82. decret. pag. 453.)*.» Et in eadem ipsa *Bisaccien.* proposito 10. dubio: « An et quomodo sit servandum edi- » ctum promulgatum ab Episcopo super delatione habitus talaris » in casu? die 15. Mart. 1738. S. C. Conc. rescripsit: Affirma- » tive, moderata poena in uno ducato tantum, citra approba- » tionem limitationis, et amplius. » Porro Episcopus poenam contra edicti sui violatores ducatorum quinque constituerat.

« XIV. An habeantur conferentiae theologiae moralis, seu » casuum conscientiae, et etiam sacrorum rituum, et quot vici- » bus habeantur, et qui illis intersint, et quinam profectus ex » illis habeatur. »

Summarium. 457. Collationum sacerdotalium usus antiquissimus et receptissimus ultra montes. – 458. Non ita de Italia accidebat. – 459. Primus easdem induxit S. Carolus Borromaeus. – 460. S. Caroli exemplum secuti sunt Italiae Episcopi. – 461. Peculiariter vero Bened. XIII. earumdem celebrationem in Concilio Romano praescripsit. – 462. Apostolicae Sedis mens ea iamdiu fuit et hodie est, ut eaedem ubique locorum celebrentur. – 463. In quo etiam atque etiam instat S. Congr. Conc. in responsionibus ad Episcopos. – 464. Si ubi ob peculiares circumstantias haberi non datur, suppletur praesertim per quaestiones de re morali ac liturgia in calendario propositas a singulis enodandas, et curiae mittendas; quas, si opus sit, emendatas ex ea recipiant auctores. – 465. Quae norma servanda sit, docet methodus a Bened. XIII. in Conc. Romano proposita. – 466. Quaestiones super disciplinis ecclesiasticis proponi solitas in ecclesiis ultra montes S. Congr. laudat, attamen exigit, ut rei moralis ac liturgicae disceptatio non desit. – 467. Ex Conc. Rom. praescripto singulis hebdomadibus hi coetus habendi sunt; hodie tamen to-

leratur, ut singulis quindecim diebus, vel etiam semel in mense habeantur, utraque morali ac liturgica quaestione proposita. Circa dioeceses extra Romanam Synodum nihil determinatur, sed frequenter haberi indefinite praecipitur. – 468. 469. Casus excogitandi ac proponendi munus poenitentiario vel theologo maxime congruit, itaque si in decreto fundationis, et synodali sanctione hoc onus iis impositum fuerit, utique debent ad idem explendum ab Episcopo compelli. – 470. 471. Si tamen onus huiusmodi ex lege fundationis iisdem iniunctum non est, caute procedendum esse in hoc onere noviter superimponendo docet causa *Maceratensis*. – 472. Itaque consultius est ad hanc rem facultatem S. Sedis impetrare. – 473. Ad conferentias intervenire tenentur parochi sive saeculares sive regulares. De parochis regularibus ab Episcopi iurisdictione specialiter exemptis, non est definitum, an ab Episcopo cogi possint. – 474. Item tenentur curati, seu vicarii ecclesiarum parochialium, quae monasteriis unitae sunt. – 475. Confessarii regulares ab Episcopo cogi non possunt. – 476. Aliter est de confessariis regularibus locorum, quae Conc. Romano subsunt: iidem enim tenentur, si in propriis conventibus lectiones morales non habeantur. – 477. 478. Convenire etiam tenentur omnes confessarii saeculares, licet in cathedrali vel collegiata canonici sint, vel dignitates, praesertim poenitentiarius. Ceteri sacerdotes hortandi sunt, non compellendi, iuxta decisiones antiquas. – 479. 480. Iuxta decisiones recentiores ac praesertim Conc. Romanum omnes ecclesiastici viri sacris Ordinibus initiati cogi possunt. Clerici tamen, qui nondum in sacris constituti fuerint, cogendi minime sunt. – 481. Contra inobedientes mulcta pecuniaria potest ab Episcopo constitui. Quae mulcta ne immodica sit. – 482. Quo ordine ecclesiastici viri congregati in Synodo sedent eodem et in conferentiis eos sedere oportere S. C. Conc. sancivit in *Fulginaten.* et in *Oriolen.*

457. Originem coetuum sacerdotalium, de quibus hic Benedictina Instructio loquitur, erudite persequitur S. C. in Folio *Treviren. Iurisdict.* 2. Apr. 1729. §. *Huiusmodi;* ait enim: « Huius-
» modi capitula seu congregationes generales parochorum anti-
» quissima et receptissima erant ultra montes, praecipue in Gallia,
» Anglia, Germania, quae semel vel bis in anno, aut singulis
» mensibus habebantur coram archidiaconis vel decanis rurali-
» bus, et diversimode vocabantur, *capitula* nempe *consistorialia,*
» *kalendae, synodi, sessiones et collationes,* ut, expendendo plures
» sanctorum Patrum et Episcoporum constitutiones ac decreta Con-
» ciliorum provincialium, plene et erudite disserit Thomassinius
» *de vet. et nov. Eccles. disc. tom. 2. lib. 3. cap. 74. num. 10. et*

seq. et cap. 76. per tot. » Usum hunc retinent adhuc hisce temporibus non paucae dioeceses ultra montes: solent enim semel, vel bis, atque etiam pluries in anno huiusmodi conventus celebrare, in quibus de theologia, de Scriptura, de sacris canonibus, aliisque sacrarum scientiarum partibus publice disputatur. Id enim passim colligitur ex relationibus Episcoporum de statu earumdem dioeceseon.

458. « In Italia inusitata et fere inaudita erant similia ca-
» pitula parochorum ex ratione, quam adducit idem Thomassinus
» dicto *cap. 76. num. 3.*, quia nempe omnes Italiae Episcopatus
» tam angustis limitibus concluduntur, ut necesse non fuerit eos
» in plures decanatus, seu archidiaconatus dividi: episcopatus
» vero illarum partium ultra montes longe lateque porrigebantur,
» ut eos in plures decanatus dividi non solum opportunum esset,
» sed prope necessarium.

459. » Divus Carolus Borromaeus primus in Italia fuit, qui
» praecepit, ut singuli Episcopi suas dioeceses in varias parti-
» rentur regiunculas, et unicuique eorum archidiaconum, vel
» archipresbyterum, seu praepositum ruralem sub qualitate vi-
» carii foranei praeficerent, istis iniungendo, ut singulis mensibus
» omnes parochos sui territorii congregarent ad effectum confe-
» rendi de ratione ac modo bene regendi parochias, de difficul-
» tatibus seu scrupulis, de casibus conscientiae, de causis sive
» casibus reservatis, ac etiam de constitutionibus Synodorum et
» Conciliorum, ut late habetur in *Conc. I. Med. cap. 29.* et late
» prosequitur Thomass. *cap. 76. num. 3.*

460. » Exemplo D. Caroli Borromaei plures deinde Italiae Epi-
» scopi introduxerunt seu demandarunt in eorum civitatibus et
» dioecesibus congregationes particulares singulis mensibus vel
» semel in hebdomada habendas per parochos et omnes de clero,
» in quibus sacrorum rituum et conscientiae casus proponerentur
» et discuterentur. »

461. Peculiariter vero Bened. XIII. in Concil. Rom. *an. 1725. tit. 15. cap. 9.* hac de re Episcoporum Romanae provinciae in haec verba studium excitavit: « Quocirca operae pretium ducant
» Episcopi, omnemque curam ac diligentiam adhibere non desi-
» stant, quousque congregationes, tum in civitatibus, tum in dioe-
» cesibus per omnes de clero sacris initiatos, canonicos, parochos
» et confessarios (regulares etiam, dummodo morales in eorum

» conventibus lectiones non habeantur, alias ab audiendis con-
» fessionibus suspendendos) semel in unaquaque hebdomada, cer-
» toque designando die, et sub certa poena pecuniaria contra con-
» tumaces habeantur, in quibus alternatim et rituum et conscien-
» tiae casus proponantur, discutiantur et practice exerceantur. »

462. Bened. XIV. in *Inst. eccl. 32.* §. 7. animadvertit, non alia de causa in hac nostra Benedictina Instructione Episcopos rogari *An habeantur conferentiae theologiae moralis et sacrorum rituum?* nisi quod Apostolicae Sedis ea mens est, ut ubique locorum huiusmodi sacerdotales conventus celebrentur. Quod luculenter liquet ex Constit. *Apostolici ministerii* pro restauranda in Hispaniis ecclesiastica disciplina, quam Bened. XIII. in Constit. *In supremo* edita post Conc. Rom. *anni 1725.* confirmavit, et omnibus catholici orbis Episcopis sequendam proposuit. Ibi enim §. 7. sermonem habens de clericis tam in minoribus, quam in maioribus Ordinibus constitutis, atque adeo presbyteris etiam nullo beneficio praeditis sic ait: « Quin imo enixe hortamur, ut Episcopi
» aliarum dioecesum, in quibus mos ille institutus hactenus non
» fuerit, id in posterum servari curent in omnibus, ac insuper
» satagant, ut omnes ecclesiastici praedicti etiam collationibus
» habendis coram parochis suis, vel aliis ab Episcopo deputatis
» super casibus conscientiae forum concernentibus, et super riti-
» bus ac caeremoniis sacris intersint. »

463. Itaque S. C. Concilii illud solemne est, ut in responsionibus ad Episcoporum relationes de statu ecclesiarum redditis, amplissimas laudes iis impertiatur, qui huiusmodi conventuum usum in suas dioeceses invexerint, aut, si fortasse aliquamdiu intermissus fuerit, in pristinum revocaverint. Quod si nullatenus servari deprehendat, sempèr et ubique inculcat et instat, ut iuxta disciplinam communiter receptam quam primum stabili ratione non modo in civitate dioeceseos principe, sed et in singulis omnibus eiusdem dioecesis oppidis iidem conventus instituantur.

464. Neque vero praetereundum est, aliquando accidere, ut aliquibus in locis ob aeris intemperiem, viarum asperitatem, ac parvum sacerdotum numerum, aliasque huiusmodi difficultates sacerdotales hosce conventus celebrare omnino non detur. Hisce in casibus solet communiter S. Congreg. Episcopis inculcare, ut huic defectui consulant ea, quae modo explicabitur, ratione, videlicet, ut in calce libelli quotannis edi soliti, qui inscribitur

Ordo divini officii recitandi ac Sacri peragendi, vulgo *calendario* quaestiones tum a theologiae moralis, tum a sacrae liturgiae disciplinis petitae proponantur, quas ecclesiastici viri, legitimo ne coeant impedimento detenti in scriptis teneantur accurate resolvere, et ad curiam episcopalem fideliter mittere; curia vero episcopalis singulorum scripta sedulo expendat, et ubi opus sit, emendet ac corrigat, et ita emendata et correcta suis auctoribus opportune remittat.

465. Quae norma in ecclesiasticorum conventuum celebratione servanda sit, plane edocet methodus a Bened. XIII. in Romani Concilii appendice sub numero XVII. tradita, quam dabimus in volumine III. sub num. 41. Nam Episcopi, qui intra Pisanam et Capuanam provinciam continentur, eidem se conformare ex lege tenentur: qui vero extra eos limites extenduntur, ex ea habent exemplum, quod imitari possint. Insuper S. C. solet Episcopos hortari, ut hac in re consulant Benedicti XIV. *Inst. eccl. 32.* et insuper *102. ac 103.*, in quibus quidquid ad hoc argumentum pertinet, copiose exponitur et explicatur.

466. In expendendis Episcoporum literis de statu dioecesum, praesertim exterarum gentium, haud raro colligitur, inveniri Episcopos, qui in sacerdotalibus huiusmodi coetibus habendis varias quaestiones de re dogmatica, de iure canonico, de rebus biblicis, aliisque id genus disceptari iubeant. Hunc usum S. C. non improbat, atque adeo laudat, dummodo tamen disceptationes de disciplinis moralibus et liturgicis ne desint, quin imo praecipuam sibi vindicent partem. Alias insuper haud raro accidit, ut quaestiones e morali theologia discuti soleant, sed disciplinarum liturgicarum pertractatio desideretur: quocirca non omittit diligenter instare, ut hae quoque rebus moralibus omnino interserantur.

467. Ex praescripto Romani Concilii singulis hebdomadibus ecclesiastici viri convenire deberent, ita ut alternis vicibus casus moralis vel liturgicus enodetur. Ab hoc tamen rigore aliquantisper temperatum est; nam S. Cong. conniventia ac dissimulatione utitur, quoties animadvertit, quod singulis quindecim diebus et etiam quolibet mense coire soleant, ita tamen, ut in eodem conventu et casus moralis et liturgicus pertractetur. Quod vero pertinet ad Episcopos extra provinciam Romanam constitutos, quamvis eorumdem coetuum frequentiam enixe commendet, nihilominus si minus quam duodecim vicibus, quot nempe sunt anni menses,

celebrari soleant, non idcirco rem pressius urgere satagit, exemplo a Bened. XIV. desumpto, qui octies in anno celebratos minime redarguit *(Instit. eccl. 32. num. 8. et 12.)*; quamvis posthac *(Instit. eccl. 105. §. 2.)* eum numerum ad singulos menses ampliatum legatur.

468. In qualibet episcopali curia aliquis adsit oportet ecclesiasticus vir in scientiis theologicis ac liturgicis peritissimus, qui utriusque facultatis quaestiones scite inveniat proponatque, unaque eas solidis argumentis et ecclesiastica eruditione resolvat. Hoc munus poenitentiali cathedralis templi canonico maxime convenit, quippe qui pro sui officii natura theologiae moralis disciplinas callere apprime debeat.

469. Canonico etiam theologo similiter congruit; nam, quemadmodum animadvertit Bened. XIV. *(de Syn. dioec. lib. XIII. cap. 9. num. 17.)*, decretum Conc. Trid. *cap. 1. Sess. 5. de Reform.* aeque comprehendit Scripturarum sacrarum expositionem, ac theologiae disciplinam. Hinc per nonnullos Antistites laudabiliter mandatum fuisse adnotat, ut per canonicum theologum ea traderetur theologia, quae est de conscientia ac moribus. Id vero factum est *primo* vel unam rem cum alia cumulando, videlicet ut theologus biblicas lectiones populo habeat, ac simul conscientiae casus explanet, uti statutum est in Mediolanensi Concilio provinciali a S. Carolo Borromaeo celebrato, in celeberrima Synodo Farfensi, in Synodo Montisfalisci a Card. Barbadico habita, aliisque dioecesibus; *secundo* vel unam rem alteri subrogando, nimirum quando theologus loco lectionum biblicarum theologiam moralem simul doceat et conscientiae casus enodet. Quo in casu adnotandum, quod S. C. Episcopos hortatur, ut, quoad fieri potest, theologum inducant ad aliquas saltem biblicas lectiones in anno populo explicandas.

470. Itaque si ex lege fundationis et synodali statuto poenitentiario vel theologo onus incumbat explicandi quaestiones theologiae moralis et sacrae liturgiae in coetibus, de quibus loquimur, utique invigilare debent Episcopi, ut onus muneri suo iniunctum adamussim explere perseverent. Neque S. Congregationis auctoritas eidem deerit, si forte opus sit, ut videre est in *Ripana* 12. Ianuar. 1692.; cum enim Ripano theologo in erectione praebendae theologalis impositum, et deinde synodali constitutione confirmatum fuisset onus, ut aliquos saltem, praeter

biblicam lectionem, casus explicaret, et, aliquo suborto dissidio, quaereretur: « *An lectio sacrae Scripturae vel casuum habenda* » *sit ad formam erectionis singulis octo, vel singulis quindecim* » *diebus?* » S. C. respondendum censuit: « *Servandam esse legem* » *erectionis, et quoad modum remisit arbitrio Episcopi* », uti habetur in Fol. *Maceraten. Solut. cas.* ad diem 23. Novemb. 1850. §. *Lectioni. (Cfr. cap. III. n. 192. pag. 372.).*

471. Si vero idem onus in actu erectionis iniunctum non fuisse comperiatur, et poenitentiarius vel theologus idem perferre detrectet, ne Episcopo negotium ex hac re exhibeatur, caute procedendum eidem erit. Cum enim novum beneficiis onus imponere non liceat Episcopis, satius erit, si plus nimio studium suum non intendat. Normam praebere potest mox memorata causa *Maceraten. Solut. casuum consc.*, in qua Episcopus fretus constitutionibus, quas eiusdem decessores ediderant, necnon aliquibus ex Synodis identidem habitis, ac denique diutina observantia, canonicum theologum, qui iam per plures annos huic oneri subeundo acquieverat, ad institutum cursum prosequendum, poena etiam addita, per suum decretum coegerat. Re ad S. Cong. delata, duo dubia concinnata sunt: « 1. An canonicus theologus cathe- » dralis Maceratensis teneatur ad concinnationem et solutionem » casuum conscientiae et liturgiae praeter lectionem S. Scripturae » in casu? 2. An sustineatur poena solutionis scutatorum decem a » curia episcopali pro qualibet negligentiae vice inflicta in casu? » Die 21. Sept. 1850. C. Congreg. rescripsit: « Ad 1. Affirmative » ad formam constitutionum synodalium. Ad 2. Quoad poenam » servetur Bulla Bened. XIII. *Pastoralis officii.* » Theologus novae audientiae beneficio impetrato ostendebat, tum quod in actu erectionis praebendae suae id munus non fuerat praestitutum, tum quod Synodi dioecesanae vel nullum verbum ea de re facerent, vel ita facerent, ut obligandi vim non praeseferre viderentur, tum denique quod observantia actus mere voluntarios importaret, neque constans ac perpetua ullatenus dici posset. Itaque proposita iterum causa cum dubiis: « An standum vel recedendum esset a decisis? » S. C. die 17. Decembr. anni 1853. respondit: « Ad 1. et 2. recedendum a decisis » Tertia et quarta vice, proposita causa, responsum prodiit: « Iterum proponatur. » Dein: « Dilata ad primam post aquas. » Tandem quinta vice ad sacrum Ordinem deducta die 16. Dec. 1854. sine definitoria sententia

dimissa abiit cum adnotatione: « De consensu partium non pro-
» posita. »

472. Itaque in hoc casu consultius se geret Episcopus, si Apostolicam Sedem adeat; quae, vacatione praebendae theologalis eveniente, novum hoc onus sua auctoritate eidem etiam *nunc pro tunc* in perpetuum adiiciat, si praesertim praebenda opimis proventibus perfruatur. Recte etiam aget, si in concursus indicendi programmate non praetermittat candidatos de hoc munere noviter adiecto ad maiorem cautionem commonefacere.

473. Modo eos recensere suscipimus, qui hisce coetibus sacerdotalibus interesse tenentur. Veniunt primo loco animarum curatores, sive ii saeculares sint, sive regulares. Nam S. C. Conc. in *Foro Sempronien.* 3. Sept. 1650. *(lib. 19. decret. pag. 76.)* « censuit Episcopum cogere posse ad interessendum congregationi
» casuum conscientiae parochos tam saeculares, quam regulares
» curam animarum exercentes. » Itaque Bened. XIV. in Constit. *Firmandis* (quam dabimus in volumine III. sub num. 42.) §. 9. ad officium Episcopi pertinere statuit examinare inter cetera, « an congregationes, seu conferentias super casibus conscientiae
» haberi solitas (parochus regularis) frequentet.»

Sunt aliqui parochi e regularibus, qui ex praescripto Conc. Trid. *Sess. 25. cap. 11. de Regularibus* et declaratione Bened. XIV. in Constit. « *Firmandis* » (§. *12. et sequentibus*), a iurisdictione, visitatione, et correctione Episcopi sunt exempti. Quaesitum est in *Treviren. Iurisd.* 2. Apr. 1729. apud S. C. Concil., an duo parochi, tali exemptione gaudentes, conventibus, ubi casus morales resolvebantur, comparere tenerentur; S. C. respondit: « Di-
» lata, et scribatur nuntio Apostolico pro informatione, auditis
» interesse habentibus. » Neque unquam amplius quaestionem hanc propositam fuisse colligitur e thesauro resolutionum eiusdem S. Congreg. Ceterum datum non est in illo eodem thesauro adsimilem aliam reperire causam, in qua eadem controversia disquisita definitaque fuerit. Quocirca res sub iudice adhuc pendere dicenda videtur.

474. Secus autem se res habet, si agatur de curatis seu vicariis ecclesiarum parochialium, quae monasteriis unitae sunt; hos enim accedere teneri ad congregationes casuum conscientiae, et renuentes posse iuris remediis ab Episcopo compelli, Monacellus a S. Congr. Conc. pluries declaratum fuisse testatur. *Form.*

Leg. p. 1. tit. 6. form. 20. n. 15., ac praecipue in *Lauden. Iurisd.* 1. Dec. 1691. *ad nonum*, 20. Sept. 1692., necnon in *Foro Sempronien.* 3. Sept. 1650. *(Lib. 15. decret. pag. 76. et aliis).*

475. Quaestio proposita non semel est, an regulares confessarii, qui iuxta decretum Innoc. XI. *Ut in parvis* Episcopi iurisdictioni subsunt, collationes morales adire debeant. Qua in re adest resolutio S. Cong. Conc. *Foro Sempronien.* 12. Maii 1681. *(lib. 35. decret. pag. 238.):* « Episcopus exponit in civitate Foro » Sempronien. duo adesse Regularium coenobia, unum scilicet » Min. Conv. S. Francisci, alterum vero Barnabitarum, quae pro- » pter exiguum religiosorum numerum ibidem degentium subiecta » sunt iurisdictioni Ordinarii ex decreto s. m. Innocent. XI. in- » cipien. *Ut in parvis*, et licet dicti Religiosi huiusmodi subie- » ctionem agnoscant atque patiantur, quidam tamen ex eis sae- » cularium confessiones, eodem Ordinario approbante, excipiunt, » sed ad congregationem casuum conscientiae, quae singulis men- » sibus habetur, cuique omnes confessarii intersunt, accedere » renuunt; quocirca petit declarari, an praedictos confessarios » regulares cogere possit ad interessendum congregationi casuum » conscientiae: » S. C. respondit: « Negative. » Hoc decretum dari iussit eadem S. Congreg. in alia simili causa *Aquipen. VV. SS. LL.* 12. Martii 1718.

476. Adnotandum vero, quod post hasce declarationes editas Conc. Rom. an. 1725. *Tit. 15. cap. 9.*, coegit « Regulares (confes- » sarios) etiam, dummodo morales in eorum conventibus lectiones » non habeantur, alias ab audiendis confessionibus suspenden- » dos », cui proinde dispositioni standum est saltem inter Capuanam et Pisanam provinciam.

477. Itidem convenire debent sacerdotes omnes saeculares, qui Poenitentiae Sacramentum fidelibus administrant, etsi in cathedrali vel collegiata canonicatum vel dignitatem obtineant. Nam S. C. Conc. die 15. Martii. 1692. *(lib. 4. decret. pag. 147.)*, cum petitum fuisset: « An possit Episcopus compellere canonicos con- » fessarios ceterosque presbyteros cathedralis sub poena pecunia- » ria, ut accedant ad congregationem casuum conscientiae? » responsio edita est: « Posse compellere omnes sacerdotes saecula- » res confessarios, ceteros vero non posse compellere, sed hortari. »

478. Ex his merito Bened. XIV. *Instit. eccl. 103.* §. *11.*, allata in confirmationem auctoritate Card. Petra, deducit, sacerdo-

tes omnes sive ex titulo beneficii, cui onus confessiones audiendi sit adnexum, sive sine titulo ex mera voluntate confessiones excipiant, ad conventus, de quibus agimus, accedere debere; inter quos primum connumerat canonicum poenitentiarium, cui ex officio fideles poenitentia expiandi munus incumbit.

479. Quamvis autem in antiquis resolutionibus canonici confessionibus excipiendis non addicti, itemque simplices sacerdotes, quique sunt in maioribus Ordinibus constituti, ad hosce coetus celebrandos adigi non posse dicantur; nihilominus non desunt resolutiones recentioris aevi, quibus eosdem iis debere interesse declaratum est, eoque magis, si accedat praescriptio synodalis. In *Acerr.* 13. Augusti 1727. ad V. et VI. dub. « 5. An poena ducatorum 12. » imposita per Episcopum adversus canonicos non intervenientes » congregationi casuum conscientiae et sacrorum rituum sustinea- » tur, sive potius sit moderanda? 6. An canonici, qui respondere » debent casibus moralibus in dicta congregatione proponendis, » teneantur pati extractionem, ut dicitur, a sorte, sive potius sit » servanda consuetudo respondendi? » S. C. rescripsit: « Ad 5. Poe- » nam esse reducendam ad solutionem unius ducati pro quali- » bet vice. Ad 6. Affirmative quoad primam partem, negative ad » secundam. » In *Larinen.* 30. Augusti 1732. propositis primis duobus dubiis: « 1. An iuxta decretum Synodi celebrata ab Epi- » piscopo Larinen. anno 1728. indiscriminatim omnes ecclesiastici » teneantur interesse congregationi et discussionibus ad forum » conscientiae spectantibus? – Et quatenus affirmative – 2. An » contra eos, qui non intersunt, sustineantur poenae in eodem » decreto synodali inflictae, idest, quod sacerdotes debeant absti- » nere die sequenti a celebratione Missae, et quod clerici non » sacerdotes debeant solvere unum carolenum pro qualibet vice, » applicandum seminario? » S. C. respondit: « Ad primum affir- » mative, praeterquam quoad clericos non constitutos in sacris, » qui non sunt cogendi. Ad secundum, sublata poena suspensio- » nis, poenam quoad habentes curam animarum, et confessarios » esse statuendam in duobus carolenis; quantum ad reliquos » in uno. »

480. De canonicis confessiones non excipientibus idem statutum est in *Salernit. Edict.* 27. Septembr. 1732. *ad 1.* confirmata poena mulctatitia quinque carolenorum pro qualibet negligentiae vice. Idem dicendum de clericis in sacris constitutis, ut in *Ful-*

ginaten. 29. Aprilis 1780. (per Sum. prec. forte proposita), quam refert folium *Fulginaten. Praeeminent.* 14. Decembr. 1782. §. *Detrectantes.* Quanquam quod ita de Fulginatensis dioecesis clero definitum fuerit, non est mirandum: quoniam in provinciae Romanae ambitu cum ea dioecesis contineatur, Concilio Romano anni 1725. parere debet, quod conceptis verbis *omnes de clero sacris initiatos* ad hosce ecclesiasticos coetus adeundos obstrinxit.

481. Ut ii, qui conventibus huiusmodi interesse tenentur, diligentiam omnem adhibere magis magisque satagant, licet Episcopis poenas etiam pecuniarias contra negligentes constituere, monente Bened. XIV. *Instit. eccl. 102. num. 6.*, in quo tamen cavendum est, ne poena immodica sit: nam S. C. Conc., quoties huiusmodi poenae immoderationem inesse cognovit, eamdem congrue pro circumstantiarum varietate temperavit, prout innotescit ex declarationibus, quas modo attulimus, ex quibus Episcopi poterunt saltem normam arripere.

482. Et ne vel minima in horum conventuum celebratione animorum offensio contingat, provide cavit Romana Synodus in methodo, quam tradit, ut suam quisque sedem ordine teneat. In qua quidem re exemplum peti poterit ab ordine, qui in celebratione Synodorum servandus est. Ita se gessit S. Cong. Conc. in super allata *Fulginaten. Praeeminent.* 14. Dec. 1782., ut habetur in folio eiusdem causae §. *Concilium, et sequent.* In ea siquidem Collegiatae SSm̃i Salvatoris canonici, licet brevi indumento, et non unitim interessent, contra parochos, aliosque de clero propugnabant post cathedrale Capitulum sibi deberi locum, tum quod in omnibus ecclesiasticis functionibus reliquis de clero canonici Collegiatae praecederent, tum quod Collegiata ipsa insignis haberetur et esset. Itaque proposito dubio « An in congregationibus » casuum post primum locum assignatum Capitulo et canonicis » ecclesiae cathedralis a dextris Rm̃i Episcopi debeatur Capitulo, » et canonicis Collegiatae SSm̃i Salvatoris primus locus a sini» stris eiusdem Rm̃i Episcopi in casu? » S. C. respondit « Affirmative ». In *Oriolen. Decretorum.* 23. Ian. 1734. res erat de Collegiata, quae tribus dignitatibus et undecim canonicis constabat, quibus addebantur quatuor *hebdomadarii curati* animarum curam exercentes: suborta dubitatione (nona): « An sustineatur trigesi» mum secundum decretum (Episcopi) mandans, quod in colla» tionibus habendis de moralibus quaestionibus, si praesideat re-

» gens, proximum ab eo locum occupet curatus, reliquae vero
» sedes sint communes tam canonicis, quam ecclesiasticis indi-
» scriminatim? » S. C. respondit: « Negative et amplius. »

« XV. Quinam sint mores cleri saecularis, et an aliquod in
» eo adsit scandalum, quod remedio indigeat potentiori. »

Summarium. 483. Quales esse debeant cleri mores ac vita, descripserunt Tridentini Patres. – 484. Haec materia cum latissime pateat, lector ad interpretes rerum canonicarum ac praesertim Ferrarium remittitur. – 485. Hic agendum suscipitur de rebus saecularibus ac negotiatione clerico prohibitis. – 486. Rerum eiusmodi enumeratio e S. Carolo Borromaeo exscribitur. Clericus munera obire nequit advocati, procuratoris, tabellionis, medici, conductoris, tutoris, fideiussoris et alia eiusmodi. – 487. Canones iuris communis contra clericum negotiatorem leguntur apud Ferrarium. Affertur epitome Constit. Bened. XIV. *Apostolicae servitutis.* – 488. Item et Constit. Clementis XIII. *Ubi primum.* – 489. S. C. Conc. in *Caputaquen.* declaravit, licere clericis agros beneficii ac patrimonii sacri per laicos colere, item pro cultura boves et alia animalia emere et foetus vendere; item sues pro sua et familiae sustentatione in propriis nemoribus alere; item vendere folia arborum pro alimonia bombicum, ac lucrum cum laico dividere, vel per se arti sericae operam dare; item licere clericis pauperibus terras ecclesiae colendas conducere; atque etiam laicorum, accedente tamen necessitate; locare oves et boves et alia animalia ex successione vel decimis obvenientia; segetem ex fundis beneficialibus aut patrimonialibus vendere. – 490. Eadem S. Congr. pariter in *Nicostraten.* declaravit, clericos posse locare operas bovum, quos in suis fundis pro cultura aut aliis licitis modis retinent; minime vero conducere a *giovatico* boves emptos pro certa tritici quantitate: nec oves item emptas concedere pro certa casei quantitate; posse tamen in suis molendinis vel pistrinis granum vel olivam molendam suscipere, certis conditionibus accedentibus: non posse assumere onus colligendi sive per se sive per alios olivas, nisi in praecisa necessitate: posse opera sua cum amicis commutare, si opera sordida non sint et inhonesta. – 491. Eadem S. C. in *Apuana* edixit, constare de illicita negotiatione cuiusdam parochi, qui ex fructibus paroeciae aliorumque munerum societatem bovum iniverat, et exinde sortem scut. 1000 sibi comparaverat. – 492. In *Ripana* resolvit sustineri electionem cuiusdam sacerdotis in ministrum Capituli collegiatae, ac proinde uti negotiatorem non esse culpandum. – 493. De societate vulgo *Accomandita,* quae duplex est; regularis, vel irregularis. – 494. S. C. Episc. et Regul. resolvit, clericis non licere acquirere actiones illius societatis, neque item pro iisdem

acquirendis indultum esse concedendum. – 495. De societate vulgo *Privilegiata società di assicurazione.* In quo eadem consistat. – 496. Proposito apud S. Congregationem Episc. et Regul. dubio, an pro illiusmodi alienatione pensionum ecclesiasticorum opus sit beneplacito Apostolico, Sacra Congregatio respondit negative, nisi in certis casibus. – 497. Sed s. m. Gregorius XVI. decretum edi iussit, quo huiusmodi alienationes omnino damnavit: hoc decretum affertur per extensum. – 498. S. Cong. Episc. et Regul. in *Castrimaris* censuit, ecclesiasticos illius civitatis proprias causas ecclesiarum, pauperum et miserabilium personarum posse tueri in tribunalibus laicorum, idque facere posse sive per se sive per procuratores, etiam in causis activis civilibus contra laicos; item censuit simplices sacerdotes cogi non posse ad assistendum in cathedrali functionibus, quae ab Episcopo vel Capitulo fiunt; item censuit non tolerandum presbyterum fiscalem in choro inter divina assistentem; item clericos non teneri assistere quotidie functionibus in cathedrali, adeoque mulctatitia poena non posse affici; non cogendos sed hortandos, ut conferentiis casuum intersint. Licentias discedendi a dioecesi iisdem sive cura animarum sive residentiae lege obstrictis sine rationabili causa ab Episcopo non esse denegandas.

483. Quales esse debeant mores ecclesiasticorum virorum, quaeque vitia eos effugere oporteat, ne fideli populo spirituali offendiculo sint, summatim edixerunt Tridentini Patres *Sess. 22. cap. 1.* eo loci, ubi « statuit S. Synodus, ut quae alias a Summis » Pontificibus et a sacris Conciliis de clericorum vita, honestate, » cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationi- » bus, choreis, aleis lusibus, ac quibuscumque criminibus, nec- » non saecularibus negotiis fugiendis copiose ac salubriter san- » cita fuerunt, eadem in posterum iisdem poenis, vel maioribus, » arbitrio Ordinarii imponendis, observentur. »

484. Hisce positis videt unusquisque tam late patere huius capitis argumentum, ut, si numeris omnibus ipsum absolvere velimus, illos brevitatis terminos, quos nobis praefiximus, perquam longissime praetergredi deberemus. Quoniam vero huiusmodi provincia a rerum canonicarum interpretibus communiter absolvitur et explicatur, ne noctuas Athenas ferre videamur, satius ducimus, si lectorem ad eosdem pro re nata amandemus. Unum hic nobis liceat commendare Ferrarium verbo *Clericus*; is enim, ut plurimum, ea omnia cumulat, quae a scriptoribus etiam recentioris aetatis docentur, ac propterea pro opportunitate sacrorum canonum declarationes adducit; quod ceteri perraro faciunt. Nonnulla

etiam nobis in hac lucubratione attingere alibi iam usuvenit, veluti ex. gr. de habitu ac tonsura clericorum: ad quae propterea lectorem remittimus.

485. Itaque nihil aliud hic exponendum suscipimus praeter quaedam, quae in usum frequentiorem venire comperiuntur. Huiusmodi certe est rerum saecularium pertractatio, ac praesertim negotiatio, super qua re proinde primo referemus varia negotiorum genera, quae clericis interdicta dici debent; subinde ea explicabimus, quae talem interdictionem respiciunt. Iamvero primae parti satisfacere nos ducimus, si species illas negotiorum eruemus ex Conc. Mediolanensi I., veluti fit tum a Bened. XIV. in Constitutionibus selectis, tum a Giraldio in *Part. II. Iur. Pontif. section. 73. pag. 917.*, ex quo eas exscribimus.

486. « Qui Deo militat, (ita ibi) implicare se negotiis saecu-
» laribus prohibetur; idcirco edicimus:

» Ne clericus sacris initiatus, aut ecclesiastico beneficio prae-
» ditus coram iudice saeculari advocati aut procuratoris nomine
» causas agat, nisi ab aliis in iudicium vocatus suam vel eccle-
» siae suae, propinquorum etiam, si necesse erit, et miserabilium
» personarum causas, ab Episcopo facultate prius scripto acce-
» pta, tueatur.

» Ne in profanis negotiis officium tabellionis exerceat.

» Ne artem medendi faciat.

» Ne in negotiationibus et mercaturis se interpretem et me-
» dium interponat.

» Negotiationem etiam omnis generis omnino prohibemus.

» Artes vero honestas concedimus, ut aliquid manibus suis
» lucretur, quo sibi, quae ad victum necessaria sunt, comparare
» possit.

» Ne aliena praedia lucri causa conducat.

» Ne aliorum tutelam, aut curam suscipiat.

» Ne pro aliis fideiubeat.

» Ne alicuius principis aut alterius negotiorum procurator sit
» sine facultate ab Episcopo prius per literas impetrata, singulis
» annis renovanda.

» Neve parum memor ordinis ac dignitatis suae sit in famu-
» latu laicorum, etiam principum, eorumque quibusvis aliis ob-
» sequiis; nisi cui ex causa et ad officium sacerdotali munere
» non indignum Episcopus huius rei potestatem ante scripto fe-

» cerit. Huiusmodi autem licentiae scripto permissae quotannis
» renoventur: alioquin irritae ac nullae sint.

» Neve praecursor aut assecla foeminarum, aut eis discum-
» bentibus assistat, aut ancilletur (1). »

« Qui autem huiusmodi saecularia negotia exercendi faculta-
» tem, seu dispensationem impetrarit, intra duos menses Episcopo
» exhibeat.

» Quaecumque in hac universa, quae ad vitam et honestatem
» clericorum pertinent, parte, variis titulis expressa praecepta
» continentur, efficiat Episcopus, ut ea omnia ab omnibus, ad
» quos spectat, diligenter et inviolate serventur.

» Qui vero clericus, cuiusvis etiam gradus, ordinis, dignitatis
» in aliqua re iis non obtemperarit, is aut salutari poenitentia,
» aut pecunia, aut suspensione ab Ordinum munere, et benefi-
» ciorum administratione, aut etiam a beneficiis, aut carcere, aut
» exilio, aut pluribus simul ex iis (poenis), aut etiam graviori-
» bus pro modo culpae Episcopi arbitratu mulctetur.

Qui iterum in eadem re peccarit, duplicata is poena pro ra-
» tione criminis ab eodem plectatur.

» Quae in Concilio provinciali I. iis, qui sacris Ordinibus et
» sacerdotio initiati sunt, quique ecclesiasticum beneficium obti-
» nent de saecularibus negotiis fugiendis constituta sunt, eadem
» poenis iisdem vel aliis, quas arbitratu suo Episcopus edixerit,
» irrogaritque, illis praescribimus, qui minorum Ordinum clerici
» sunt, etiamsi nullum beneficium obtinent, si modo clericalem
» vestitum deferunt: cum praesertim iam inde usque a teneris
» annis se religionis pietatisque institutis et disciplinae ecclesia-
» sticae moribus imbuant oportet, qui in sortem Domini vocati
» sunt. Atque in iis quidem, quae illis vitanda sunt, haec etiam
» cautio sit, ne sine Episcopi consensu, eoque literis exarato,
» laicis in servitute, famulatuque operam navent.

» Nec vero cuiquam clerico eam facultatem det Episcopus in
» aliqua re inserviendi, quae clericalis vitae rationibus pietatis-
» que officiis non admodum convenit. »

---

(1) (Sacr. Congr. Episc. et Regul. suis literis encyclicis diei 16. Martii 1697. Episcopis inculcavit, ne sacerdotes laicis hominibus, ac nominatim foeminis famulatum quemcumque praeberent, neve alia quaelibet munera abiecta ac sacerdotali professioni haud congruentia exercerent. Vide *Reg. Sac. Congreg. Episc. et Regul. ad eumdem annum*).

487. Ad alteram partem de vetita clericorum negotiatione gradum facientes temperamus ab afferendis textibus iuris canonici, ex quibus gravissima huiusmodi prohibitio comprobatur: eos congerit Ferrarius verbo *Clericus, art. 3. a n. 11. et seq.* Antiquiores etiam Summorum Pontificum Constitutiones omittimus; eas enim complexi sunt sive Bened. XIV., sive Clemens XIII., qui duo Pontifices super hac re novissimi oracula suae vocis extulerunt. Itaque Bened. XIV. in sua Constit. incipien. *Apostolicae servitutis* 25. Febr. 1741. innovat atque confirmat omnia decreta a Summis Pontificibus eatenus promulgata contra clericos negotiatores, innovat etiam atque confirmat singulas poenas ab iisdem contra horum decretorum violatores constitutas: insuper easdem poenas extendit ad clericos, qui negotiationem sub alieno nomine exerceant, perinde ac si per se et proprio eorum nomine exercerent. Propterea decernit, ut omnia et singula bona, quae alieno nomine, ut modo dictum est, ab iisdem acquisita fuerint, inevitabili spolii poenae iuxta Constit. Pii IV. *Decens.* d. d. 5. Nov. 1560. subiiciantur. Decernit etiam, ut negotia per laicos prius inchoata, et ad ipsos clericos delata continuari nequeant sub iisdem poenis, nisi urgeat necessitas ac de licentia S. C. Conc., aut etiam Ordinarii extra Italiam ad tempus dumtaxat concedenda; ita tamen, ut per interpositam personam pertractentur.

488. Clemens XIII. in sua encyclica incipien. *Cum primum* 17. Sept. 1759. in primis innovat sanctiones omnes retro emanatas, eisque subiectos esse declarat viros omnes e saeculari vel regulari clero, quin ulla suffragetur exemptio vel privilegium. Hortatur Ordinarios, ut tum ordinario, tum delegato iure ad formam sacrorum canonum contra negotiatores huiusmodi cum omni severitate procedant. In dubio, an constet de crimine illicitae negotiationis, non ipsi iudicent, sed ad S. Sedem iudicium remittant. Definit cambium activum esse actum verae ac propriae negotiationis; ideoque tum laicis, tum clericis prohibitum esse sive suo, sive alieno nomine exerceatur. Excusatio ab indigentia propria aut parentum, sororum, ac similium petita non admittitur, nisi expressa Apostolicae Sedis intra Italiam, extra Italiam Ordinariorum dispensatio intercesserit. Designat insuper formam et conditiones, quas in huiusmodi dispensationibus apponi gravissime iubet, easque, cessante causa, ipso iure cessare declarat.

Post haec Summus Pontifex ad eam perstringendam clericorum vitae rationem gradum facit, qui in bonis licet patrimonialibus aut quocumque alio titulo ad se pertinentibus ita inordinate se gerunt, ut populo scandalo sint, ac praesertim eos vituperat, qui in publicis nundinis atque mercatibus laicorum more sese ostendere non dubitant: adeoque Ordinarios excitat ac impellit, ut in eos idoneis poenis atque etiam censuris animadvertant. Subinde aliud etiam corruptelae genus coarguendum assumit, quod in eo situm est, ut clerici laicorum obsequiis, abiectisque servitiis sese immisceant, atque adeo eorum negotiis administrandis curandisque, pacta mercede, sese addicant non sine plurimo sacerdotali dignitatis dedecore ac probro. Quod utique malum ut avertatur, non modo instat Pontifex, ne quem Ordinarii ad sacros Ordines admittant, nisi congruo beneficio aut patrimonio iuxta Conc. Trid. instructus sit, sed et eos, qui actu laicis inserviunt, ne in suo dedecore insordescant, moneant, ac, si opus sit, tum propria, tum delegata auctoritate coerceant, donec ad vitae ecclesiasticae instituta, uti par est, reditum faciant.

489. Ex Giraldio *P. II. Iur. Pont. sect. 73. pag. 916.* dubia S. C. C. (sine data) a clericis dioecesis Caputaquensis proposita circa negotiationem clericorum subiicimus una cum responsionibus ad singula traditis, ut sequitur:

1. « An liceat eis terras patrimoniales et beneficiales per lai-
» cos colere?

2. » An pro necessario culturae usu possint emere boves et
» alia animalia, et foetus illorum vendere?

3. » An ii, qui in propriis terris habent quercus et castaneas,
» quarum fructibus sues vescuntur, possint sues emere, eosque
» alere et pro familiae sustentatione vendere?

4. » An iidem clerici cum foliis arborum possint in propriis
» aedibus arti sericae operam dare, vel idem opus dare ad me-
» dietatem, seu ad quartum, et fructus inde percipiendos vendere
» absque reatu illicitae negotiationis?

5. » An clerici pauperes ad suam suaeque familiae sustenta-
» tionem possint terras ecclesiae conducere?

6. » An possint locare boves, oves et animalia, quae habent ex
» successione, vel aliis *debitis* vel decimis, eorumque fructus vendere?

7. » An liceat ex ovilibus, vineis, quercubus et aliis arboribus
» existentibus in terris patrimonialibus, et beneficialibus, et aliis

» obtentis vendere oleum, vinum, glandes, et alios fructus ad su-
» stentationem suae familiae, item et granum et frumentum hu-
» iusmodi ex bonis patrimonialibus aut beneficialibus?

» S. C., praevia matura consideratione, et inhaerendo decla-
» rationibus alias factis respondit:

» Ad 1. Licere clericis agros beneficiorum et bonorum pa-
» trimónialium laicorum opera colere absque metu illicitae ne-
» gotiationis.

» Ad 2. Posse similiter clericos pro culturae usu boves et alia
» animalia necessaria emere, illorumque foetus iusto pretio et ho-
» nesta ratione vendere, nec ob id prohibitae negotiationis prae-
» textu vexari posse aut debere.

» Ad 3. Item et posse clericos habentes in propriis bonis
» quercus et castaneas, sues emere eosque alere pro sua et fa-
» miliae sustentatione, dummodo tamen in emendis, alendis, di-
» strahendisque nihil sordidum aut indecens ordini clericali ex-
» sequantur.

» Ad 4. Licere clericis folia arborum in propriis bonis exi-
» stentium alicui laico concedere, eo pacto adiecto, ut lucrum ex
» bombicibus inter utrumque dividatur, et pariter iisdem licere
» earumdem arborum foliis per se ipsos absque officii eorum de-
» trimento arti sericae operam dare pro sua et familiae susten-
» tatione, dummodo tamen artificio huiusmodi personas non su-
» spectas adhibeant, et quoad hoc Episcopi licentia, quae gratis
» sit concedenda, obtineatur.

» Ad 5. Clericos pauperes ad suam suaeque familiae susten-
» tationem posse terras ecclesiae conducere absque reatu illicitae
» negotiationis; bona vero laicorum non posse, nisi ex mera et
» praecisa necessitate.

» Ad 6. Posse retinere et locare boves et oves et alia anima-
» lia, quae habent ex successione vel decimis, necnon fructus illo-
» rum vendere absque reatu illicitae negotiationis.

» Ad 7. Eosdem posse vendere granum, hordeum et alios fru-
» ctus recollectos ex bonis patrimonialibus vel ecclesiasticis pro
» sua et familiae sustentatione.

R. Card. Ubaldinus.»

490. Eadem ratione responsum fuisse clericis Terrae Maidae, Nicostaten. dioec. anno 1627. refert Fagnanus in *Cap.* Multa sunt, *Ne cler. vel mon. n. 34. et seq.* adducens ipsam declarationem.

Sequentia dubia a sacerdotibus et beneficiatis dioecesis *Alexandr.* et *Ugentin.* eidem S. C. C. proposita sunt:

1. « An sacerdotes et clerici beneficiati possint operas suorum » bovum, quas pro laborandis praediis suis patrimonialibus seu » beneficialibus retinent, dum sibi vacant, aliis locare pro certa » mercede absque periculo spolii et poenarum clericis negotiato- » ribus impositarum?

2. » An possint, si boves emerint vel in suis praediis natos » educaverint et introduxerint, conducere, ut vulgo dicitur *a gio- » vatico*, pro certa tritici quantitate, quolibet anno persolvenda?

3. » An possint oves centum, vel saltem quadraginta, simili » actione concedere pro certa caseorum quantitate pro eorum et » suae familiae usu?

4. » An in suis molendinis pro tritico et pistrinis pro oleo » postquam suum triticum aut olivas moluerint, alienum triticum » et alienas olivas, certa mercede constituta, molere possint; sup- » positis infrascriptis: quod id ab immemorabili tempore fuerit » factum et observatum; quod singulis annis non expedit pro solo » servitio proprio triginta vel quadraginta ducatos impendere in » conficiendis pistrinis, nam fiunt ex iuncis et aliis materiis, quae » mensibus quinque aut sex corrumpuntur, et in uno equo et » quatuor personis inservientibus ipsis pistrinis; et quod molitura » olivarum durat per quatuor, quinque vel sex menses iuxta an- » norum fertilitatem?

5. » An possint assumere onus colligendi et faciendi a sua fa- » milia colligere olivas pro certa olei portione domino oliveti red- » denda, supposita in hoc immemorabili consuetudine?

6. » An possint in bonis amicorum et propinquorum operas » diurnas praestare, ut illis easdem in praediis restituant? »

Ad haec dubia responsum fuit:

« Ad 1. Affirmative, si tot iuga bovum retineantur, quot sunt » pro praediis necessaria, vel si ultra necessitatem boves illi nati » sint ex vaccis, quae pro necessitate culturae praediorum, vel alio » licito modo tenentur per doctrinam Molinae, loco infra citando.

» Ad 2. Quoad boves emptos negative, quo vero ad boves pro- » prios, affirmative. P. Molina de *Contract. Disp. 342. n. 4.*, quam » refert et sequitur Quaranta verbo *Vectigal.* §. *Similiter.*

» Ad 3. Affirmative, si oves propriae fuerint et non emptae » ad illud effectum, ex praecedente Molinae doctrina, et si emptae,

» dummodo ad comparandum necessaria ad victum et non ad
» lucrum.

» Ad 4. Affirmative duobus concurrentibus, videlicet, dummodo
» ob hanc causam non se subtrahant ab iis, in quibus ex offi-
» cio clericali incumbere debent, et dummodo non ad lucrum,
» sed ad necessaria victui comparanda pro se et sua familia:
» non enim huiusmodi artificium sordidum videtur aut inhone-
» stum in illis partibus, cum per unum equum et quatuor fa-
» mulos, seu operarios fiat, et non per ipsos clericos. Quaranta
» post alios, §. *Difficultas versatur, circa med. et fin.*

» Ad 5. Negative, nisi proprii reditus sibi suaeque familiae
» non sufficiant: nam hoc casu ad comparandum victum etiam
» aliena praedia conducere licet, *Gloss. in Can.* Pervenit *Glossa*
» Conductores 86. *dist.*, quod est de mente omnium doctorum, ut
» testatur Quaranta *ubi supra* §. *Quaeritur, in fin.*

» Ad 6. Si opera non sint sordida et inhonesta, possunt fieri
» huiusmodi commutationes per ea, quae scribit Quaranta, §. *Dif-*
» *ficultas, in fine* ex doctrina Sylvestri.

» Has antiquiores declarationes subsequuntur aliae sive ab
» eadem S. C. C. sive a C. Episc. et Regul. recentiori tempore
» editae, prout sequitur. »

491. In *Apuana* 20. Febr. 1796. sacerdos Franciscus Vasoli ex superexstantibus fructibus duarum parochiarum census sane tenuis, quas gradatim rexerat, et Missarum eleemosynis, ludimagistri stipendio, ac fructibus patrimonialibus contractum societatis iniverat bovum aliorumque animalium, sibique in bonis stabilibus, censibus, cambiis et animalibus socialibus non tenuem ex lucro constituerat sortem scutat. 1000. Conscientiae stimulis agitatus ex eo, quod de illicita negotiatione se reum esse postea dubitasset, quamvis id bona fide se fecisse cognosceret, absolutionem a Sacra Poenitentiaria in foro conscentiae obtinuit. Cum vero restitutionem redituum socialium in eleemosynas commutatam confessarius eidem iniunxisset, maioribus turbatus anxietatibus iterum S. Poenitentiariam adiit, quae oratorem ad S. Cong. Concilii remisit. Apud hanc itaque tria dubia disceptationi supposita sunt. « 1. An constet de illicita negotiatione in casu? Et quatenus
» affirmative, 2. An, in qua summa, et cui fieri debeat restitutio
» in casu? 3. An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab
» irregularitate in casu? » Emi Patres rescripserunt: « Ad 1. Affir-

» mative. Ad 2. Affirmative in scut. 300 erogandis in Christi pau-
» peres utriusque paroeciae administratae. Ad 3. Affirmative.»

492. In *Ripana Administr.* 19. Sept. 1789. Capitulum collegiatae ecclesiae S. Nicolai Montis Prandonis sacerdotem Felicem Novelli in administratorem Capituli elegerat; qui an de gremio Capituli esset, ex folio non eruitur. Huiusmodi electio cum aliis de causis oppugnabatur, tum praesertim quod sacerdoti non licet laicum ministerium exercere. Quoniam vero Ordinarius hoc ministerium cum sacerdotali dignitate conciliabile seu compatibile sane esse testabatur, ad dubium: « An sustineatur electio sacer-
» dotis Novelli in ministrum Capituli Montis Prandonis in casu? »
Emi Patres rescripserunt: « Affirmative. »

493. Sequitur declaratio S. C. Episc. et Regul. in *Civitatis Castelli super dubio, an liceat clericis acquirere actiones societatis vulgo « Accomandita »* 30. Iun. 1845. Porro ibi instituta fuerat societas, eo nomine nuncupata, cuius promotores eidem nomen dari, seu actiones acquiri ab ecclesiasticis viris in votis summopere habebant, a qua re non erant alieni ecclesiastici viri, nisi quod verebantur, ne rei illicitae negotiationis evaderent. Itaque S. Congr. Episc. et Regul. adita est, quae votum Consultoris de more exquisivit. Hic itaque in suo voto rem penitus expendendam aggressus, definitionem *Accomanditae* praemittebat, quae sic est: Societas negotiatoria, quae unitur inter duas pluresque personas, quarum una vel plures, quae dicuntur *accomandantes* certam pecuniam in societatem immittunt, quin nomen suum praestent, vel administrationi sese immisceant: altera vero persona, quae dicitur *complementarius* aut *institor* suam solummodo operam et industriam praebet, suoque nomine mercaturam sub peculiaribus legibus et conditionibus exercet. *Accomandita* dicitur *regularis,* quando accomandans institori pecuniam tradit, ut in partem veniat lucri et damni pro rata, ita tamen, ut penes *accomandantem,* ceu verum dominum ab institore repraesentatum remaneat pecuniae dominium et formale negotiationis ius. Dicitur *irregularis,* quando accomandans pecuniae dominium ac proprietatem in institorem transfert veluti in dominum et liberum negotiationis administratorem, qui nomine proprio agit; adeoque accomandans nihil aliud est, nisi merus pecuniae creditor, qui in partem admittitur lucri et damni. A Ianuensibus accomandita originem duxit; itaque nomen ignotum est in iure Caesareo.

494. Hisce praemissis Consultor non sine illicitae negotiationis culpa accomanditae actiones ab ecclesiasticis viris emi posse sentiebat; eiusque sententiae adhaesit S. Congr. Episc. et Regul. Namque ad dubia: « An liceat clericis ad Ordines maiores pro» motis, vel beneficiorum possessoribus acquirere actiones mensae » accomandatariae Civitatis Castelli? – Et quatenus negative, – An » supplicandum SSmo pro benigno indulto? » Sacra Congregatio respondit: « Ad primum: Non licere; ad secundum: Provisum in primo. »

495. Haec etiam altera declaratio ad rem facit. In *Romana Super alien. fruct. pension.* 14. Februar. 1840. Romae, auctorante gubernio, societas instituta fuerat, quae audit *privilegiata societas assecurationis;* cuius scopus in eo situs est, ut, certa soluta pecunia, eadem aedificia aliasque res tutas securasque reddat ab incendiis; quin imo securam ac tutam quoque reddit hominum vitam ad certum tempus, ita ut, si qui contrahit, legata pensionesque vitalitias obtineat pro certo tempore, licet mortem obeat, legatorum, pensionumque solutionem certam ac securam habeat a societate in utilitatem eorum, quibus ipse voluerit. Dixi *licet morte obeat;* namque ob alios casus a morte diversos societas non modo nullam cautionem ipsa praestat, quin imo hanc solet exigere cautionem, ut res omnis sibi salva sit quocumque in casu, morte excepta, sive per fideiussionem, aut adsimilem aliam securitatem. Ex quo fit, ut legatarius vel pensionarius hac accepta securitate innixus facile personam reperire possit, qui eius securitatis partem, vel totam in se recipiens una vice summam, qua indiguerit, idem exsolvat. Interdum vero quoque fit, ut societas ipsa hanc summam, initis legitime conventionibus, ipsi legatario vel pensionario persolvat.

496. Hisce praenotatis quidam sacerdos Almae Urbis pensione auctus ad levandas familiae suae oeconomicas angustias, cum quadam pecuniae vi indigeret, societati praedictae per decem annos pensionem, qua fruebatur, cedere mente sua instituerat, eoque pacto pecuniae vim, qua egebat, in promptu habere reputabat. Cum tamen pluribus de causis, inter quas periculum incurrendi poenas contra ecclesiasticos nogotiatores non ultimum habebat locum, dubitavisset, an contractus ille sustineretur, S. C. Episc. et Regul. adiit, ut beneplacito Apostolico sese muniret. Itaque, re formiter discussa, Emorum Patrum iudicio, quae se-

quuntur dubia, delata sunt: « 1. An pro alienatione fructuum » pensionum necessarium sit beneplacitum Apostolicum in casu? – » Et quatenus affirmative, – 2. An concedendum sit in casu? 3. An » et quomodo providendum sit circa cessiones iam peractas? » S. C. die 14. Febr. 1840. respondit: « Ad 1. Negative, nisi agatur » de pensionibus constitutis in titulum sacri patrimonii, vel de » alienatione vetita in Bulla Bened. XIV. incipien. *In sublimi* » die 29. Aug. 1740. » (Notum est ex hac Constitutione sub poenis contra alienantes bona Ecclesiae constitutis, prohibitum fuisse « vendere ac distrahere respective beneficiorum reditus et pro- » ventus vel ad vitam, vel in longum tempus recepta ab emptore... » pecuniae quantitate, quam ipsi beneficiati probabiliter consequi » potuissent »). « Ad 2. ac 3. Provisum in primo. »

497. Tametsi ita sententiam suam declarasset S. C. Episc. et Regul., nihilominus, mandante s. m. Gregor. XVI., decretum sequentis tenoris edidit: « Cum ad SSm̃um D. N. certo relatum » fuerit, complures ex iis, qui pensiones ex Apostolicae Sedis be- » nignitate super ecclesiastica beneficia sunt adepti, pacisci statis » conditionibus cum eo, qui certam pecuniae summam numera- » verit, ut deinceps vel ad tempus, vel ad vitae ipsorum exitum » libere easdem, praestitutis temporibus, a beneficiario percipiat, » cumque pactiones huiusmodi pro contrahentium arbitratu licen- » tius conciliatae indecorum quoddam de iis commercium indu- » cere videantur, quod fideli populo admirationi quandoque est, » viamque sternant forensibus actionibus, quae non sine eccle- » siasticae rei dedecore publice instituuntur, atque illud prae- » terea ut plurimum inferant damni, ut brevi insumantur, quae » in totius vitae commodum liberalitas Pontificum impertiverat; » eadem Sanctitas Sua pro ea, qua praestat, impensissima solli- » citudine ad haec aliaque id genus mala ex libero earum con- » ventionum usu gliscentia praecavenda, de Apostolicae potestatis » plenitudine districte mandavit, ne in posterum liceat memo- » ratos contractus, quibus unice etiam, quam dicunt, commoditas » pensionis percipiendae in alium transferatur quovis cessionis, » translationis, alienationis titulo de pensionibus ecclesiasticis » conficere, nisi habito prius de ea re speciali Apostolico bene- » placito. Hoc porro decretum per Congregationem Negotiis et » Consultionibus Episc. et Regul. propositam edi, et in eiusdem » notis servari, illudque exsecutioni per eos, ad quos spectat,

» mandari iussit. Contrariis quibuscumque etc. Datum ex S. Con-
» greg. Episc. et Regul. hac die 12. Mart. 1840. »

498. Finem huic articulo imponimus, additis resolutionibus, quas S. C. Episc. et Regul. edidit in sequenti causa *Castrimaris Super defensione causarum aliisque.* « In causa Stabien., seu Ca-
» strimaris vertente inter rev. Episcopum et canonicos cathedra-
» lis ecclesiae Castrimaris ex una, et ecclesiasticos eorumque depu-
» tatos ex altera partibus de et super infrascriptis dubiis, nempe:

I. » An liceat ecclesiasticis Castrimaris proprias causas, eccle-
» siarum, pauperum, ac miserabilium personarum tueri in tribu-
» nalibus laicorum in casu? Et quatenus Negative,

II. » An possint agere vel comparere per se, vel per procu-
» ratores in dictis tribunalibus pro eorum causis civilibus activis
» contra laicos absque licentia Episcopi in casu?

III. » An simplices sacerdotes cogi possint ad interessendum
» et assistendum functionibus ecclesiasticis, quae fiunt in cathe-
» drali per Episcopum et canonicos ad formam edicti in casu?

IV. » An sit tolerandus presbyter, qui sub nomine fiscalis as-
» sistat in choro, canonicis et aliis de cathedrali divina peragen-
» tibus in casu?

V. » An clerici dictae civitatis teneantur quotidie assistere
» divinis officiis, quae peraguntur in cathedrali in casu?

VI. » An ad dictam assistentiam cogi possint poena librarum
» trium cerae, aliisque poenis arbitrio Episcopi in casu?

VII. » An simplices sacerdotes non confessarii et clerici cogi
» possint poenis pecuniariis, censuris, aliisque poenis ad interes-
» sendum conferentiis casuum conscientiae, quae fiunt in collegio
» Societatis Iesu in casu?

VIII. » An sacerdotibus et clericis dictae civitatis non obli-
» gatis ad curam, neque ad residentiam, volentibus alio se trans-
» ferre absque licentia Episcopi, teneatur idem Episcopus con-
» cedere literas commendatitias in casu?

» S. C. Episc. et Regul. censuit... respondendum:
» Ad primum: Affirmative.
» Ad secundum: Provisum in primo.
» Ad tertium, quartum, quintum et sextum: Negative.
» Ad septimum: non esse cogendos, sed hortandos.
» Ad octavum: Non esse denegandas nisi cum rationabili causa.
» Romae 8. Maii 1716. »

APPENDIX I.

Instructio S. Congr. Episc. et Regul. dd. 11. Iunii 1880. pro ecclesiasticis curiis quoad modum procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum.

Sacra haec Episc. et Regul. Congregatio, mature praesenti Ecclesiae conditione perpensa, quae pene ubique impeditur quominus externam explicet suam actionem super materias et personas ecclesiasticas, et considerato quoque defectu mediorum aptorum pro regulari curiarum ordinatione, constituit facultatem Ordinariis locorum expresse concedere, ut formas magis oeconomicas adhibere valeant in exercitio suae disciplinaris iurisdictionis super clericis. Ut autem tota iustitiae ratio sarta tectaque maneat, serveturque processuum canonica regularitas et uniformitas, opportunum censuit, sequentes emanare normas a curiis servandas.

I. Ordinario pastorale onus incumbit disciplinam correctionemque clericorum a se dependentium curandi, super eorumdem vitae rationem vigilando, remediisque utendo canonicis ad praecavendas apud eosdem et eliminandas ordinis perturbationes.

II. Ex his remediis alia praeveniunt, alia reprimunt et medelam afferunt. Priora ad hoc diriguntur, ut impediant, quominus malum adveniat, ut scandali stimuli, occasiones voluntariae causaeque ad delinquendum proximae removeantur. Altera finem habent revocandi delinquentes, ut sapiant reparentque admissi criminis consequentias.

III. Conscientiae et prudentiae Ordinarii horum remediorum incumbit applicatio, iuxta canonum praescriptiones et casuum adiunctorumque gravitatem.

IV. Mediis, quae praeservant, praecipue accensentur spiritualia exercitia, monitiones et praecepta.

V. Has provisiones praecedere debet summaria facti cognitio, quae ab Ordinario notanda est, ut *ad ulteriora* procedere, quatenus opus sit, et certiorem reddere queat superiorem auctoritatem, in casu legitimi recursus.

VI. Canonicae monitiones fiunt sive in forma paterna et secreta (etiam per epistolam aut per interpositam personam), sive

in forma legali, ita tamen ut de earumdem exsecutione constet ex aliquo actu.

VII. Quatenus infructuosae monitiones evadant, Ordinarius praecipit curiae, ut delinquenti analogum iniungatur praeceptum, in quo declaretur, quid eidem agendum aut omittendum sit, cum respondentis poenae ecclesiasticae comminatione, quam incurret in casu transgressionis.

VIII. Praeceptum intimatur praevento a Cancellario coram Vicario Generali, sive coram duobus testibus ecclesiasticis aut laicis probatae integritatis.

§ 1. Actus subsignatur a partibus praesentibus et a praevento quoque, si velit.

§ 2. Vicarius Generalis adiicere valet iuramentum servandi secretum, quatenus id prudenter expetat tituli indoles, de quo agitur.

IX. Quoad *poenalia* media, animadvertant reverendissimi Ordinarii, praesenti instructione haud derogatum esse iudiciorum solemnitatibus per sacros canones, per Apostolicas Constitutiones et alias ecclesiasticas dispositiones imperatis, quatenus eaedem libere efficaciterque applicari queant; sed oeconomicae formae consulere intendunt illis casibus curiisque, in quibus solemnes processus aut adhiberi nequeant, aut non expedire videantur. Plenam quoque vim servat suam extraiudiciale remedium *ex informata conscientia* pro criminibus occultis, quod decrevit S. Tridentina Synodus in *Sess. 14. cap. 1. de Reform.* adhibendum, cum illis regulis et reservationibus, quas constanter servavit pro dicti capitis interpretatione S. C. Congregatio in pluribus resolutionibus, et praecipue in *Bosnien.* et *Sirmien.* 20. Dec. 1873. (1).

X. Quum procedi oporteat criminaliter sive infractionis praecepti, aut criminum communium, vel legum Ecclesiae violationis causa, processus confici potest formis summariis et absque iudicii strepitu, servatis semper regulis iustitiae substantialibus.

XI. Processus instruitur ex *officio* aut in sequelam supplicis libelli et querelae, aut notitiae, alio modo a curia habitae, et ad finem perducitur eo consilio, ut omni studio atque prudentia

---

(1) Habes hanc quaestionem Vol. VII. pag. 569. ephemeridum, quae inscribuntur: *Acta S. Sedis.*

veritas detegatur, et cognitio tum criminis, cum reitatis aut innocentiae accusati exsurgat.

XII. Processus confectio committi potest alicui probo atque idoneo ecclesiastico, adstante actuario.

XIII. Unicuique curiae opus est procuratore fiscali pro iustitiae et legis tutela.

XIV. Quatenus pro intimationibus aut notificationibus haud praesto sit opera apparitorum curiae, suppletur exhibitione earumdem explenda per qualificatam personam, quae de facto certioret; sive eas transmittendo, ope commendationis penes tabellariorum officium, illis in locis, in quibus hoc invaluit systema, exposcendo fidem exhibitionis, receptionis aut repudii.

XV. Basis facti criminosi constitui potest per expositionem in processu habitam, authenticis roboratam informationibus aut confessionibus extraiudicialibus, vel testium depositionibus, et quoad titulum transgressionis praecepti constat per novam exhibitionem decreti et actus indictionis, perfectorum modis enuntiatis articulo VII. et VIII.

XVI. Ad retinendam in specie culpabilitatem accusati opus est probatione legali, quae talia continere debet elementa, ut veritatem evincat, aut saltem inducat moralem certitudinem, remoto in contrarium quovis rationabili dubio.

XVII. Personae, quas examinare expediat, semper audiuntur separatim.

XVIII. Testes ad probationem, aut ad defensionem, quoties legalia obstacula haud obsistant, sub iuramento audiri debent, quod extendi potest, si opus sit, ad obligationem secreti.

XIX. Testium absentium, aut in aliena dioecesi morantium exposcitur examen in subsidium ab ecclesiastica loci auctoritate, eidem transmittendo prospectum facti; et auctoritas requisita petitioni respondet, servando praesentis instructionis normas.

XX. Quoties indicentur testes ob facta aut adiuncta essentialiter utilia merito causae, qui examini subiici nequeant, eo quod censeatur haud convenire, ut vocentur, aut quia vocati abnuant, mentio eorumdem fit in actibus, et curatur supplere eorum defectum per depositiones aliorum testium, qui de relato aut alia ratione noverint id, quod exquiritur.

XXI. Quum collectum fuerit quidquid opus sit ad factum et accusati responsabilitatem constituendam, vocatur iste ad examen.

XXII. In indictione, nisi prudentia id vetet, exponuntur ei per extensum accusationes adversus eum collatae, ut parari valeat ad respondendum.

XXIII. Quando autem ob accusationum qualitates, aut ob alia adiuncta prudens non sit, in actu intimationis eas patefacere, in hac solum innuitur eumdem ad examen vocari, ut sese excuset in causa, quae ipsum respicit uti accusatum.

XXIV. Si iudicio sistere abnuat, iteratur indictio, in qua eidem praefigitur congruus peremptorius terminus, eique significatur, quod si adhuc obedire renuat, habebitur ceu contumax; et pro tali in facto aestimabitur, quatenus absque probato legitimo impedimento, istam quoque posthaberet intimationem.

XXV. Si compareat, auditur in examine; et quatenus inductiones faciat alicuius momenti, debent istae, quantum fieri potest, exhauriri.

XXVI. Proceditur inde ad contestationem facti criminosi et conclusionum habitarum, ad retinendum accusatum criminosum lapsumque in relativis poenis canonicis.

XXVII. Quum accusatus tali modo habeat plenam cognitionem eius, quod in actis extat contra se, ultra quod respondere possit, iure se defendendi a semetipso etiam uti valet.

XXVIII. Potest quoque, si id expetat, obtinere praefixionem termini ad exhibendam defensionem cum memoria in scriptis, praecipue quando ob dispositionem articuli XXIII. nequiverit paratus esse ad responsa pro sua excusatione.

XXIX. Expleto processu, actorum instructor restrictum conficit essentialium conclusionum eiusdem.

XXX. In die, qua causa proponitur, est in facultate accusati faciendi se repraesentare et defendere ab alio sacerdote aut laico patrocinatore, antea approbatis ab Ordinario.

XXXI. Quatenus praeventus constituere defensorem renuat, Ordinarius consulit constituendo aliquem ex officio.

XXXII. Defensor caute notitiam haurit processus et restricti in cancellaria, ut paratus sit ad defensionem peragendam, quae ante propositionem causae exhiberi potest in scriptis. Ipse quoque subiicitur oneri secreti iurati, quatenus Ordinario videatur indolem causae id expostulare.

XXXIII. Transmittitur dein procuratori fiscali processus et restrictus, ut munere suo *ex officio* fungatur; uterque Ordinario

traditur, qui plenâ causae cognitione adeptâ, diem constituit, qua disceptanda et resolvenda sit, curans ut accusatus certior de hoc fiat.

XXXIV. Die constituta proponitur causa coram Vicario Generali, interessentibus procuratore fiscali, defensore et Cancellario.

XXXV. Post votum procuratoris fisci et deductiones defensionis profertur sententia, dictando dispositivam Cancellario cum explicita mentione, in casu damnationis, canonicae sanctionis accusato applicatae.

XXXVI. Sententia indicitur praevento, qui appellationem interponere potest ad auctoritatem ecclesiasticam superiorem.

XXXVII. Pro appellatione servantur normae statutae a Constitutione *Ad militantes* s. m. Bened. XIV. 30. Martii 1742., aliaeque emanatae ab hac S. Congreg. Decreto 18. Dec. 1835. (1) et litera circulari diei 1. Augusti 1851.

---

(1) En in commodum lectorum decretum huiusmodi. Haud referimus litteras prolixas diei 1. Augusti 1851., quoniam praecipuae eiusdem praescriptiones in praesenti Instructione relatae nobis videntur.

Decretum Pro Causis Criminalibus. Non ita pridem a S. Congregatione Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita nonnullae regulae praescriptae fuerunt pro recta et expedita definitione causarum criminalium, quae a curiis Episcoporum vel Ordinariorum ad eamdem S. Congregationem in gradu appellationis deferuntur. Quas quidem praescriptiones, quoniam impedimenta sublata sunt, quae aliqua ex parte earum exsecutioni interposita fuerant, visum est Eminentissimis Patribus in Conventu habito xv. Calend. Ianuarii mdcccxxxv. uberius explicare, et cum assensu et approbatione SS D. N. Gregorii xvi. iterum promulgare, ut ab omnibus, ad quos pertinent, accuratissime serventur. Sunt autem quae sequuntur:

I. Reis a curiis episcopalibus criminali iudicio damnatis spatium dierum decem conceditur, quo ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium appellare possint.

II. Decem dies numerari incipient non a die, quo sententia lata est, sed a die, quo reo vel eius defensori per Cursorem denuntiata fuit.

III. Eo tempore elapso, quin reus vel eius defensor appellaverit, latam a se sententiam Episcopus exsequetur.

IV. Interposita intra decem dies appellatione curia episcopalis acta autographa totius causae ad S. Congregationem continuo transmittat, nempe:

1. *Processum* ipsum in curia confectum.
2. Eius *restrictum*, seu compendiariam expositionem eorum, quae ex eodem processu emergunt.
3. Defensiones pro reo exhibitas.
4. Denique sententiam latam.

V. Ipsa curia reo eiusque defensori denuntiabit, appellationem coram eadem S. Congregatione prosequendam esse.

XXXVIII. Comparitio pro appellatione facienda est infra terminum decem dierum a notificatione sententiae; quo termino inutiliter elapso, sententia ipsa in executionis statu reperitur.

XXXIX. Interposita appellatione infra decem dies, curia absque mora remittit ad auctoritatem ecclesiasticam superiorem, apud quam appellatio facta est, omnes actus causae originales, idest processum, restrictum, defensiones et sententiam.

XL. Auctoritas ecclesiastica superior, captâ cognitione actus appellationis, intimare facit appellanti, ut infra terminum viginti dierum defensorem constituat, qui approbari debet ab eadem superiori auctoritate.

XLI. Decurso dicto termino peremptorio absque effectu, censetur appellans nuntium misisse appellationis beneficio, et haec consequenter perempta declaratur a superiori auctoritate.

VI. Si nemo compareat, aut si appellationis acta negligenter vel malitiose protrahantur, congruens tempus a S. Congregatione praefinietur, quo inutiliter elapso, causa deserta censeatur, et sententia curiae episcopalis executioni mandetur.

VII. Reo, aut illi, qui eius defensionem suscepit, tradendus est *restrictus* processus, qui a iudice relatore conficitur.

VIII. Allegationes, seu defensiones Eminentissimis Patribus distribuendae typis non committantur, nisi iudex relator imprimendi veniam dederit.

IX. Causa definietur stata die ab Eminentissimis Patribus in pleno Auditorio congregatis.

X. Eidem Congregationi Procurator Generalis fisci, et iudex relator intererunt.

XI. Iudex relator de toto statu causae ad Eminentissimos Patres refert, et Procurator Generalis fisci stabit pro curia episcopali, suasque conclusiones explanabit.

XII. Post haec Eminentissimi Patres iudicium proferent, sententiam curiae episcopalis aut confirmando, aut infirmando, aut etiam reformando.

XIII. Prolata sententia una cum omnibus actis causae ad eamdem Curiam Episcopalem remittitur, ut eam exsequatur.

XIV. *Revisio*, seu recognitio rei iudicatae non conceditur, nisi eius tribuendae potestas a Sanctitate Sua facta fuerit, et subsint gravissimae causae, super quibus cognitio et iudicium ad plenariam Congregationem pertinet..

XV. Sciant denique curiae Episcopales, per novissimas leges, quae ad investiganda et coercenda crimina pro tribunalibus laicis promulgatae sunt, nihil detractum esse de formis et regulis canonicis, quas proinde sequi omnino debent, non modo in conficiendo processu, ad quem spectant haec verba edicti diei 5. Novembris 1831.: *Nihil innovetur, quantum ad iudicia ecclesiastica pertinet* – verum etiam in poenis decernendis, quemadmodum in appendice eiusdem edicti ita cautum est: *Tribunalia iurisdictionis mixtae clericos et personas ecclesiasticas iis poenis mulctabunt, quas secundum canones, et Constitutiones Apostolicas tribunal ecclesiasticum iisdem irrogaret.*–

I. A. Card. Sala Praefectus

I. Patriarcha Constantinopolitanus, Secret.

XLII. Quum appellatio producitur a sententia alicuius curiae episcopalis ad Metropolitanam, Archiepiscopus pro cognitione et decisione causae sequitur normam procedendi in hac instructione traditam.

XLIII. Si contingat quod clericus, non obstante fori privilegio, ob crimina communia subiiciatur processui et iudicio laicae potestatis, Ordinarius hoc in casu summariam sumit criminosi facti cognitionem, atque perpendit, an ipsum, ad tradita per sacros canones, locum faciat infamiae, irregularitati, aut alii ecclesiasticae sanctioni.

§. 1. Donec iudicium pendeat, aut accusatus detentus sit, prudens est, quod Ordinarius sese limitet ad media provisoria.

§. 2. Expleto tamen iudicio, et libero reddito accusato, curia iuxta exitum informationum ceu superius assumptarum, procedit ad tramites dispositionum praesentis instructionis.

XLIV. In casibus dubiis et in variis practicis difficultatibus, quae contingere possint, Ordinarii consulant hanc S. Congregationem ad vitandas contentiones et nullitates.

Ex Aud. SSmi. diei 11. Iunii 1880. SSmus Dnus Noster LEO div. prov. PP. XIII. audita relatione praesentis Instructionis ab infrascripto Sacr. Congreg. Episcopor. et Regularium Secretario, eam in omnibus approbare et confirmare dignatus est.

Romae die et anno quibus supra.

I. Card. Ferrieri Praef.
I. B. *Agnozzi Secretarius.*

APPENDIX II.

De libero ingressu clericorum saecularium in Ordines regulares.

1. Epistola Benedicti PP. XIV. ad Angelum Mariam Tit. S. Praxedis S. R. E. Presbyterum Cardinalem (1).

Ex quo dilectus filius Leander Chizzola, Archidiaconus ecclesiae tuae cathedralis Brixiensis, ex improviso isthinc digressus, Bononiam se contulit, ibique habitum suscepit clerici regularis Societatis Iesu, statim a te, dilecte fili Noster, datae fuerunt ad

(1) Ex Bullarii Bened. XIV. tom. II. pag. 78. (edit. Venet. anni 1778).

Nos literae, quibus querebaris, eum tanti momenti consilium, te inconsulto, coepisse, teque penitus inscio ad exitum deduxisse; non sine magno detrimento pauperum istius civitatis atque dioecesis, quibus largiter subvenire, multorumque piorum operum, quibus se iugiter exercere consueverat; suorum quoque nepotum in minori aetate constitutorum, quorum curae atque educationi praeesse debebat, ac sine spe quidquam utiliter peragendi in ipsa Societate Iesu, cui iam prope septuagenarius nomen dederat. Haec eadem, quum ipse proximo autumno in Urbem advenisses, Nobis coram inculcare non omisisti; deque iisdem nuper in epistola Nobis directa ac typis vulgata iterum expostulasti; petens praeterea, Nosque excitans, ut auctoritatis Nostrae ope certaque lege proposita, huiusmodi licentiam reprimamus, qua saeculares clerici atque presbyteri ad Regularium claustra, quum libet, se conferentes, a Regularibus Superioribus illico recipiuntur; quod sane non aliter fieri debere autumas, quam communicatis consiliis cum Episcopis ipsorum clericorum seu presbyterorum Ordinariis; siquidem ipsi Episcopi nunquam regularibus viris Ordines conferunt, sine Praelatorum Regularium consensu, in eorum literis dimissorialibus declarato.

Duae sunt res in hoc universo negotio expendendae; peculiare scilicet factum Leandri Archidiaconi, et generale constitutum, quod a Nobis fieri et publicari velles. Ad primum quod attinet, aptiorem querelis tuis responsionem comparare non possumus, quam si eadem ipsa tibi rescribamus, quae olim Sanctus Gregorius Magnus, Praedecessor Noster, Desiderio, Episcopo Viennensi in Gallia, in simili prorsus casu rescripsit. Quum enim Pancratius quidam, Ecclesiae Viennensis Diaconus, monasticam vitam amplexus esset, et in eodem diaconi gradu in monasterio degeret, Episcopus autem Pancratium diligens magnique faciens, ipsum e monasterio abducere, et ad Ecclesiae servitia retrahere vellet, Sanctus Gregorius, cuius opem Pancratius imploraverat, scripsit ad Desiderium, ut ipsum potius hortaretur, ne a monasterio discederet, neve se iterum saeculi procellis committeret. Habes Gregorii epistolam tom. II. ipsius Operum anno 1705. a Monachis Sancti Mauri accurate editorum, Epistola 35. lib. 12. Indict. V., ubi ita scribit: « Hortamur igitur, ut tam promptae » devotioni eius, quam in sancto studet habere proposito, minime » vestra sit impedimento Fraternitas: magis autem, quibus vale-

» tis adhortationibus, pastorali admonitione succendite, ut fervor
» huius desiderii in eo non tepescat; ut qui a turbulento cura-
» rum saecularium tumultu segregans, quietis desiderio portum
» monasterii appetiit, rursum in ecclesiasticarum curarum non
» debeat perturbationibus implicari; sed in Dei laudibus per-
» mittatur secure ab his omnibus, ut postulat, remanere. »

Quod quidem Gregorius rescribere non dubitavit; quamvis Pancratius, *in clericatus officio Ecclesiae Viennensis*, ut ipse ait, *mancipatus* existeret, ipsius nempe servitiis reipsa addictus; quamvis etiam eo tempore huiusmodi disciplina vigeret, de qua late Thomassinus agit, *de beneficiis par. II. lib. 1. cap. 3. et 4.*, ut clericus Episcopo ordinanti per omnia subesset, eiusque Ecclesiae ministerio, cui in ordinatione adscriptus fuisset, perpetuo iure devinctus haberetur. Quamvis denique idem Sanctus Gregorius optime nosset, nemini licere ab huiusmodi ministerio ecclesiae, cui semel addictus fuisset, discedere, sine permissu Episcopi, a quo quis ordinatus, cuiusque ecclesiae servitiis in ordinatione fuerat adscriptus: unde in alia epistola, quae est XVII. lib. 5. Indict. XIII., quum ageret de electione Ioannis, Archidiaconi Catanensis ad Episcopalem cathedram Syracusanam, inter alia requirebat, ut Leonis Episcopi Catanensis consensus accederet; « Quod si factum fuerit, etiam Frater et Coepiscopus Noster Leo
» ei cessionem facere debebit, ut liber ad ordinandum possit in-
» veniri; ad quae verba editores ita observant in notis: Tam
» erant clerici suae Ecclesiae addicti, ut ne eos quidem in Epi-
» scopos alterius ecclesiae fas esset eligere, nisi missione obtenta,
» sive, ut vocant, cessione. »

Non itaque dubitamus, quin tu cum Archidiacono tuo eadem plane ratione agendum tibi esse ducas, qua Episcopum Viennensem cum diacono suo Pancratio agere, Sanctus Gregorius optavit; tum quia animi tui perspecta magnitudo hoc Nobis suadet; tum quia in ea epistola, quam publici iuris fecisti, postquam praedicti Archidiaconi in saecularis presbyteri statu eximiam operam disertissime, ut soles omnia, demonstrasti, circa finem deinde addis: *Te habere causas, cur ultra sinas eumdem in castris, ad quae discessit, militare.*

Unum tamen, quod Tibi praesenti antea diximus, nunc etiam scripto iterandum censemus; non scilicet debitae erga te observantiae defectui tribuendum esse, quod praedictus Archidiaconus

tuus ante discessum opportunam abs te veniam minime requisierit; sed potius metui reverentiali, quem vocant, ac desiderio propositi sui reipsa exsequendi, iustoque timori, ne forte ab eius implemento revocaretur. Qua ratione bo: mem: Ardicinus, Cardinalis de Porta, in quadam epistola ad Praedecessorem Nostrum Innocentium Papam VII. conscripta, suum factum excusat, quod scilicet ad eremiticam vitam inter Camaldulenses profitendam conferre se volens, Cardinalatus habitum exutus, clanculo ex Urbe se subduxerit. Quum enim, Pontificis venia opportune obtenta, minime necessarium sibi putaret assensum Collegii S. R. E. Cardinalium; consilium vero suum, ne interverti posset, necessario occultandum esse cognovisset; delato deinde ad ipsum murmure eorum, qui ipsius factum reprehendebant, ita scripsit ad Pontificem in praecitata epistola: « Quod autem, dimisso Cardinalatus » habitu, dissimulata veste, me itineri commiserim, non opinor » propterea me notam ullam apud graves et prudentes viros » contrahere potuisse. Nam cum vellem, quod hactenus feceram, » secretissimum esse, idque fratri mihi fidissimo occultassem, exi- » stimavi satius etiam in dissimulato habitu inter ignotos, quam » cum vero habitu incedere, et propterea a poena et a culpa, » et ab omni alia nota me immunem esse existimo. » Haec epistola refertur in eius vita edita ab Attichy in libro, cui titulus: *Flores Historiae Sacri Collegii S. R. E. Cardinalium.*

Atque haec de prima quaestionis parte. Quod vero ad alteram attinet, ad generalem scilicet legem, quam pro similibus casibus a Nobis constitui postulas, hoc tibi respondere posse arbitramur, satis huic rei in ecclesiasticis canonibus provisum esse. In Concilio Toletano IV. anno 633. sub Sancto Isidoro celebrato, *canone 50.* ita legitur: « Clerici, qui monachorum propositum » appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab » Episcopo in monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdici » propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire » nituntur. » Textus habetur *in Collectione Conciliorum Hispaniae Cardinalis de Aguirre tomo II. pag. 487.*, et refertur etiam in Decreto Gratiani *Can. Clerici 19. quaest. 1.* Quin immo *in eadem Causa 19. quaest. 2. Can. alienum,* postquam regula posita est, quod clericus absque permissu Episcopi ab ecclesia sua discedere, et alterius servitio se adiungere nequit, huiusmodi exceptio subnectitur: *Sed subaudiendum est, nisi ad propositum me-*

lioris vitae transire voluerit; tunc enim liberum est illi, etiam Episcopo contradicente, monasterium ingredi. Concordat canon sequenti loco relatus, qui incipit *Duae sunt;* in quo distinctio fit inter legem publicam et privatam; et posito, quod publica quidem lex vetat clericum ab una ad aliam ecclesiam transire sine assensu proprii Episcopi; privata vero lex, quae instinctu Sancti Spiritus in corde scribitur, et dignior est lege publica, nequaquam id prohibet; ex huiusmodi principio arguitur, licere clerico beneficiato, etiam contradicente Episcopo, beneficium relinquere, et in monasterium sese recipere: « Si quis horum in ecclesia sua » sub Episcopo populum retinet, et saeculariter vivit, si afflatus » Spiritu sancto, in aliquo monasterio vel regulari canonica sal- » vare se voluerit, quia lege privata ducitur, nulla ratio exigit, » ut lege publica obstringatur; dignior est enim lex privata, quam » publica etc. Quisquis igitur hoc spiritu ducitur, etiam Episcopo » suo contradicente, eat liber nostra auctoritate. »

S. Thomas *2. 2. qu. 189. art. 7.* quaestionem proponit, *utrum presbyteri curati possint licite Religionem ingredi;* eamque affirmative resolvit; ea ratione ductus quod nulla lege obligantur toto vitae tempore curam animarum sustinere. Articulum vero ita concludit, facta de archidiaconis expressa mentione: « Unde ma- » nifestum est, quod archidiaconis et presbyteris curatis licet ad » Religionem transire; » et paulo infra: « Dicendum, quod pre- » sbyteri curati et archidiaconi obligaverunt se ad curam agendam » subditorum, quamdiu detinent archidiaconatum, vel parochiam; » non autem obligaverunt se ad hoc, quod perpetuo archidiaco- » natum, vel parochiam retineant. » Haec a S. Antonino sua *Summa par. 3. tit. 16. cap. 2.* §. *2.*, ubi praeterea addit, Episcopi dissensum minime obstare: « archidiaconis, presbyteris curatis » licet ad Religionem transire, etiam Episcopo contradicente. » Quae verba similiter leguntur *apud Sylvium 2. 2. quaest. 189. art. 7. in postrema eius editione Antuerpiae facta, tom. III. pag. 945.*

Et quoniam alicui in mentem venire poterat, huiusmodi libertatem transeundi ad claustra, quae saecularibus presbyteris a canonibus conceditur, locum habere dumtaxat pro claustris monachorum, de quibus ipsi canones expresse loquuntur, idem Sylvius, *loco citato,* affirmat, eam facultatem aeque competere, sive de instituto agatur contemplativae vitae unice dedito, sive de eo, in quo vitae activae opera exerceantur: « Possunt Religionem

» etiam illam ingredi, quae in vita mere contemplativa, aut po-
» tissimum in corporalibus vitae activae officiis sit occupata, quo-
» niam plus excedit status religionis cuiuscumque statum seu
» potius officium archidiaconi vel plebani, quam status altissimae
» Religionis statum cuiuscumque infimae; » propter solemnia ni-
mirum vota castitatis, paupertatis et obedientiae, quae in una-
quaque Religione emittuntur.

At incidunt saepe tempora, quibus opportunum non est, cle-
ricum saecularem suum locum deserere et in religiosis claustris
se abdere: qua de re nisi consultatio intercedat inter Episcopum
et Superiorem regularem, impossibile erit quid expediat agno-
scere. Duram autem omnino est, virum ecclesiasticum, qui in
suscipiendo presbyterii Ordine conceptis verbis Episcopo suo reve-
rentiam et obedientiam spopondit, quoties ipsi libuerit, Episcopo
inconsulto atque inscio, ad regularia claustra discedere, ac regu-
laris instituti servitio perpetuo se mancipare. Super quibus omni-
bus inter se iunctis, certam aliquam regulam tradi, et generalem
legem a Nobis promulgari opus esse contendis.

Equidem fatemur, non omni tempore omnibus opportunum
esse regularem vitam amplecti. Meminimus epistolae S. Augustini
ad Bonifacium Comitem, quae in editione Monachorum Sancti
Mauri impressa est *num. 220. tom. II. pag. 202.*, et cuius etiam
pars refertur in *Can.* Novimus *17. quaest. 2.*, ubi nimirum sanctus
Doctor testatur, se una cum Alypio ipsum Bonifacium a mona-
sticae vitae proposito dissuasisse ob praeclaram, quam, in saeculo
manens, Ecclesiae et reipublicae navabat operam, dum Africam
a barbarorum incursionibus tuebatur: « Ut autem non faceres,
» quid te revocavit, nisi quia considerasti, ostendentibus nobis,
» quantum prodesset Christi Ecclesiis quod agebas, si ea sola in-
» tentione ageres, ut defensae ab infestationibus barbarorum,
» quietam et tranquillam vitam agerent? » Vidimus etiam apud
S. Thomam *2. 2. quaest. 101. art. 4. et quaest. 189. art. 6.*, quae-
stionem hanc solidis rationibus examinari, utrum posset filius Re-
ligionem ingredi, et parentes in saeculo relinquere, si ab ipso
deserti inopia sint laboraturi. Ulterius inquirunt moralistae, an
idem dicendum sit de avo; et an id, quod de ascendentibus sta-
tuitur, locum habeat etiam quoad filios, fratres et nepotes; et
quatenus illius ope, qui Religionem vult ingredi, praedicti omnes
indigere debeant.

De reverentia quoque et obedientia, quam non modo sacerdos, sed quilibet etiam clericus proprio Episcopo praestare debet, iustam profecto opinionem fovemus. De huiusmodi obedientia agitur in *Cap.* Cum clerici *de verb. signif.*, ubi Innocentius Papa III. exponens formam iuramenti, quod a clericis Ecclesiae Placentinae praestabatur, in haec verba conceptum: « Ego talis ab hac hora » in antea fidelis ero, et obediens Placentinae Ecclesiae, et do- » mino meo Episcopo Placentino; » docet, per Ecclesiae Placentinae vocabulum intelligi Capitulum ecclesiae cathedralis; eum vero, qui praestat huiusmodi iuramentum, Episcopo tamquam capiti principaliter obligari. Neque porro Nos pro nuda inanique formula habendam esse putamus solemnem illam obedientiae et reverentiae sponsionem, quam presbyter facit in manibus Episcopi ordinantis, iuxta vetustissimum Ecclesiae morem, ante mille annos indubitanter servatum; ut ex antiquis Ritualibus colligitur, quae expendit Catalanus *ad Pontificale Romanum tom. 1. pag. 149. in notis ad* §. *29.* Quin immo libenter agnoscimus, presbyterum, huiusmodi promissionis vigore ea lege, inter alias, adstrictum teneri, ut a servitio Ecclesiae, cui in ordinatione addictus fuerit, discedere nequeat sine licentia Episcopi; id quod optimis rationibus demonstrat Hallier *de sacr. elect. et ordin. par. 1. sect. 6.* §. *14. editionis Romanae,* ubi docte graviterque refellit auctorem cuiusdam libelli Gallico sermone editi, qui huiusmodi reverentiam et obedientiam Episcopo in ordinatione promissam angustis nimirum limitibus coercere tentaverat.

Verumtamen, his omnibus non obstantibus, iterum dicimus, novam generalem legem hac de re minime necessariam Nobis videri; vel quia in ecclesiasticis sanctionibus, quodcumque necessarium est, satis constitutum habemus; vel quia, si quid adhuc ordinandum superest, id pro generalis constitutionis subiecto haberi non potest. Tria siquidem sunt, quae in huiusmodi casibus considerari possunt: *primum* videlicet, an presbyter ab Ecclesiae servitio ad regularia claustra transiturus permissionem ab Episcopo petere debeat, *secundum,* quid ipsi faciendum sit, si Episcopus dissentiat: *tertium,* quid statuendum sit de parochia, seu canonicatu, aut archidiaconatu, quem presbyter obtinebat. Verum haec omnia iam sacri canones considerarunt, atque opportunas pro singulis capitibus regulas praescripserunt.

Quod enim pertinet ad Episcopi permissum; nemo dubitat,

quin presbyter ecclesiae regimen, aut ministerium dimissurus, ante omnia debeat Episcopo consilium suum, eiusque capiendi rationes, quantum earum natura fert, aperire. In quo non tam officio et honestati, quam naturalis legis praecepto satisfaciet. Quum enim presbyteri in animarum cura, aliisque gravibus muneribus ad pastorale regimen spectantibus, Episcopi ministri sint; ita cum eo se gerere debent, ut is animarum, quas ipsi regebant, et negotiorum, quae administrabant, necessitatibus opportune consulere valeat. De quo recte loquitur *Passerinus*, licet Ordinis regularis scriptor, *de statibus hominis tom. III. quaest. 189. art. 7.* « Minister, qui habet custodiam rerum, et bonorum do-
» mini sui, quae absente custode perire possunt, non ex pura
» decentia, sed ex debito officii sui tenetur bona sibi commissa
» Domino reddere, et illum monere, ut de alio custode provideat;
» et si hoc non faciat, puniri potest. Cum ergo parochus sit Epi-
» scopi minister in cura animarum, si deserat animas sibi com-
» missas, inconsulto Episcopo, non minus peccat, quam si mi-
» nister pastoris, ovium domino ac pastore non admonito, gregem
» errantem sine custode dimitteret; » cum his, quae sequuntur.

Haec autem permissio vel ab Episcopo conceditur, vel negatur. Si concedatur, iam controversiae locus non erit. Sin vero denegetur, huiusmodi dissensus, ex auctoritatibus superius citatis, presbyterum non adstringet, quominus Religionem ingredi valeat. Neque id mirum videri debet. Si enim presbyter Episcopo reverentiam et obedientiam in sua ordinatione promisit, multo solemnius Regulares eam promiserunt proprio Superiori in religiosa votorum professione. Et tamen quoties Regularis in Ordine laxiori professus ad strictiorem transire cupit, tenetur quidem a Superiore laxioris licentiam petere: veramtamen, ea sibi denegata, nihilominus ad strictiorem libere transire potest, ut expresse statuitur in *Cap.* Licet. *de Regularibus*, ubi sic legitur: « Talis ergo,
» postquam a Praelato suo transeundi licentiam postulaverit, ex
» lege privata, quae publicae legi praeiudicat, absolutus, libere
» potest sanctioris vitae propositum adimplere, non obstante pro-
» terva indiscreti contradictione Praelati; quia privilegium me-
» retur amittere, qui concessa abutitur potestate. »

Denique de beneficiorum vacatione, in iure statutum habemus, eam non induci per solum ingressum in Religionem, sed per professionem regularem dumtaxat; quemadmodum videre est

in *Cap.* Beneficium, *de Regular. in 6.* Et quidem pro eo tempore, quod inter ingressum in Ordinem regularem et professionem solemnem intercedit, debet Episcopus, quoad beneficia curata, id ipsum agere, quod alias praestare consuevit, quum parochus aliquo impedimento detinetur, ne animarum curam exercere valeat; quoad beneficia vero choralia relictis tyroni religioso, qui choro interesse nequit, ipsius beneficii fructibus, de distributionibus ita statuet, ut iura praescribuntur, iuxta opinionem in praxi receptam, de qua agit *Suarez de Religione tom. III. lib. 5. cap. 16. num. 12.* Quin immo si quis forte Religionem ingressurus, beneficium suum dimitteret, (quo casu potest Episcopus, *per Constitutionem LVIII. S. Pii V.*, huiusmodi renuntiationem admittere); vel etiam si tempore novitiatus huiusmodi dimissionem expleret, servatis omnibus, quae ex praescripto Sacri Tridentini Concilii *Cap. 16. Sess. 25. de Regularibus*, tam in bonorum temporalium, quam in beneficiorum ecclesiasticorum renuntiationibus servari debent; nihilominus omnia in suspenso remanere deberent; neque posset Episcopus ad beneficii sic dimissi collationem devenire, nisi post factam a dimittente solemnem professionem; uti late ostendit doctus et in hoc toto rerum genere expertissimus scriptor, bon. mem. Ioannes Baptista Riganti, in suo *Commentario ad Regulas Cancellariae tom. III. Regul. 46. a num. II. ad finem.* Qua in re olim dubitatum est, an vota simplicia, quae a clericis regularibus Societatis Iesu post biennium probationis emittuntur, huiusmodi beneficiorum vacationem inducerent; sed negativa sententia communiter recepta fuit, ut observat laudatus Riganti *loco cit. num. 30. et seq.*, et monet Pitonius *Discept. 126. num. 11. et seq.* Quamvis in Congregatione quinta Generali ipsius Societatis *Canone 19.* statutum fuerit, ut qui Societati nomen dederit, expleto biennio, antequam vota simplicia emittat, ecclesiastica beneficia dimittere debeat; quo casu huiusmodi beneficia, si minus propter professionem, at propter renuntiationem vacare intelliguntur; ut notant *Sanchez ad Praecepta Decalogi lib. VII. cap. 4. num. 7.*, *Pellizzarius* in *Manuali tom. I. tract. 3. cap. 4. num. 52.* cum aliis, quos citant praefati *Rigant. loco cit. num. 33.* et *Piton. num. 12.*

At enim dices, praemissa omnia recte procedere; verum per ea non tolli propositam difficultatem de peculiaribus circumstantiis aliquando occurrentibus, ob quas permitti nequit presbytero

saeculari ad regularem vitam transire; et quidem necessarium esse, earum cognitionem et examen institui; id quod obtineri nequit, nisi, lata Constitutione, praescribatur aliqua consultationis species inter Episcopum et Superiorem regularem, ut unicuique sua ratio constet, ipseque Superior regularis ab Episcopo edoceri valeat de idoneitate illius, qui Religioni nomen suum offert, ne forte eidem inutilis inveniatur; qualem profecto, ob ingravescentem illius aetatem, repertum iri suspicaris Archidiaconum Chizzola, qui inter clericos Societatis Iesu, te inconsulto, admissus fuit.

Porro nec interdicta fuit unquam huiusmodi consultatio inter Episcopum et Superiorem regularem, neque Nos eam vetare intendimus; qui potius utilitatem atque opportunitatem agnoscimus. Ut autem specialis legis mandato tamquam necessaria praecipiatur, in eo non modica est difficultas. Neque enim in iure cautum reperitur, ut duorum Ordinum, laxioris atque strictioris, Superiores inter se convenire debeant, quoties aliquis in illo professus ad hunc transire velit; sed solum, ubi inter praefatos Superiores oriatur controversia, an huiusmodi transitus ex laudabili causa, vel potius ex animi levitate et inconstantia suscipiatur. Ecclesiasticae leges Superioris maioris iudicium requiri voluerunt: « Si vero probabiliter dubitetur, utrum quis velit ad » Ordinem arctiorem aut laxiorem, ex charitate, an ex temeritate » transire, Superioris est iudicium requirendum.» Ita legitur in *citat. cap.* Licet, *de Regularibus.* Quod si, huiusmodi controversia pendente, Religiosus in altero illo Ordine recipiatur, atque etiam in eo professionem emittat; tunc ex ipsius controversiae exitu decernendum erit, an ipse ad priorem reverti, an vero in posteriori remanere debeat; ut recte monet *Abbas Panormitanus in citat. cap.* Licet, *15. de Regular.* Hodierna vero praxis est, per quam omnes huius generis controversiae et morarum prolixitates devitantur, ut religiosis viris, qui a laxiori ad strictiorem Ordinem transire cupiunt, postquam voluntatis suae causas coram competentibus Apostolicae Sedis tribunalibus exposuerint atque probaverint, haud aegre a Romano Pontifice indulgeantur opportunae facultates, in quibus derogatio super consensu Superioris Ordinis laxioris includitur.

Quod vero ius, certis in casibus, certisque de causis, competit Superiori Ordinis laxioris, ut suum subditum regularem ad strictiorem Ordinem digressum, etiam post solemnem professionem

in eo emissam, repetere et revocare valeat; idem similiter, certis in casibus, iustisque vigentibus causis, Episcopo competit, ut suum clericum saecularem Ordini regulari adscriptum repetere possit. Hoc tradit clarissimus canonum doctor *Innocentius IV. ad saepe citatum Cap.* Licet, *de Regular.*, cuius haec sunt verba, ibi *num. 3.:* « Clericus potest transire ad Religionem, non petita li-
» centia, etiamsi contradicatur; crederemus tamen, quod posset
» eum repetere, si ex transitu suo prima ecclesia gravem susti-
» neret iacturam. » Concordat Abbas *si idem Cap. 14.*, ubi sic ait: « Ulterius quaeritur, quid in saeculari clerico? Numquid po-
» test intrare in Religionem, non petita licentia ab Episcopo?
» Innocentius tenet quod sic: sed si ecclesia graviter laederetur,
» esset revocandus. » Satis itaque provisum est etiam Episcopo, qui factum clerici sui ad Regularia claustra, se invito, digressi, impugnare velit. Unde nec ulla nova Constitutione opus est, ut Episcopalia iura hac in parte afferantur; neque porro, ut peculiares indicentur casus, quibus huiusmodi iuris exercitio locus esse possit, quum satis sit regulam generalem tradidisse; quam iudex sequatur, quamque ad peculiares causas, pro sua prudentia iustoque arbitrio, valeat applicare.

Huius tamen iuris, quo Episcopus clericum saecularem sibi subiectum, qui regulari instituto sine ipsius assensu nomen dedit, repetere, et ad ecclesiae servitium revocare potest, huius, inquam, iuris persequutio in casibus particularibus non admodum facilis esse videtur. Ponamus enim Episcopo rem esse cum clerico beneficiato, cum canonico, cum archidiacono; vel (quoniam de simplici beneficiato, aut canonico, minus fortasse laborabit) de archidiacono videamus: Huius dignitatis, sive officii, veteribus quidem temporibus gravissimi, nunc munus omne eo redactum est, ut Episcopo ordinationes generales celebranti, quum ipsi commodum fuerit, assistat, promovendos ad ipsam ordinationem evocaturus. Si vero agatur de parochis, aliisve animarum curam gerentibus, nemo quidem negabit, ipsorum munus magni in Ecclesia momenti esse; sed quum simul negari nequeat, *Praelationis munus, seu statum,* (ut inquit *Suarez de Religione tom. III. lib. 1. cap. 21.*, ubi de animarum cura loquitur) *minus securum esse, Religionis vero esse statum maioris securitatis in ordine ad spiritualem salutem;* unusquisque parochus religiosae vitae cupidus, hac exceptione in iudicio se tuebitur adversus Episcopum,

qui ipsum ad animarum curam revocare contendat. Sanctus Gregorius Magnus, quum olim scriberet adversus legem ab Imperatore Mauritio editam, qua interdictum erat militibus monasticam vitam amplecti, hanc, inter alias, rationem afferebat: « Multi » sunt, qui possunt religiosam vitam etiam cum saeculari habitu » ducere, et plerique sunt, qui, nisi omnia reliquerint, salvari » apud Deum nullatenus possunt: » ut videre est in ipsius *Epistola 65. lib. 3. Indict. VI. tom. II. praefatae editionis Parisinae.* Nunc ergo quilibet beneficiatus, canonicus, archidiaconus, parochus, qui officium, aut ministerium suum cum religiosa vita commutaverit, se non inter *multos*, sed inter *plerosque* a S. Gregorio indicatos, connumerandum esse affirmabit.

Si autem ipsi obiiciatur, quod in saeculari statu pauperibus largiter subvenire consueverat, respondebit, se non minus ex ipsis religiosis claustris, si bonorum suorum possessionem ad Religionem attulerit, opportunis obtentis facultatibus, pauperum indigentiis subventurum. Sane quum in praefata lege Mauritius Imperator inhiberet, ne debitores publici aerarii in monasteriis reciperentur: Sanctus Gregorius eam partem legis impugnans, (de qua tamen deinde suam opinionem mutavit, ut observant laudati editores, *in notis, litera d.*) ita scribebat in citata epistola: « Quod » vero in eadem lege dicitur, ut ei in monasterium converti non » liceat, omnino miratus sum; dum et rationes eius possunt per » monasterium fieri; et agi potest, ut ab eo loco, in quo susci» pitur, eius quoque debita suscipiantur. »

Quo si obiiciatur gravis aetas presbyteri ad Religionem transeuntis, facilis et obvia erit responsio, quod multi sunt in Regularium familiis religiosi viri in senili aetate constituti, qui pro modo virium suarum laudabilem operam Religioni praestant; quorum numero ipsum, de quo est quaestio, adiungi nil vetat. Ita pariter Sanctus Gregorius, contra propugnatores supradictae legis, qui dicebant, milites ad monasteria convolantes, bonos monachos non evadere, affirmabat: « Ego indignus famulus vester » scio, quanti his diebus meis in monasterio milites conversi » miracula fecerunt, signa et virtutes operati sunt. »

Denique, hic Epistolae iam nimis prolixae finem facturi, unum adhuc addimus; ex centum nimirum archidiaconis non facile duos inventum iri, qui archidiaconatum dimittere, et Religionem ingredi velint. Contra vero, in pari regularium numero, multos sane

inveniri posse, qui regularem vitam pro archidiaconatu adipiscendo relinquerent. Quare, quum leges versari oporteat circa ea, quae frequenter accidant; profecto non tam nova lege opus erit ad retinendos clericos et presbyteros saeculares, ne Religiones ingrediantur; quam necesse esset aliquid excogitare, quo magis intra religiosa claustra continerentur ii, qui regularem vitam amplexi et professi sunt. Vix enim credibile est, quam multi a regularibus Ordinibus migrare variis artibus quotidie moliantur. Neque solum de apostatis loquimur, quorum numerus in dies augetur; sed, si omnes, qui nullitatem professionis suae iudicio experiri aggrediuntur, illam apud iudices probarent; si omnes, qui dignitates extra Religionem ambiunt, voti compotes fierent; si demum facilem apud Nos auditum invenirent eorum instantiae, qui e claustris exire, et in habitu presbyteri saecularis, sub obedientia Episcoporum, et cum obligatione servandi vota religiosa, quatenus conciliari possunt cum statu clerici saecularis, in saeculo manere vellent; longe utique minor eorum foret numerus, qui Religionem professi, ad mortem usque in illa perseverarent.

Dum itaque, Dilecte fili Noster, consiliis tuis, quae tum privatis literis, tum etiam typis impressis, non minus docte, quam eloquenter proposuisti, obsecundandum Nobis esse non arbitramur, in eo tamen singularem existimationem, quam de te merito fovemus, agnosces, quod tibi causas atque rationes, quibus ab iis sequendis retrahimur, exponere non detrectavimus his literis Nostris; quibus etiam tibi, novum benevolentiae Nostrae pignus, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem die 14. Ianuarii 1747. Pontificatus Nostri anno septimo.

2. *Epistola S. C. Episc. et Regul. ad Episcopum N. N.* (1).

Acceptis novis litteris Amplitudinis Tuae die 7. proxime praeteriti mensis Novembris ad SSm̃um D. N. Pium PP. IX. datis ad obtinendam prohibitionem, ne clerici saeculares tuae dioecesis infra triennium a die, quo ad sacrum presbyteratus Ordinem promoti fuerint, computandum regularia instituta amplecti pos-

(1) Ex Collectaneis in usum Secretariae S. C. Episc. et Regul. Romae 1863. pag. 724.

sint, Sanctitas Sua, pro ea, qua te prosequitur benevolentia, iussit ut ab hac Sacra Congregatione Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita litterae ipsae cum adnexis animadversionibus a te exaratis diligenti examine expenderentur. Idcirco omnibus sedulo perpensis laudandam quidem Emi Patres existimarunt pastoralem sollicitudinem tuam, qua omni studio bonum ovium tibi commissarum curas; sed tamen eis visum est, magni momenti vulnus infligi ecclesiasticae disciplinae, si petita generalis prohibitio concederetur, praesertim cum pro aliquo urgenti et extraordinario casu, de quo citati a te scriptores loquuntur, a Benedicto XIV. satis provisum, ut nec generalis huius concessionis exemplum habeatur, siquidem S. Carolus Borromaeus eam obtinuit relate ad unicum dumtaxat institutum, cui seminarii sui curam commiserat. Hisce etiam accedit, quod alii quoque locorum Antistites, qui in eisdem circumstantiis reperiuntur, hoc exemplo ducti, eamdem petitionem urgerent, quo facto occasio praeberetur insimulandi Episcopos adversari vocationes ad religiosos Ordines, quorum alumni evangelica concilia sectantes adiutricem operam Antistitibus locorum praestant. Nec dissimulandum est, petitam prohibitionem Regularibus gravissimam fore eamque querelarum causam futuram non sine periculo, ut eorum animi alieni fierent ab Episcopis, qui huiusmodi prohibitionem efflagitarent, cum suarum dioecesum detrimento praesertim tristissimis hisce temporibus, quibus necesse prorsus est, ut uterque clerus, saecularis nempe et regularis conspirantibus animis coniunctisque studiis in vineam Domini excolendam sedulo incumbat.

Quae cum Sanctitati Suae relata sint, ea tibi communicanda mandavit, cui Apostolicam Benedictionem toto cordis affectu peramanter impertita est.

Haec Amplitudini Tuae significo dum prospera et felicia cuncta ex corde adprecor a Domino.

Amplitudinis Tuae etc.

Romae 20. Decembris 1859.

CORRIGENDA ET ADDENDA

Pag. 36	lin. 9.	addendum est: et ejusdem S. C. Instructionem d. d. 1 Junii 1877, quam dabimus in Vol. III. sub n. 3ª.			
» 123	» penult.	*loco*	integraa	*lege*	integra.
» 136	in medio	»	Caput II.	»	Caput secundum
» 241	lin. 10	»	Falcici	»	Falisci
» 383	» 14	»	gravissime	»	graviter
» 436	» 24	»	Mart.	»	Decemb.
» 436	» 25	»	*quidem*	»	*et Nobiscum.*

CONSPECTUS HUIUS PRIMI VOLUMINIS

Praefatio auctoris . . . . . *pag.* III
Praefatiuncula editoris . . . . . » XV
Dissertatio praevia de Visitatione Sacrorum Liminum . » 1
CAP. I. Quae fuerit Ecclesiae disciplina circa legem status dioeceseon referendi, et SS. AA. LL. visitandi, antequam Sixti V. Constit. prodiret . . . . . » 9
» II. De utilitate et necessitate Visitationis SS. LL., et relationis status ecclesiarum, deque iuramento et iis, quae in eo edendo servantur . . . . . » 18
» III. Quinam SS. AA. LL. visitare, statumque dioeceseos exhibere teneantur, et quaenam impedimenta iustam excusationem suppeditent . . . . . » 24
» IV. De ratione conficiendi relationem status ecclesiarum . » 31
» V. Quando SS. AA. LL. visitari, et status relatio exhiberi debeat . . . . . » 35
» VI. Quam rationem servet S. C. Conc. in expendendis relationibus, et responsis remittendis . . . . . » 37
Instructio Sac. Congr. Conc. super modo conficiendi relationes status ecclesiarum . . . . . » 42

Expositio Instructionis S. Congr. Concilii . . . . . » 50

CAPUT PRIMUM

DE PRIMO RELATIONIS CAPITE, PERTINENTE AD STATUM ECCLESIAE MATERIALEM.

§ I. Institutio dioecesis . . . . . » 50
§ II. Confinia dioecesis . . . . . » 53
§ III. Privilegia et praerogativae episcopatus aut patriarchatus. » 59
§ IV. Numerus civitatum, oppidorum, aut locorum, quae episcopatui, archiepiscopatui, aut patriarchatui subiecta sunt. » 66
§ V. Status cathedralis, metropolitanae, aut patriarchalis ecclesiae, una cum numero canonicorum et aliorum, servitio

chori addictorum; et an erectae fuerint praebendae poenitentiaria et theologalis . . . . . *pag.* 66
§ VI. Status ecclesiarum collegiatarum una cum numero pariter canonicorum et ceterorum, qui choris earum intersunt, et an in collegiatis erecta sit praebenda theologalis . » 67
§ VII. Status, et numerus ecclesiarum parochialium, nec non aliarum ecclesiarum et oratoriorum in episcopatu, archiepiscopatu, aut patriarchatu existentium; referendo signanter, an cathedralis, metropolitana, aut patriarchalis et collegiatae, oratoria, nec non parochiales, ceteraeque ecclesiae sint sacris suppellectilibus sufficienter instructae, et quaenam ex eis habeant reditus pro fabrica assignatos . . » 67
Art. 1. De reparatione aedium sacrarum . . . . . » 68
Art. 2. De erectione praebendae theologalis ac poenitentialis.» 82
Art. 3. De SSm̃ae Eucharistiae asservatione . . . . . » 92
✠ Appendix. De SSm̃ae Eucharistiae expositione . . . » 101
Art. 4. De privatis oratoriis . . . . . » 114
§ VIII. Numerus monasteriorum tam virorum, quam mulierum, exprimendo, an aliqua ex monasteriis virorum sint subiecta suae iurisdictioni; et an, et quae mulierum monasteria sibi subiecta sint, vel Praelatis regularibus? . . » 118
§ IX. An adsit in dioecesi seminarium clericorum, quot clerici in eodem alantur, an fuerit statuta taxa, et in qua quantitate, et an aliqua beneficia fuerint eidem unita, et in universum quinam, et quot sint reditus praedicti seminarii . . . . . » 119
Art. 1. De seminariorum necessitate et utilitate eorumque erectione . . . . . » 119
Art. 2. De taxa seminarii, et unione beneficiorum simplicium.» 130
§ X. Numerus hospitalium, collegiorum, confraternitatum, et aliorum locorum piorum, quae sunt in episcopatu, archiepiscopatu, aut patriarchatu, et quinam sint eorum reditus . . . . . » 135
§ XI. An adsint montes pietatis, et quot sint, una cum aliis consimilibus ad statum materialem ecclesiae spectantibus; cum advertentia tamen, ut plena status materialis relatio in prima relatione tantum, quae fit ab Episcopo, Archiepiscopo aut Patriarcha exhibeatur; in subsequentibus etenim relationibus satis erit, quod ipsi se referant ad primam, nisi aliquid novi, pertinens ad dictum statum materialem, contigisset, quod referens notificandum Sacrae Congregationi existimaret . . . . . » 135

CAPUT SECUNDUM

DE SECUNDO RELATIONIS CAPITE, PERTINENTE AD IPSUM EPISCOPUM, ARCHIEPISCOPUM, PRIMATEM, ET PATRIARCHAM.

§ I. An residentiae praeceptum, a sacris canonibus, Concilio Tridentino, et Constitutione Urbana praescriptum, adimpleverit, et an aliquo, et quo tempore abfuerit, et an ultra menses conciliares, et an cum, vel sine Sedis Apostolicae licentia? . . . . . *pag.* 136

✠ Appendix: SSmi D. N. Leonis PP. XIII. Litterae Apostolicae de Missae Sacrificio diebus festis pro populo ab Episcopo applicando . . . . . » 143

§ II. An, et quoties dioecesis sibi commissae visitationem expleverit . . . . . » 150

Appendix de procuratione . . . . . » 162

§ III. An per se, vel per alium Episcopum sacras ordinationes expleverit, et Sacramentum Confirmationis administraverit » 168

Art. 1. De obligatione Episcoporum ordinandi per seipsos. » 169

✠ Appendix. Pii PP. IX. Constitutio de Vicario Capitulari. » 181

Art. 2. De quatuor causis, ex quibus aliquis Episcopo subditur . . . . . » 186

Art. 3. De ordinatione Regularium . . . . . » 201

Art. 4. De indultis tum peragendae ordinationis *extra tempora*, tum *non servatis interstitiis* . . . . . » 203

Art. 5. De Confirmatione . . . . . » 210

§ IV. An, et quoties Synodum dioecesanam coegerit: et si Episcopus, nulli Archiepiscopo subiectus sit, an ad Synodum provincialem eius Archiepiscopi, quem ad tramites Tridentini eligere tenetur, ut eius Synodo provinciali intersit, accesserit; et si sit Archiepiscopus, an Synodum provincialem habuerit, et quinam Suffraganei eidem interfuerint . . . . . » 218

§ V. An verbum Dei per seipsum praedicaverit, et an legitimo concurrente impedimento, viros idoneos assumpserit ad huiusmodi praedicationis officium salubriter exsequendum? » 235

§ VI. An habeat depositarium poenarum, et mulctarum pecuniariarum, et an eaedem fuerint piis usibus applicatae . » 243

§ VII. Quaenam taxa, et an Innocentiana in sua cancellaria observetur . . . . . » 248

Appendix ad articulum de taxa. . . . . » 252

§ VIII. An aliquod habeat, quod sibi obstet circa exercitium episcopalis officii, iurisdictionis ecclesiasticae, nec non tuendae libertatis et immunitatis ecclesiarum . . . . *pag.* 266
§ IX. An aliquod pium opus peregerit pro ecclesia, pro populo, aut pro clero . . . . . » 270

CAPUT TERTIUM

DE TERTIO CAPITE AD CLERUM SAECULAREM PERTINENTE.

§ I. An canonici, ceterique choro addicti cathedralis, metropolitanae, aut patriarchalis ecclesiae, necnon collegiatarum, choro iugiter intersint . . . . . » 272
Art. 1. De residentia, praesentiaque in choro exhibenda; itemque de vacationibus, et substituendi facultate . . . » 273
Art. 2. De distributionibus . . . . . » 285
Art. 3. De absentibus, qui distributiones lucrantur vel non. » 295
Art. 4. De aliis poenis contra negligentes et absentes constitutis . . . . . » 319
§ II. An ultra Matutinum, Laudes ceterasque alias horas canonicas, quolibet die celebrent Missam conventualem . » 324
§ III. An quolibet die eam applicent pro benefactoribus . . » 324
Art. 1. De obligatione recitandi quotidie totum officium divinum . . . . . » 325
Art. 2. De Missa conventuali. . . . . » 334
§ IV. An suas habeant constitutiones, et eas punctualiter observent . . . . . » 342
§ V. An, qui obtinent praebendam poenitentiariam, aut theologalem, adimpleant, quae adimplenda sunt, et quomodo » 361
§ VI. An parochi in suis parochiis resideant . . . . . » 381
§ VII. An librum matrimonii et baptizatorum, aliosque libros, quos ad normam ritualis Romani retinere debent, retineant » 395
§ VIII. An aliqui ipsorum indigeant aliorum sacerdotum opera, ut sacramenta populo administrent . . . . . » 403
§ IX. An iidem per se, vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, iuxta monitum Tridentini, et praecitati Concilii Romani . . . . . » 425
§ X. An saltem Dominicis, et aliis festis diebus in suis parochiis fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum, et parentes, pueros, ceterosque hoc adiutorio indigentes doceant, et

an, et qui eis operam praestent in hoc opere adimplendo, et an fructuose hoc opus adeo necessarium in singulis parochiis proficiat . . . . . *pag.* 435
§ XI. An singuli parochi, ceterique curam animarum exercentes singulis Dominicis festisque de praecepto Missam applicent pro populo, eorum curae commisso . . . . . » 440
Art. 1. De obligatione offerendi pro populo Missae sacrificium singulis diebus Dominicis, aliisque diebus etiam e festorum albo dispunctis. . . . . » 441
Art. 2. De iis quibus inest obligatio Missae pro populo applicandae . . . . . » 445
Art. 3. An curatores animarum Missam pro populo per ipsos adplicare teneantur et qua hora . . . . . » 455
✠ Appendix. Recentiora decreta S. Sedis ad praecedentes tres articulos. . . . . » 459
Art. 4. De facultate binandi . . . . . » 463
✠ Appendix. Recentiora decreta . . . . . » 469
§ XII. An, et quae praemittantur, antequam quis ad primam tonsuram, et minores ordines admittatur, et an sacris ordinibus initiandi, ante cuiuscumque ordinis sacri receptionem, piis meditationibus, vulgo spiritualibus exercitiis, vacent per aliquot dies in aliqua domo religiosa . . » 471
Art. 1. De titulo s. ordinationis. . . . . » 472
Art. 2. De sacris exercitiis . . . . . » 491
§ XIII. An omnes praedicti vestes iugiter deferant clericales, et an, quoad fori privilegium, serventur disposita a sacrosancta Synodo Tridentina Sess. 23. cap. 6. de Reform. et Constit. SS. D. N. Benedicti PP. XIII. in eodem Concilio Romano emanata . . . . . » 492
§ XIV. An habeantur conferentiae theologiae moralis, seu casuum conscientiae, et etiam sacrorum rituum, et quot vicibus habeantur, et qui illis intersint, et quinam profectus ex illis habeatur . . . . . » 506
§ XV. Quinam sint mores clero saecularis, et an aliquod in eo adsit scandalum, quod remedio indigeat potentiori . » 517
✠ Appendix I. Instructio pro ecclesiasticis curiis quoad modum procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum . . . . . » 530
✠ Appendix II. De libero ingressu sacerd. saecul. in Ordines religiosos . . . . . » 536
1. Benedicti XIV. Epistola ad Cardinalem Angelum Mariam. » 536
2. Epistola S. C. Episc. et Regul. ad Episcopum N. . . » 548

REIMPRIMATUR

Fr. Augustinus Bausa O. P. S. P. A. Magister.

REIMPRIMATUR

Iulius Lenti Archiep. Siden. Vicesgerens.

3858